3 1761 00316029 8

B.SEEBER
SUCC.

COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

Tomus Quintus

Par. IX-XXXIII.

D192d
.Ibenv

BENEVENUTI DE RAMBALDIS
DE IMOLA

COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ
COMŒDIAM

NUNC PRIMUM INTEGRE IN LUCEM EDITUM

SUMPTIBUS GUILIELMI WARREN VERNON
CURANTE JACOBO PHILIPPO LACAITA.

TOMUS QUINTUS.

61052
8/10/03

FLORENTIÆ,
TYPIS G. BARBÈRA.

MDCCCLXXXVII.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/comentumsuperdan05benv

COMENTUM PARADISI.

CANTUS NONUS, *in quo adhuc multa loquitur cum Carolo, ubi facit mentionem de Ezelino, et Marchia Trivisana.*

D*a poi che Carlo tuo, bella Clemenza.* Postquam in præcedenti capitulo Dantes introduxit unum spiritum illustrem de spera Veneris, nunc consequenter in isto capitulo IX inducit alios spiritus de eadem spera. Et istud capitulum potest dividi in tres partes generales. In quarum prima introducit unam animam modernam, quæ describit se et patriam suam. In secunda introducit alium spiritum modernum qui similiter describit se et suam terram famosam, ibi: *L' altra letizia.* In tertia et ultima introducit tertiam animam antiquam et causam suæ salvationis, ibi: *Ma perchè.* Ad primum ergo dico, quod autor introducit unam animam modernam; sed primo continuans se ad præcedentia tangit finem sermonis Caroli Martelli, et eius recessum; unde dirigens sermonem ad Clementiam uxorem Caroli, dicit: *O bella Clemenza,* quæ fuit pulcra et pudica, et digna tali viro; ideo de industria facit memoriam de ea, *da poi che Carlo tuo,* vir tuus pulcer dilectus, *m' ebbe chiarito,* idest, postquam declaravit me de pulcro dubio, *mi narrò gl' inganni,* in facto regni, *che ricever dovea la sua semenza,* idest, hæres suus. Et subdit ad consolationem Clementiæ: *ma disse,*

ille Carolus, *taci,* idest, nihil [1] dicas; et sic facit autor, quia nihil exprimit in scriptura, *e lascia volger gli anni,* idest, transire tempus, *sì ch' io non posso dire,* scilicet, in speciali, *se non che giusto pianto,* idest, debita pœna, *verrà di retro ai vostri danni,* quæ recepit stirps mea: et forte hoc dicit, quia Robertus mortuus est sine prole mascula, cui successit eius neptis filia Veneris, quæ tamen magnifice gubernavit regnum. — *E già.* Hic autor describit recessum ipsius Caroli dicens: *E già la vita,* idest, anima, *di quel lume santo,* scilicet Caroli luminosi, beati, *rivolta s' era al sole,* scilicet ad Deum, qui est sol justitiæ, *che la riempie,* lumine suo, sicut sol sensibilis illuminat sidera, *come a quel ben ch' ad ogni cosa è tanto;* quia infinitum et immensum sufficit ad omnia. Et ex hoc autor facit unam pulcram invectivam contra homines, qui seducti voluptatibus sequuntur solum delectabilia, sicut communiter faciunt venerei; unde exclamat indignanter, *ahi!* idest heu vobis, *anime ingannate,* fallaci bono, *e fatture empie,* idest, creaturæ crudeles contra vosmetipsas, negligentes proprium bonum vestrum, *che torcete i cuori,* idest, removetis intentionem vestram, *da sì fatto ben,* ad quod creati sumus et naturaliter inclinamur. — *Ed ecco.* Hic autor introducit mulierem modernam filiam Veneris. Ad cuius cognitionem est breviter sciendum, quod ista fuit Cunitia soror olim Eccelini de Romano tyranni crudelissimi; recte filia Veneris, semper [2] amorosa, vaga, de qua dictum est capitulo VI Purgatorii, qualiter habebat rem cum Sordello Mantuano; et cum hoc simul erat pia, benigna, misericors, compatiens miseris, quos frater crudeliter affligebat. Merito ergo poeta fingit se reperire istam in spera Veneris. Nam si gentiles cypriani deificaverunt suam Venerem, et ro-

[1] 4, non dicas. [2] E. quia semper.

mani suam Floram formosissimam et ditissimam meretricem, quanto dignius et honestius poeta christianus potuit salvare Cunitiam? Dicit ergo ostendens affectionem suam erga se: *Ed ecco un altro di quelli splendori,* idest, spirituum splendidorum, *vèr me si fece,* Carolo recedente, *e significava il suo voler piacermi;* ista domina placidissima fuit in vita mortali, *nel chiarir di fuori,* idest in claritate exteriori, quia magis scintillabat quam prius. Et subdit quod obtinuit licentiam loquendi cum illa, dicens: *gli occhi di Beatrice ch' eran fermi,* idest firmati et fixi, quia ipsa non removebat eos a cura eius, *fermi certificato,* idest, fecerunt me certioratum, *di caro assenso,* idest, grato consensu, quia conniventia oculorum dixit: loquere secum, *al mio disio,* idest, secundum quod desiderabam, *come pria,* idest, sicut prius fecerant quando primo loquutus fui Carolo supra. — *Deh.* Hic autor ponit suam orationem ad dictum spiritum, dicens: *Dissi,* scilicet, ego Dantes: *o beato spirto,* quisquis sis, *deh! metti tosto compenso,* idest, remedium, *al mio voler,* quod tu bene nosti, *e fammi pruova,* idest experientiam, *ch' io possa in te rifletter quel ch' io penso;* quasi dicat: dic mihi, rogo te, quis [1] es, ita quod possim aperire tibi conceptum meum. Et subdit responsionem illius, dicens: *onde la luce,* anima clara, *che m' era ancor nuova,* quia nondum noveram quæ esset, vel unde vel quare esset ibi, *seguette,* sine mora et cum lætitia, *come a cui di ben far giova,* idest delectat, *del suo profondo, ond' ella pria cantava.* In hoc tangit quod anima ista cantabat profunde in contemplatione divina, antequam loqueretur autori, sicut dictum est supra, quod animæ quæ prius venerunt versus eum cantabant Osanna. — *In quella.* Nunc iste spiritus describit primo locum suæ originis et

---

(1) S. e 4, quisquis es. — E. quis es tu, ita.

unius sui fratris famosi. Ad declarationem literæ præmittendum est, quod Eccelinus prænominatus, mortuo Friderico II, cui fuerat confœderatus, cœpit exercere omnem sævitiam in tota Marchia Trivisana (1). Qui Comes de Romano primo favore Monticulorum habuit dominium in Verona; deinde habuit Paduam, Vicentiam, Tervisium, Feltrum, Tridentum, et ultimo Brixiam. Cum autem Eccelinus, medietatis (2) pene totius Lombardiæ dominus, esset in obsidione Mantuæ cum forti exercitu, audita amissione Paduæ captæ per legatum ecclesiæ, in rabie furoris reversus Veronam, omnes paduanos captos quos secum habebat numero duodecim millia, ferro, igne et fame consumpsit; et si quis inveniebatur fugiens, pedibus et manibus truncabatur. Eccelinus (3) consanguineis et amicis non pepercit. Tandem Azo II Marchio Estensis, mantuani et cremonenses coniuraverunt contra eum. Eccelinus autem sperans obtinere Mediolanum a quibusdam magnatibus, transivit Abduam; sed detecta proditione rediens, invenit flumen occupatum ab hostibus, et timens multitudinem mediolanensium a tergo cum Martino de la Turre, per medium vadum quærens evasionem sagitta vulneratus est in pede. Et quia senex erat et interclusus ab hostibus cum pervenisset ad alteram ripam, debellatus est et captus a Marchione Estensi et aliis, et ductus Sulcinum (4), nolens recipere curationem, infeliciter mortuus est, cum esset annorum quasi septuaginta et sine prole. Regnavit Veronæ annis triginta quatuor, excluso Comite sancti Bonifacii. Albericus frater eius, licet impar potentia, attamen nequitia par, audita morte fratris eius, fugit de Tervisio, ubi erat crudelius tyrannus, ad arcem sancti Zenonis; ibi (5) clausus viribus venetorum, proditione suo-

---

(1) E. Tarvisana. (2) E. medietatis totius.
(3) E. Eccelinus iste consanguineis. (4) 4, Fulcinum. (5) E. ubi clausus.

rum traditus est adversariis. Cuius lubricum corpus traditum est igni, filiis et uxore prius laceratis et inhumaniter trucidatis ante oculos patris. Sic (1) infra annum domus nobilissima et potentissima de Romano omnino defecit, quæ magna in avo, maior in patre, in his duobus fratribus maxima fuit. Nunc ad literam: dicit Cunitia ipsa soror istius Eccelini: *Si leva un colle,* idest, parvus mons, in quo est Castellum nomine Romanum, *in quella parte,* scilicet Marchia Tervisina (2), *della terra prava italica,* quæ est tantum depravata hodie, ideo meretur talem disciplinam. Et describit Marchiam ipsam a suis confinibus, dicens: *che siede,* idest, situata est, *intra Rialto,* canale magnum est aquæ marinæ, quod dividit civitatem Venetiarum. Ad quod est notandum, quod imperante Justiniano, Totila rex gothorum invasit Italiam et cepit Romam. Quo tempore multi de provincia Venetia fugientes furorem et crudelitatem gothorum, cum rebus suis quas secum trahere poterant, fugerunt in paludes maris Adriaci et juxta Rivum altum condiderunt civitatem, quam Venetias vocaverunt, quia de diversis partibus Venetiæ convenerant ibi; et in loco illo tuto cœperunt libere vivere suis legibus. Et sic propter libertatem et securitatem loci et propter malum statum aliarum (3) terrarum, civitas ista cœpit crescere de die in diem, usquequo pervenit ad tam superbam potentiam: *e le fontane di Brenta e di Piava;* Brenta fluvius est, qui dividit Paduam et claudit, de quo alibi dictum est; Piava fluvius labitur per territorium Tervisii, et nascitur supra civitatem Belluni. Et dicit: *e non sorge molt' alto,* quia humilis collis est, non longe a montibus altis in extremo territorii tervisini, *là onde,* idest, ex quo colle, *scese già una facella,* scilicet, Ecce-

(1) E. Et sic. (2) E. Tarvisana.
(3) E. aliarum civitatum, seu terrarum.

linus qui vere fuit fax ardens, immittens incendium in vicinos. Ideo dicit: *che fece alla contrada,* scilicet, Marchiæ Tarvisanæ, *un grande assalto.* Albericus vero fuit alia fax, ardens libidine; et [1] Cunitia fuit ardens amore. Eccelinus tamen non multum curavit de venereis. — *D'una radice.* Hic Cunitia describit se a parentibus nomine et sorte, dicens: *Et io et ella,* scilicet, facula, *nacqui d'una radice,* idest, ex eodem patre et matre, nomine Adaleta [2], ut scribit Mussatus poeta paduanus; *Cunizza fui chiamata,* nomen proprium est, quasi connunciens, idest, vocans; *e qui rifulgo,* idest, resplendeo in isto planeta Veneris fulgentissimæ, *perchè mi vinse il lume d'esta stella,* scilicet, Veneris, quia [3] habuit prædominium supra me. Et respondet quæstioni tacitæ, quia posset obiici: quomodo ergo es salvata et beata? dicens: *ma lietamente a me medesma indulgo,* idest, remitto, *la cagion di mia sorte,* scilicet, influentiam Veneris, *e non mi noia,* idest non moleste fero, *che parria forse forte al vostro vulgo:* bene dicit, quia ignorantes mirantur quod una famosa meretrix sit beata, non considerantes quod istud vitium est naturale, commune et quasi necessarium potissime juvenibus, ut postea dicetur. — *Di questa.* Hic Cunitia ad confirmandum dictum suum manifestat aliam animam modernam, quæ fuit semper amorosa in vita. et tamen post mortem est valde famosa. Dicit ergo: *Grande fama,* scilicet, bona, qua nihil rarius, nihil tardius, nihil toto orbe præclarius, quia procedit a virtute, *rimase,* in mundo, *di questa luculenta e cara gioia,* idest, luminosa et pretiosa anima, *del nostro cielo,* idest, de spera Veneris, *che più m'è propinqua,* idest, magis approximat mihi, quia est mihi magis conformis: hæc erat anima cuiusdam Fulci de Massilia, ut postea dicetur. Et

---

(1) E. et ista Cunitia. (2) E. Adeleyta. (3) E. e 4, quæ habuit.

tangit diuturnitatem famæ istius hominis quæ durabit adhuc quingentis annis, dicens: *e questo centesimo anno ancor s' incinqua,* idest, iste numerus centenarius annorum quinquies iterabitur. Currebant enim tunc anni Domini mille trecenti, quando poeta habuit suam mirabilem visionem, *pria che muoia,* idest, antequam fama prædicti moriatur. Et hic nota, quod autor (1) videtur expresse dicere mendacium, cum de homine isto jam non sit fama etiam in propria patria: dico breviter quod autor vult innuere tacite, quod ipse dederit famam isti ratione virtutis eius, quæ fama non morietur usquequo vivet liber iste, qui durabit per multa secula annorum et forte per millia annorum, si possumus coniecturare de futuro; quia videmus continuo, quod fama istius autoris crescit. Et ex hoc autor exhortatur homines ad vivere virtuose, ut viri sapientes dent eis famam, sicut ipse jam dedit Cunitiæ, et dabit Fulco. Dicit ergo: *vedi se l' uom si de' fare eccellente,* scilicet in virtute, *sì ch' altra vita la prima relinqua,* idest, ut prima vita, scilicet, temporalis, relinquat aliam vitam perpetuam per famam. Ideo bene dicit Quintilianus: *Quoniam denegatur nobis diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.* Unde nota, quod naturaliter homo habet triplicem appetitum, conservandi scilicet individuum, speciem, et famam, ut dicetur adhuc in isto capitulo. — *E ciò.* Hic Cunitia ex dictis facit unam increpationem ad illos (2) de provincia sua, qui hodie vivunt vitiose. Et primo in generali, describens iterum provinciam a fluminibus, dicit: *E la turba presente,* idest, gens moderna, *non pensa ciò,* scilicet, vivere virtuose, et per consequens relinquere famam, *che,* idest, quam gentem, *Tagliamento et Adice richiude:* Taliamentum est flumen provinciæ Ve-

---

(1) E. autor noster expresse dicit mendacium. (2) 4, alios.

netiæ prope Concordiam non longe ab Aquileia quod dividit Forum Julii a Marchia Trivisina; et est flumen rapax et fallax. Athesis est flumen quod labitur per Veronam ad modum serpentis tortuosi, de quo alibi dictum est. Et quod est peius: *nè per esser battuta,* idest flagellata per Eccelinum, qui Marchiam, viridarium voluptatum, fecit quasi heremum solitudinis desertæ, *ancor si pente,* idest, non corrigitur, non emendatur; ideo nova pœna paratur sibi. — *Ma.* Hic Cunitia prænuntiat nova flagella in brevi eventura provinciæ; et primo Paduæ, quæ prius fuerat tamdiu desolata per Eccelinum; postea fuit flagellata per alium (1) tyrannum Veronæ, qui vocatus est Canis Grandis de la Scala. Ad quod est sciendum, quod paduani anno Domini MCCCXIV, magno apparatu belli, puta cum duobus millibus equitum, et viginti millibus peditum invaserunt Vicentiam, quæ alias fuerat eorum. Canis, juvenis strenuus et intrepidus, viso signo facium ardentium in turribus, Vicentiam incredibili celeritate venit. Et considerato ex alta turri ordine hostium inordinatorum, per agros vagantium, cum minus centum equitibus et populi turba irruit super ducem paduanorum, qui dato tergo cæteros (2) secum convertit in fugam. Canis velut lupus inter oves, omnes dispersit cum parva cæde; multi capti sunt, inter quos Jacobus de Carraria magnus princeps paduanus, et Mussatus poeta. Paduanis pacem petentibus pax data est. Post biennium iterum paduani per dolum tentant habere Vicentiam. Canis cum Ugucione de Fazolla (3) viro strenuissimo, explorata proditione, de nocte clam intravit Vicentiam; et de mane dato signo cum suis invadit hostes; de quo quidam veronensis metrice scripsit: *Ecce Canis: fugiere lupi* etc. Turpius (4) fuga facta est cum occisione

(1) 4, unum tyrannum. (2) E. cæteros convertit.
(3) E. de Fagiola. (4) E. e 4, Turpis fuga.

multorum et captione plurimorum: captus est comes sancti Bonifacii dux belli, et magnifice honoratus a Cane magnanimo. Et post paucum tempus Canis avidus ultionis recepit castellum nobile (1) Montis Silicis, quod distat a Padua per decem milliaria, et Estum castellum illi propinquum pulcrum et dives vi cepit cum magna cæde et præda incolarum. Paduani ad defensionem sui agri mittunt quingentos equites cum magno numero peditum ad ripam parvi fluminis Bachilioni. Canis ubique victor, illis debellatis et fugatis magna damna dedit. De hoc videtur specialiter loqui litera. Canis iterum pacem fecit cum paduanis intercessione venetorum cum gravibus conditionibus; tandem anno Domini MCCCXXVIII Canis libere et pacifice obtinuit Paduam, et anno sequenti Tervisium; et ibi fato, invidente felicitati suæ mortuus est. Dicit ergo Cunitia: *Ma tosto fia,* idest, erit in brevi, *che Padova,* potens civitas, *al palude,* idest, juxta paludem vicinam, *cangerà l' acqua,* idest, permutabit faciendo ipsam rubeam sanguine suo, *che Vicenza bagna;* nam Bachilionus labitur per Vicentiam, ut alibi scriptum est. Et certe Vicentia ante fuerat etiam flagellata tempore Eccelini, cremata et spoliata per Fridericum II. Unde dicit: *per esser al dover le genti crude,* idest, male dispositæ ad virtutem (2). — *E dove.* Hic (3) Cunitia prædicit mortem crudelem unius tyranni tervisini. Ad quod est memorandum, quod Dominus Rizardus de Camino filius boni Gerardi, qui successerat patri in dominio Tervisii, quum una die luderet ad scacchos, subito transfixus est gladio ab uno Ribaldo sicario desperato, præsentibus fratre et consanguineis eius. Et continuo sicarius trucidatus ab illis fertur dixisse istud verbum: hoc non fuit in pacto. Ipse vero Rizardus moriens di-

(1) 4, nomine. (2) 4, veritatem.
(3) E. Hic autor ponit quomodo Cunitia prædicit.

cebat manu et nutu ne occiderent eum, ut sciretur quare hoc fecerat [1], cum tamen fratre et suis procurantibus hoc factum esset. Ad literam ergo: dicit Cunitia: *E tal,* idest, unus magnus et potens, *signoreggia e va con la testa alta,* idest superbe incedit, non timens sibi de insidiis suorum, *che già per lui carpir si fa la ragna,* idest, jam texitur fraus ad circumveniendum ipsum, sicut avis capitur rete: est enim ragna quoddam genus retis, quo capiuntur aves: *dove Sile e Cagnan s' accompagna;* hoc est dicere, in civitate Tervisii. Ista enim duo flumina coniunguntur in unum apud Tervisium; quæ terra amœna multum abundat aquis puris et fontibus scaturientibus. Et in tali loco sæpe nascuntur venena quale fuit ipse Rizardus et domina Gaia soror eius. — *Piangerà.* Hic Cunitia prædicit aliud crudele facinus futurum per eadem tempora in civitate vicina suæ. Ad intelligentiam huius literæ est primo sciendum quod mortuo Azone III Marchione Estensi, qui habuerat Beatricem sororem regis Roberti in uxorem, rex ipse Robertus habuit ad tempus dominium [2] Ferrariæ pro ecclesia. Quum autem quidam dominus Pinus de la Tosa nobilis miles florentinus astutus esset vicarius Ferrariæ pro rege, quam murari fecit, viri nobiles de Fontana ferrarienses, seditione orta, fugierunt de civitate et transtulerunt se Feltrum, putantes se tutos in illa libera civitate, cuius liberum dominium in temporali et spirituali habebat episcopus eius. Sed opera Pini, volente et consentiente episcopo, capti ducti sunt Ferrariam: ex quibus tres præcipui, scilicet Lanzalottus, Clarutius, et Antoniolus de Fontana, decapitati sunt cum multis aliis complicibus eorum in foro Ferrariæ, et multi suspensi sunt laqueo. Ad literam ergo, dicit Cunitia: *Fel-*

---

(1) E. fecisset.

(2) E. dominium pro ecclesia civitatis ipsius Ferrariæ. Quum.

tro, civitas [1] in confinio Marchiæ Tarvisinæ, *piangerà ancora la diffalta,* idest defectum sceleratum, *dell' empio suo Pastore,* idest, Episcopi sui, qui fuit natione placentinus, qui bene luit pœnas dignas; nam de mandato domini Rizardi prædicti fuit tantum percussus cum sacculis sabuli, quod emisit omnia viscera et sanguinem per egestionem : et populus etiam luit, qui venit de libertate in servitutem sub tyrannide ipsius Rizardi. Et tangit atrocitatem sceleris, dicens : *che sarà sconcia,* idest, enormis sine exemplo, quia alius sacerdos sceleratus non luit pœnam pro crimine simili. Unde dicit : *tal che per simile,* scilicet, culpam, *non s' entrò in Malta,* scilicet, per alium sacerdotem ad tolerandam pœnam. Est enim Malta turris horrenda in lacu sanctæ Christinæ, carcer amarus delinquentium sacerdotum. Unde sacerdos damnatus ad mortem per papam Bonifacium, clamabat : *Peto benedictionem Patris mei :* et Bonifacio respondente : Pater tuus diabolus est : subiunxit ille : Et tu utique ille es; et meruit veniam. Sed e contra, Abbas montis Cassini, qui non bene servaverat Cœlestinum custodiæ suæ commissum, paucis diebus in pane tribulationis et aqua amaritudinis supervixit, afflictus in eodem carcere. Et aggravat delictum propter magnam sanguinis effusionem, dicens : *troppo sarebbe larga la bigoncia ;* biguncium est vas, quo utuntur tempore vindemiarum ad portandas uvas, apertum et amplum desuper, quod plenum facit dimidiam [2] salmam asini ; *che ricevesse il sangue ferrarese,* scilicet, civium occisorum ; *e stanco,* scilicet, nimis esset, *chi 'l pesasse ad oncia ad oncia,* et verum dicit; nam homo inter animalia habet multum sanguinis; unde Galenus scribit de uno cui per nares effluxerunt viginti quinque libræ sanguinis, et mortuus

---

(1) 4, idest, civitas. (2) E. mediam.

est. Isti autem, quorum sanguinem fudit impius iste sacerdos, fuerunt plus quam triginta, ut quidam scripserunt; *che,* idest, quem sanguinem, *donerà,* turpe donum et infamiæ plenum, *questo prete cortese,* ironice intelligas, quia prodigus humani sanguinis, *per mostrarsi di parte,* idest, ut videretur bene de parte ecclesiæ et vere guelphus. Et concludit: *e cotai doni conformi fieno al viver del paese,* idest, bene conveniunt viventibus vitiose in dicta Marchia. — *Su.* Hic ultimo Cunitia respondet quæstioni tacitæ; quia enim autor poterat dicere: quomodo potes tu præscire ista futura quæ modo prænuntiasti? respondet quod a Deo mediantibus quibusdam intelligentiis. Unde dicit: *Su sono specchi,* idest, apud Deum sunt angeli, *voi dicete Troni,* quos vos homines vocatis thronos; tertius enim ordo angelorum sic vocatur a throno judicii: nam per thronum potestas judiciaria designatur, quia (1) Deus sedens in eis judicia sua discernit. Ideo dicit: *onde,* idest, a quibus, *Dio giudicante,* idest, divinum judicium futurum, *rifulge a noi,* scilicet, ostendendo nobis futura contingentia; nam tales angeli movent speram Veneris, ut jam dictum est præcedenti capitulo, *sì che questi parlar ne paion buoni,* idest, ista prædictio futurorum eventuum videtur nobis bona; ut saltem timore divini judicii homines caveant sibi a talibus sceleribus. Et hic nota quod hæc quæ autor videtur prædicere tamquam futura jam erant præterita quando scripsit; sed habet respectum ad generalem visionem suam quam habuit in MCCC. Et tangit recessum istius animæ, dicens: *qui si tacette,* idest, finem fecit sermoni suo, *e fecemi sembiante,* idest, signum, *che fosse ad altro volta,* scilicet, ad contemplationem Dei, *per la rota,* idest, coronam illarum animarum, quæ movebantur circulariter, et cantabant

(1) E. quia omnipotens Deus.

dulciter, *in che si mise com' era davante,* scilicet, antequam veniret ad loquendum autori.

L' altra letizia. Ista est secunda pars generalis [1], in qua per comparationem autor introducit alium spiritum venereum modernum de quo Cunitia jam fecerat mentionem, scilicet Fulcum de Massilia. Et primo describit qualis apparuit sibi, dicens: *L' altra letizia,* idest, alia anima læta, *che m' era già nota,* idest, quæ jam fuerat manifestata mihi, *preclara cosa,* scilicet, quando Cunitia dixit supra: *di questa luculenta e cara gioia;* sed nondum erat sibi nota per nomen, *sì mi fece in vista,* idest, in apparentia, talis, supple, *qual fin balascio in che lo sol percota,* scilicet, splendidam et lucidam: est enim balassus lapis etc. Et est comparatio propria; sicut enim dictus lapis pretiosus repercussus radiis solaribus mire refulget; ita ista anima pretiosa repercussa radiis solis justitiæ Dei. Et subdit autor similitudinem et differentiam inter lætitiam cœlestem et mortalem: similitudo stat in hoc, quod sicut lætitia humana manifestatur hic in mundo per risum; ita illa ibi per fulgorem; differentia [2] est in hoc, quia facies beata est semper læta, facies vero mortalis est sæpe [3] tristis, quando mens interior turbata est. Dicit ergo bene: *fulgor s' acquista lassù,* idest, splendor causatur in apparentia beatorum in cœlo, *sì come riso qui,* idest, in isto mundo mortali; sed hic risus cito cum fletu miscetur, sive ad nostrum [4] cito sequitur planctus; unde dicit: *ma l' ombra di fuor,* idest, apparentia exterior, *s' abbuia giù,* idest, fit obscura in mundo, *come la mente è trista,* idest, quam cito mens humana efficitur mœsta aliquo casu. — *Dio vede.* Hic autor facit suam petitionem ad dictam animam. Et primo ad captandam benevolentiam præsupponit pro constanti, quod ista

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) E. et differentia.
(3) E. e 4, semper tristis.
(4) E. nostrum gaudium cito.

anima beata videt affectionem autoris, quia participat de divino lumine. Dicit ergo: *Diss' io, o beato spirto, Dio vede tutto,* quia etiam occulta cordium videt, *e tuo veder s' inluia,* idest, participat de lumine eius, quia respiciens Deum tanquam speculum videns veritatem rerum, *sì che nulla voglia di sè,* idest, ipsius Dei, *puote esser fuia a te,* idest, furtiva et occulta tibi. Et subdit petitionem suam, dicens: quare ergo si cognoscis meam intentionem non me contentas? certe ego non expectarem tuam petitionem si cognoscerem ita tuam voluntatem sicut tu cognoscis meam. Dicit ergo: *dunque la voce tua, che 'l ciel trastulla,* idest, delectat, *sempre col canto,* scilicet osanna de quo dictum est supra, *di que' fuochi pii,* illorum thronorum vel principatuum, de quibus scribit Ezechiel propheta, ut patuit in Purgatorio, *che fannosi cuculla,* idest, habitum, *di sei ale,* sicut expositum est ibi, *perchè non sodisface ai miei disii,* scilicet, dicendo mihi quis es, antequam petam de hoc: *già non attendere' io tua dimanda,* idest, certe ego non expectarem tuam petitionem, imo prævenirem te, *s' io m' intuassi come tu t' immii,* idest, si ego scirem (¹) ita cor et desiderium tuum, sicut tu scis meum. Trahit enim autor unum verbum ex isto pronomine tu, et aliud ex isto pronomine ego. Simili modo formavit supra aliud verbum in tertia persona, ubi dicit: *s' inluia,* quod sonat, intrat in eum; et ita *m' intuassi,* facerem (²) me te, *t' immii,* idest, facis te me. — *La maggior.* Hic autor ponit responsionem dicti spiritus ad suam petitionem: qui primo manifestat se a patria sua, quam artificialiter multipliciter describit, et incipit a longe describens mare in cuius imo littore posita est civitas Massiliensis. Ad cuius plenam intelligentiam est primo notandum quod sicut tradunt omnes tam histo-

---

(¹) 4, cognoscerem. (²) E. idest, facerem.

rici quam alii, quod tota aqua quæ facit nobis mare mediterraneum quod labitur per nostram terram habitabilem, intrat terram inter Africam et Hispaniam in extremo Occidentis per angustum brachium, quod dicitur strictum Sibiliæ juxta montem Gibeltanum etc. Nunc ad literam dicit autor: *Le parole sue,* scilicet, illius, *incominciaro allor,* supple dicere: *la maggior valle in che l'acqua si spanda,* idest, mare mediterraneum, quod dicitur mare leonis; et facit exceptionem ad verificandum dictum suum, dicens: *fuor di quel mare,* scilicet Oceanum, *che inghirlanda la terra,* idest cingit totam terram in circuitu in modum coronæ, *tanto sen va,* idest, tantum extenditur per terram, *tra discordanti liti,* idest, inter duo litora quæ sunt discordantia in omnibus; hinc enim sunt christiani, inde saraceni; hic frigus, ibi calor etc., *e contro al sole,* idest contra ortum solis sive levantem, *che fa meridiano,* quia scilicet vadit usque Hierusalem, quæ est in medio nostræ terræ habitabilis, sicut dictum est plene secundo capitulo Purgatorii etc., et dicit: *là dove pria suol far l'orizzonte,* idest, in qua terra habitabili dicta aqua facit horizontem antequam recedat ab Oceano et intret terram, quia in extremo terræ est horizon large loquendo. — *Di quella.* Hic Fulcus, præmissa ista positione, nunc exprimit suam patriam, dicens: *Io fui littorano di quella valle,* idest, maritimus habitator in litore nostro huius maris mediterranei. Et describit ipsam patriam a fluminibus, dicens: *tra Ebro e Macra:* est enim Ebrus fluvius apud Massiliam etc. Macra vero est fluvius rapax apud civitatem Lunæ per vallem, quæ dicitur Lunisana in confinibus Tusciæ. Unde dicit: *che,* idest, qui Macra, *parte il Genovese dal Toscano,* juxta illud: *Tusciæ confines mare, Macra, Tyber et Alpes.* — *Ad uno.* Hic Fulcus adhuc describit clarius suam patriam, et a situ et a memorabili fato eius. Et dicit primo

quod Massilia et Bugea se ex opposito respiciunt, *Bugea,* quæ est civitas in litore africano, *e la terra ond' io fui,* idest, Massilia, cuius ego fui civis, *siede quasi ad uno occaso et ad un orto ;* hoc dicit, quia habent quasi eumdem meridianum; quasi dicat, quod Massilia tantum distat a levante et ponente, quantum Bugea quæ est in litore adverso. Et subdit: *che,* idest, quæ terra mea, *fe' già caldo il porto del suo sangue.* Ad quod est sciendum quod, sicut scribit Svetonius maior de bello civili, Cæsar fugato Pompeio et senatu ex Italia, composita urbe, dum reverteretur in Hispaniam contra legatos Pompeii faciens transitum per Galliam pervenit Massiliam ; cui massilienses clauserunt portas: quod Cæsar moleste ferens ipsam obsidione cinxit, dimisso Bruto ibi legato suo, qui superatus in terra fecit bellum navale in mari. Massilienses elati prima victoria congressi sunt secum et miserabiliter (1) conflicti sunt: ut (2) scribit Lucanus in quarto. Et hic nota quod autor conatus est facere insignem descriptionem huius civitatis Massiliæ tam ratione loci, quam ratione incolarum. Habet enim hæc civitas pulcerrimum et tutissimum portum, fuit semper liberrima, et habuit optimas leges et consuetudines, sicut patet apud Valerium, Livium, Pomponium, Justinum et alios plurimos; et fuerunt græci etc. — *Folco.* Hic dictus spiritus describit se a nomine proprio et a moribus suis. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod Fulcus iste fuit filius Alphonsi Mercatoris, qui moriens dimisit eum divitem valde. Ipse dedit operam valori humano et famæ mundanæ : sequutus est nobiles viros : dicebat pulcre et facunde in rhythmo; fuit valde acceptus et honoratus a Richardo rege Angliæ, a Raynaldo comite Tolosano et a Barali de Massilia, in cuius Curia conversabatur. Nec miror,

(1) 4, mirabiliter. (2) E. ut plenius scribit.

quia Massiliæ sunt famosissimæ [1] mulieres. Fuit siquidem Fulcus iste pulcer corpore, lingua disertus, pecunia liberalis; ergo vere venereus. Adamavit autem Adalagiam uxorem Baralis; et ut magis tegeret suam culpam, simulabat se diligere duas sorores eius: propter quod factus suspectus fuit licentiatus ab illo. Mortua uxore Baralis amarissimum [2] dolorem concepit, sicut olim Dantes de morte suæ Beatricis: et dedicavit [3] se cum uxore et duobus filiis ad monasterium cisterciense. Postea factus fuit abbas Torrinelli; demum episcopus massiliensis, de qua expulit hæreticos. Et sic vide, quod propter multa autor fecit singularem mentionem et commendationem de isto Fulco. Nunc ergo ad literam, dicit iste: *Quella gente, a cui fu noto il nome mio, mi disse Folco,* et subdit suam complexionem, dicens: *e questo cielo,* idest, spera Veneris, *s' imprenta,* idest imprimitur, *di me, com' io fei di lui;* quasi dicat: ita apparet in eo mea imago, sicut apparuit in me eius influentia; quasi dicat: quia fui totus filius Veneris, ideo hic apparet umbra mea. — *Chè più.* Hic Fulcus explicat quantum influentia Veneris potuerit in eo tangendo tres immensos amores. Et primo comparat amorem suum amori Didonis, quæ tantum exarsit amore Eneæ, quod illo recedente se proprio ense peremit, sicut jam sæpe patuit. Dicit ergo: *Chè la figlia di Belo,* idest, Dido regina Carthaginis quæ fuit filia regis Beli, ut patet apud Virgilium; nec intelligas de Belo rege Assyriæ patre magni Nini; *non arse più di me, infin che si convenne al pelo,* idest, usque ad tempus quo cœpi canescere, scilicet amore, quam ego. Et dicit: *noiando et a Sicheo,* idest, se molestam reddendo vel displicendo primo viro suo Sicheo, de quo dictum est in Inferno: *e ruppe fede al cener di*

---

(1) E. formosissimæ. (2) 4, maximum.
(3) E. declinavit se, mortua uxore, cum duobus filiis monasterio cisterciensi.

Sicheo etc., *et a Creusa,* quæ fuit prima uxor Eneæ, filia Priami regis Troiani; et [1] tamen hoc quod dicitur de Didone est totum fictitium, ne dicam falsum, ut totiens dictum est. Secundus amor, quem adducit Fulcus in exemplum sui amoris, est de Phyllide. Phyllis namque regina Thraciæ, ut patet apud Virgilium libro Bucolicorum, et Ovidium libro Epistolarum, recepit Demophoontem filium ducis Atheaarum redeuntem ab excidio Troiæ, tempestate deiectum, quassatis et laceratis navibus, capta eius amore; qui resumptus volens recedere promisit etc. Illa [2] amoris et moræ impatiens se laqueo suspendit etc. Dicit ergo Fulcus: *nè quella Rodopea,* scilicet, Phyllis regina Thraciæ, cuius mons est Rhodope, ideo vocat eam Rhodopeiam, *che fu delusa da Demofoonte,* qui fefellit fidem datam, sicut Jason Hypsypile. Phyllis dicitur a phylos, quod est amor græce, quia tota amorosa: quamvis et thraces sint proni in Venerem, ut dictum est de Tereo rege Thraciæ in Purgatorio; supple, non magis arsit amore quam ego Fulcus. Tertius amor est de Hercule quando captus fuit amore Joles, qui tantum exarsit eius amore. Ad quod sciendum, quod Hercules debellavit patriam Euryti regis Phrygiæ; cuius filiæ amore tantum [3] exarsit, quod oblitus Deianiræ totus erat subditus isti Jolæ, quæ induebat ipsum vestes muliebres, et faciebat ipsum muliebria facere, sicut filare, et alia homini ignominiosiora, sicut scriptum est in Inferno: *parcite quæso, judices* etc. Dicit ergo iste Fulcus: *nè Alcide,* idest, Hercules magis [4] arsit amore quam ego: et dicitur Alcides quasi virtuosus et formosus: *quando ebbe Jole richiusa nel cuore.* — *Non però.* Hic Fulcus removet unam dubitationem quæ videtur nasci ex verbis eius: posset enim autor dicere: quomodo tu beatus in ista spera cœlesti enarras

---

(1) E. Troiani; attamen.

(2) E. tandem ipsa et amoris.

(3) E. in tantum.

(4) E. e 4, supple, magis.

et rememoras [1] mihi ista facta lubrica et voluptuosa? Nonne doles et erubescis de tali culpa? Respondet Fulcus, quare non tristatur, et de quo lætatur ibi. Et ad huius textus intelligentiam expedit prænotare diligenter, quod ex opere venereo nascitur peccatum cum inordinate et illegitime vacatur venereis; et istud peccatum est abolitum et purgatum in istis spiritibus antequam ascenderent cœlum. Nascitur etiam et mirabile bonum, quia per solam viam generationis mundus inferior corruptibilis continuo labilis et caducus semper renovatur, reparatur et quodammodo perpetuatur; et sic fit coæternus mundo superiori per istam successivam restaurationem; et hoc est illud bonum de quo loquitur hic. Nunc ad literam; dicit Fulcus: quamvis ita intemperanter amaverim, *non però qui si pente,* idest, pœnitentia vel tristitia habetur hic, quia hoc est impossibile, *ma si ride,* idest, lætitia habetur, *non della colpa che a mente non torna,* quia memoria peccati est extincta propter duo, scilicet, post purgationem et potationem aquæ lethææ, ut plene patuit circa finem Purgatorii, *ma del valore ch' ordinò e provide,* idest, de virtute divina, quæ ordinavit sua providentia tantum bonum per istam speram Veneris; unde subdit mirabile bonum et vere contemplatione dignum, dicens: *qui si rimira,* scilicet, per nos, *nell' arte,* scilicet generationis, *che adorna cotanto effetto,* idest, tanta affectione, quanta est in amore, decorat tam mirabili effectu; unde supra Purgatorii XXV capitulo dicit autor: *sovra tant' arte di natura* etc., imo [2] dicit: *e discernesi il bene,* scilicet, mirabilis effectus et fructus, *perchè 'l mondo di su quel di giù torna.* Construe sic literam: *perchè,* idest, propter quod bonum, *il mondo di giù,* idest, mundus inferior, *torna quel di su,* idest,

---

(1) 4, memoras. (2) E. e 4, unde.

efficitur superior, quia assimilatur sibi; nam per opus gignendi mortalium rerum propagatur diuturnitas, ut ait Boetius; aliqui tamen exponunt sic: *perchè 'l mondo di su,* idest, circularis natura cœlestis, *torna quel di giù,* idest, tornat et circuit mundum inferiorem: sed ista expositio (1) non videtur ad propositum; ideo prima magis videtur (2) consonantiam habere et plus mihi placet, quasi dicat: execrabiles florenos per quos fiunt omnia.

Ma perchè. Ista est tertia et ultima pars generalis (3) in qua dicta Cunitia nominat aliam animam antiquam de sorte illa, et primo continuans se ad præcedentia tangit materiam sequentium, dicens: *Ma mi conviene procedere ancor oltre,* scilicet, ad dicendum de alia anima venerea, *perchè ten porti tutte le tue voglie piene,* idest, omnia tua desideria satiata, *che son nate in questa spera,* idest quæ tu concepisti scire in ista spera Veneris; de tribus enim animabus jam scivisti, nunc restat scire de una quarta. Unde subdit: *tu vuoi saper chi è in questa lumiera,* idest, quæ est ista anima quæ est in ista luce luminosa, *che così scintilla,* idest, splendet, *qui appresso me,* a simili, *come raggio di sole in acqua mera,* idest, pura, scintillat. — *Or sappi.* Hic Cunitia exprimit ipsam animam. Ad cuius intelligentiam est præsciendum quod, sicut scribitur Josue in primis sex capitulis, cum Josue expugnaret terras promissionis etc. Nunc ad literam dicit ista: *Or sappi che Raab si tranquilla,* idest, requiescit, *là entro,* idest, intra illud luminare, *e congiunta a nostr' ordine,* in ista spera venereorum, *di lei si sigilla nel sommo grado,* idest, cuius imago apparet in supremo gradu istius speræ, cuius influentia ipsa impressa fuit. — *Da questo.* Hic Cunitia assignat tamen (4) quare ista mulier tam lubrica et

---

(1) E. expositio secunda non. (2) E. videtur literæ consona, et plus.
(3) E. generalis huius capituli, in qua.
(4) E. tamen causam quare.

libidinosa sit posita in tam alto gradu beatitudinis; et dicit quod hoc est propter opus pium, quod ipsa misericorditer fecit erga populum Dei, unde dicit: et illa Raab, *fu assunta,* idest, recepta, *da questo cielo,* scilicet Veneris, *in cui l' ombra che 'l mondo vostro face,* idest, ad quod cœlum terminatur umbra quam facit terra, quia umbra terræ jacit cornu suum usque ad speram Veneris, ut aliqui volunt; et dicit: *pria ch' altr' alma,* idest, priusquam alia anima, *del trionfo di Cristo,* quasi dicat, quod fuit salvata et beatificata in cœlo priusquam alia anima de secta venereorum, quando Christus triumphavit de morte et diabolo; qui resurgens descendit ad inferos, et spoliavit limbum et rapuit prædam. Et reddit rationem quare prima fuit assumpta in cœlum istud, dicens: *ben si convenne,* scilicet, *lasciar lei per palma in alcun cielo,* idest, conveniens fuit quod ostenderetur in ista spera Veneris, de cuius influentia fortiter impressa et conditionata in memoriam tanti beneficii; et dicit: *dell' alta vittoria che si acquistò con l' una e l' altra palma.* Et hic nota quod aliqui exponunt istam literam sic: quando, scilicet, utraque manu traxit et deposuit per fenestram exploratores Josue, et sic dedit victoriam sibi. Alii tamen exponunt quod victoria parta fuit orationibus Josue et manibus populi. Sed certe utraque expositio supervacua est; quia si quis bene inspiciat istud dictum non refertur ad victoriam Josue, quæ postea sequitur in litera, imo refertur ad victoriam Christi (¹) præcedentem, quia jam dixit: *del trionfo di Cristo;* ideo litera exponatur sic: *dell' alta vittoria,* scilicet, Christi (²) qua nulla unquam fuit altior, *che s'acquistò,* idest, quam victoriam ipse (³) Christus acquisivit, *con l' una e l' altra palma,* quia utraque manu fuit affixus cruci; et ecce quare: *perch' ella favorò la prima gloria,* idest, glo-

---

(¹) E. Jesu Christi. (²) E. Jesu Christi Domini nostri, qua.
(³) E. ipse Dominus noster Jesus Christus.

riosam victoriam, *di Josuè,* quando primo transivit Jordanum et cepit Jericho. De isto Josue dicetur in capitulo huius Paradisi; *in su la Terra santa,* scilicet, Jerusalem, ubi (1) Christus propter redemptionem humani generis fudit (2) suum sanguinem, et sustinuit mortem corporalem; quod modicum tangit memoriam papæ; unde per modum digressionis dicit: *che poco tocca la memoria al papa,* scilicet, Bonifacii, qui tunc sedebat et faciebat guerram cum christianis, non cum saracenis, ut plene dictum est Inferni capitulo XIX; et tamen debuisset facere bellum cum saracenis, quia habebat tunc materiam. — *La tua città.* Hic Cunitia facit unam antiphoram; posset enim quis petere: unde est quod memoria terræ sanctæ non tangit papam? respondet: quia cura simoniæ et cupiditas cumulandi pecuniam aufert sibi memoriam recordandi quod illa terra fuit consecrata (3), et quod fuit prima sedes (4) Christi et summi pontificis, cuius ipse papa est vicarius; huius autem cupiditatis causam dicit esse Florentiam, unde manat semen avaritiæ. Dicit ergo Cunitia Danti: *La tua città,* scilicet, Florentia, *che è pianta di colui,* idest, planta diaboli, *che pria volse le spalle al suo Fattore,* idest, qui (5) Lucifer ante omnem creaturam factus est rebellis Deo creatori suo, *e l' invidia di cui è tanto pianta,* idest, et cuius Luciferi invidia tantum deploratur ab hominibus, quia diabolus invidia motus fecit hominem cadere in peccatum; ex quo lapsus est in tantam miseriam quod semper vixit in planctu, *produce,* quia condit (6) et fabricat, *e spande,* quia per mundum diffunditur, *il maledetto fiore,* scilicet, lilium; per hoc innuit florenum, in quo impressum est lilium ex una parte, et Joan-

(1) E. ubi Dominus noster Jesus Christus.
(2) E. fudit pretiosissimum suum.
(3) E. consecrata morte Jesu Christi, et quod.
(4) E. sedes eiusdem Domini nostri Jesu Christi pontificis summi, cuius.
(5) E. qui diabolus Lucifer. (6) E. cudit et fabricat.

nes Baptista in alia, *c' ha disviate le pecore e gli agni, perocchè ha fatto lupo del pastore,* quasi dicat, quod non solum florenus est causa retrahendi papam a memoria terræ sanctæ, sed etiam removendi ipsum pastorem a proprio [1] officio, quod est custodire gregem Domini sui, ex quo sequitur deviatio pecorum et agnorum a proprio pabulo, scilicet ab evangeliis, epistolis, prædicationibus et orationibus, quia vacatur solum decretalibus; unde dicit: *per questo,* scilicet, florem, *l'Evangelio e i Dottor magni,* qui docent salutem animarum, *son derelitti,* idest, neglecti, *e solo si studia ai Decretali,* quæ tradunt beneficia, lucra, et honores etc., quod signa evidentia demonstrant; unde dicit: *sì che pare ai loro vivagni,* idest, vestibus eorum sumptuosis, variatis: vivagnum enim vocatur [2] extremitas panni, per quod pannus cognoscitur. Vadunt enim pastores moderni cum mantis amplis, subtilibus, mollibus, de quibus dicetur plenius inferiori capitulo. — *A questo.* Hic autor repetit quod dixerat, dicens: *Il papa e i cardinali intende a questo,* scilicet, cupiditati pecuniæ, et decretalibus cupiditatis causa; *e i lor pensieri non vanno a Nazarette,* quæ est de terra sancta, *là dove Gabbriello aperse l'ali,* scilicet, tempore Annuntiationis [3]. — *Ma Vaticano.* Hic ultimo ostendit quomodo cito ad culpam sequitur vindicta, et prædicit mortem miserandam ipsius Bonifacii: *Ma* [4] *Vaticano,* quod est cimiterium, ubi sepultum fuit corpus beati Petri, et multorum aliorum Pontificum, *e l'altre parti elette di Roma,* scilicet a Deo, in quibus sunt corpora multorum martyrum et templa sanctorum; unde dicit: *che son state cimitero alla milizia,* scilicet, martyrum et sanctorum qui pugnaverunt usque

---

(1) E. a proprio sui officio.
(2) E. appellatur.
(3) E. Annuntiationis gloriosissimæ Virginis Mariæ. — *Ma.*
(4) E. dicens: *Ma.*

ad mortem pro fide [1] Christi et Ecclesia Dei, *che seguette Pietro,* quia militaverunt sub signo Petri, et militando perierunt, *tosto fien libere dell' adultèro,* idest, ab ipso Bonifacio adultero, qui non legitime accepit sponsam Christi, scilicet Ecclesiam, ut alibi sæpe dictum est; quando enim accepit sponsam vivebat eius legitimus vir Cælestinus [2]; vel dicas ab adulterio Bonifacii quod commisit cum sponsa, idest Ecclesia Dei, quæ habebat Cælestinum in suum [3] verum pontificem. Et in hoc prædicit mortem Bonifacii, qui tertio anno postea captus est et turpiter mortuus.

---

(1) E. fide Domini Jesu Christi Redemptoris nostri pretiosissimi et Ecclesia.
(2) E. scilicet Cælestinus.
(3) E. in suum virum et pontificem verum. Et in hoc.

CANTUS DECIMUS, *in quo ponitur ascensus in speram solis, ubi introducitur sanctus Thomas de Aquino.*

G*UARDANDO nel suo Figlio con l'Amore.* Postquam in duobus capitulis proxime præcedentibus autor noster tractavit et determinavit de animabus sequutis influentiam Veneris (1); nunc consequenter in isto capitulo X, accedit ad tractandum de animabus beatificatis sub influentia solis. Et præsens capitulum breviter dividitur in quatuor partes generales; in prima quarum describit ordinationem cœli et horam temporis. In secunda describit eius ingressum in speram solis, et excellentiam animarum (2) existentium, ibi: *Lo ministro maggior.* In tertia describit suam regratiationem, et actionem et motionem illarum animarum in generali, ibi: *E Beatrice cominciò.* In quarta et ultima describit in speciali unam animam modernam præclarissimam, quæ describit se et quasdam animas singulares de spera solari, ibi: *E dentro.* Ad primum veniens dico quod autor in prima parte generali describit ordinationem cœli: et primo continuato ordine præmittit ordinem universi; et sententialiter vult dicere, quod summus Deus sua potentia, sapientia et amore dedit ordinem universitati creaturarum; unde dicit: *Lo primo et ineffabile valore,* Deus (3) pater, idest, omnipotens, qui est primo (4) sine principio, et infinitus incomprehensibiliter, *guardando,* scilicet, intelligendo, *nel suo Figlio,* idest verbum eius quod est sapientia patris, *con l'Amore,* idest, Spiritu Sancto, *che,* idest, quem amorem, *l' uno e l' altro,* scilicet pater et filius, *spira eternalmente,*

---

(1) S. veneream.
(2) E. animarum ibidem existentium.
(3) E. Deus pater omnipotens, qui.
(4) S. primus.

quia Spiritus [1] procedit æqualiter ab utroque, *fe con tanto ordine quanto si gira per mente o per occhio,* quasi dicat: quicquid potest cogitari mentaliter, moveri localiter in universo, ab ipsa trinitate est taliter ordinatum, quod nihil potest ab ipso ordine declinare. Et subdit quod tantus ordo esse non posset nisi ab uno principe, qui tot et tam diversa contraria inter se repugnantia simul connecteret et ligaret. Unde dicit: *ch' esser non puote,* idest, iste tantus ordo esse non potest, *senza gustar di lui,* idest, sine sentire et participare de Deo, qui est prima causa ipsius ordinis, et qui dat omnibus esse et motum; unde et primo capitulo huius Paradisi dictum est de isto ordine: *e questo è forma che l' universo a Dio fa simigliante:* et dicit: *chi ciò rimira,* idest, si quis bene subtiliter advertat: unde philosophi admirantes istum ordinem devenerunt in cognitionem Dei. — *Leva.* Hic autor describit ordinationem [2] cœli: et primo invitat auditorem ad considerandum mirabilem ordinem quo corpora superiora moventur, et regunt inferiora. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod motus firmamenti [3] trahit [4] ab oriente versus occidentem; planetæ vero contra istum motum faciunt contrarium cursum sub aliquo circulo, qui dicitur zodiacus, qui in spera intersecat circulum æquinoctialem, et intersecatur ab eo in duas partes æquales; et una medietas zodiaci declinat versus septentrionem, alia versus meridiem. Et totus iste zodiacus dividitur in duodecim partes æquales; et quælibet pars est una constellatio, quæ appellatur signum. Alloquitur ergo autor lectorem, et dicit: quandoquidem sic est quod omnia habent ordinem, *Dunque, o lettor, leva la vista meco,* idest, speculationem intellectualem,

---

(1) E. Spiritus Sanctus procedit. (2) S. ordinem.
(3) E. firmamenti ab oriente versus occidentem terminatur; planetæ.
(4) 4, est.

all' alte rote, idest, ad cœlos, *dritto a quella parte dove l' un moto all' altro si percuote,* idest, ubi motus firmamenti percutitur cum motu planetarum; quasi dicat: dirige intellectum tuum ad considerandum motum planetarum, qui est contrarius motui firmamenti necessario ad conservationem universi. — *E li comincia.* Hic autor specialiter admonet lectorem ut contempletur quomodo isti motus operantur in terra per potentiam et artem divinam. Unde dicit: *E li comincia a vagheggiare,* idest, in dictis rotis contemplari, *nell' arte,* idest, cursum (1) et artem naturæ, *di quel maestro,* scilicet, Dei, *che l' ama,* scilicet, illam artem, *dentro a sè tanto, che mai non parte l' occhio da lei,* quia semper tenet oculum fixum super illam artem, quæ est ipsa natura; aliter cœli qui sunt instrumenta divini fabri paterentur, quod est impossibile; unde subdit: *vedi come l' obliquo cerchio,* idest, zodiacus tortuosus, *che porta i pianeti,* quia omnes planetæ moventur sub zodiaco semper per signa eius, *si dirama da indi,* idest, ab illo firmamento, ubi dividitur zodiacus in diversos ramos, quia sex signa declinant versus polum arcticum quæ appellantur septentrionalia, scilicet aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo; alia sex declinant versus polum antarcticum, quæ appellantur meridionalia, scilicet, libra, scorpio, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces; et dicit: *per soddisfare al mondo che gli chiama,* idest, causa conservandi mundum inferiorem, qui indiget necessario tali motu obliquo planetarum. — *E se la strada.* Hic autor probat quod via planetarum necessario sit obliqua rationibus efficacibus. Ad cuius intelligentiam est primo (2) notandum, quid mali sequeretur si sol et alii planetæ semper recte procederent; nam si sol et alii planetæ continuo moveren-

(1) 4, cursu et arte naturæ. (2) S. e E. prænotandum.

tur in medio cœli æquidistanter, semper esset temperies veris, et sequeretur istud malum quod terra nunquam conciperet, quod agit in hyeme; nec fructus maturescerent deficiente calore intenso qui ad maturitatem requiritur eorumdem. Si vero sol moveretur nobis propinquus sicut in extremo [1], nec fieret generatio alicuius terrenorum, nec cresceret; si vero esset semper remotus ut in hyeme, non producerent herbæ nec arbores fructum suum ad maturitatem, et [2] frigus adversaretur eidem. Nunc ergo ad literam dicit autor: *E se la strada lor non fosse torta,* idest, si via ipsorum planetarum non esset obliqua, sed recta, sicut sub æquinoctiali in medio speræ, *molta virtù sarebbe invan nel cielo,* quia scilicet, non ageret in ista inferiora, sicut nunc agit, *e quasi ogni potenzia quaggiù morta;* quia materia quæ est in potentia ad omnem formam, non deduceretur in actu, et sic esset frustra. Ita dicit Aristoteles in libro de generatione et corruptione: quia si sol et alii planetæ non elongarentur a nobis et appropinquarentur nobis, non esset in mundo generatio et corruptio; et ita cœlum non operaretur hic inferius, quia propter eorum elongationem et appropinquationem fit distinctio temporum, quorum unum est optimum ad seminandum, aliud ad producendum herbam, aliud ad colligendum; unde subdit: *e assai dell' ordine mondano sarebbe manco e su e giù;* idest, multum ordinis deficeret superius et inferius in speris, in cœlo et in terra, *se il partire fosse più o men lontano,* quam supple, nunc vagentur, *dal dritto,* idest ab æquinoctiali, idest, si cursus planetarum continuo esset longinquus et propinquus nobis, quia distinctio temporum non esset, quæ faciunt generationem et corruptionem, ut dictum est. — *Or ti riman.* Hic nolens ul-

(1) Così leggono i Codici: sembrerebbe dovesse dire: *sicut in æstate.*
(2) S. e E. cum frigus.

terius procedere circa istam materiam relinquit studio et ingenio auditoris, si velit ulterius investigare, excusans se si non prosequitur materiam inchoatam. Unde dicit: *O lettor, or ti riman sovra il tuo banco,* idest, in studio tuo, *pensando dietro,* idest, meditando et speculando, *a ciò che si preliba,* idest, circa materiam prætactam pro evidentia. Et assignat fructum huius studii, dicens, *se vuoi esser assai lieto pria che stanco;* quasi dicat: talis est materia inchoata, quod si exerceas tuum ingenium circa cognitionem eius recipies magnam delectationem antequam intellectus tuus sit fatigatus; quasi dicat: quamvis labor huius investigationis sit maximus, tamen tanta est delectatio, quod non permittit animum fatisci; nam continuo magis et magis accenditur appetitus; nam admirabiles delectationes affert inquisitio veritatis potentibus causas rerum cognoscere, ut ait Aristoteles. Et subdit: *messo t' ho innanzi,* idest, proposui tibi dictam materiam, *omai per te ti ciba,* quia scilicet ista non sunt de principali intentione mea. Et assignat causam quare non prosequitur, dicens: *chè quella materia ond' io son fatto scriba,* idest, scriptor, non doctor, idest, materia status animarum poetice, quam assumpsi describendam, *ritorce tutta la mia cura a sè,* idest, trahit totam intentionem et operationem meam ad se, * principale thema, quasi dicat: non intendo docere astrologiam, quia habeo prosequi materiam poeticam de Deo * (1); nam, teste philosopho, poetæ fuerunt primi theologizantes de Deo.

Lo ministro. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit suum ascensum ad speram solis; et primo ostendit dispositionem ipsius solis, et dicit quod erat in principio arietis. Unde dicit: *Lo ministro maggior della*

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

natura, idest, sol. Ad quod [1] notandum quod sol stat in medio cœli tamquam rex in medio regni, qui totum regit, omnibus imperat. Habet namque Saturnum pro consiliario suo, quia consilium est senum; Martem pro belligero, sive duce belli, qui gerit bella; Jovem pro justitiario, quia Juppiter facit reges et rectores justos; Venerem pro provisore, quia dat omnia delectabilia regno; Mercurium pro nuntio, quia est deus eloquentiæ; Lunam pro præcone, quia luna est significatrix omnium quæ fiunt in cœlo, ut alibi dictum est. Unde dicit: *che imprenta il mondo,* idest, imprimit et sigillat, *del valor del cielo,* idest, influentia et virtute informativa cœli, unde [2] etiam philosophus, solem etc. et dicit: *e ne misura il tempo col suo lume,* quia facit nobis distinctionem temporum, ut dictum est; unde Martianus et Macrobius: ille inquam minister, *congiunto con quella parte,* scilicet, cum signo arietis, *che su si rammenta,* idest, memoratur paulo supra ubi dictum fuit, *dove l' un moto e l' altro* etc. Aliqui tamen et multi valentes dixerunt hic, quod autor intelligit de cancro, quod videtur mihi falsum et impossibile; quia sol semper fuit in ariete in toto libro isto: unde in principio istius libri expresse ostendit [3] autor, quomodo sol erat in ariete quando primo ascendit cœlum. Ergo jam non transisset ad cancrum, quia sic autor jam stetisset in paradiso tribus mensibus, cum tamen non steterit in inferno nisi tribus diebus, et in purgatorio totidem; præterea satis apparet quod loquatur de ariete per [4] id quod sequitur. Unde dicit: *si girava per le spire.* Spira appellatur illa giratio et revolutio quam sol facit singulis diebus; nam nunquam redit ad [5] idem punctum; facit enim sicut funis in girgillo supra puteum, vel sicut filum circa fusum, quia una revolutio fit juxta

---

(1) 4, quod est notandum. (2) S. e E. unde secundum philosophum.
(3) E. dicit. (4) S. pro eo quod. (5) E. ad eumdem punctum.

aliam successive paullatim, *in che,* idest, in quibus spiris, *ognora s' appresenta più tosto;* scilicet, quando est æquinoctium, quia tunc omnis hora æqualiter se præsentat. — *Et io era.* Hic autor fingit quomodo reperit se in spera solis per simile; unde dicit: *Et io era con lui,* scilicet cum ipso sole, *ma io non m' accorsi del salire,* idest, non perpendi quomodo vel quando intraverim corpus ipsius solis: per hoc autor innuit quod eius ascensus fuit imperceptibilis, quia non est dare medium inter speram et speram, ut jam dictum fuit in ascensu Mercurii et Veneris; a simili, *se non com' uom s' accorge, anzi 'l primo pensier,* idest, primum motum cogitaminis, *del suo venir,* idest, sicut homo sentit cogitamen postquam venit in mentem eius; sed tamen prius est in eo quam sentiat. — *È Beatrice.* Hic autor describit superexcellentiam et superexaltationem Beatricis in corpore solis; quæ quanto magis ascendit, intrat maius corpus et fit lucidior. Et sententialiter vult dicere: si sol est tam lucidus, splendidus et luminosus, qui est oculus mundi, minister maior naturæ, omnia illuminans, omnia gubernans, qualis nunc debebat esse Beatrix, quæ est lucidior, splendidior et luminosior sole? Dicit ergo admirative: *È Beatrice.* Ordina sic literam et construe quæ est fortissima et pessime intellecta a multis: si sol erat ita lucens, *quanto quel ch' era Beatrice convenia esser lucente da sè,* idest, qualem esse conveniebat in lumine superante solem, *dentro al sole dov' io entra'mi,* quasi dicat: infinite debebat esse lucens respectu illius luminis solis, quod erat parum respectu eius; et dicit: *non per color, ma per lume parvente,* idest apparente ex [1] superabundantia sui luminis, non propter colorem qui corporalis est, Beatricem dico, *quella che si scorge di bene in me-*

---

[1] E. ex abundantia.

glio, idest, quæ quanto plus ascendit versus primam causam, tanto magis noscitur (1) ascendere gradatim de bono in melius valor illius scientiæ, donec pervenerit ad finalem terminum; et dicit: *sì subitamente che l' atto suo non si sporge per tempo,* idest, non deducitur (2) in tempore, quia actus eius est instantaneus et imperceptibilis; nam ut jam dictum est, in instanti visa est fieri clarissima. — *Perch' io.* Hic autor excusat se ad descriptionem tam excellentis pulcritudinis et claritatis: et dicit quod ad hoc non sufficit totus conatus hominis; unde dicit: *perch' io chiami lo 'ngegno, l' arte e l' uso,* quasi dicat: quamvis ego experiar ingenium, artem, et usum, quæ tria videntur perficere quicquid homo aggreditur, *sì nol direi che mai s' immaginasse,* idest, non possem exprimere ita quod homo posset humaniter imaginari; sed bene potest credi et debet optari; unde dicit: *ma creder puossi e di veder si brami;* quasi dicat: postquam imaginativa non est sufficiens, fides et credulitas succurrant ad cogitandum quanto Beatrix erat lucentior sole; nam de rei veritate fides, non ratio, est illa quæ facit videre excellentem pulcritudinem Beatricis, quam intellectus humanus comprehendere non potest. — *E se le nostre.* Hic autor probat per locum a simili quare facultas humana non sufficit, scilicet propter defectum phantasiarum quæ recipiuntur a sensibus, et sensus visus non ascendit ultra claritatem solis; et sic non potest ille sensus dare phantasiam plusquam (3) comprehendat, sed potius ratiocinando potest magis credi. Unde dicit: *E non è meraviglia se le nostre fantasie son basse a tanta altezza,* scilicet ad cogitandum quod Beatrix esset splendidior sole; et ecce rationem: *chè sopra 'l sole non fu occhio ch' andasse,* quasi dicat: oculus humanus non potest videre rem cla-

(1) E. videtur. (2) S. ducitur. (3) E. ultra quam.

riorem sole, ita intellectus humanus non potest comprehendere rem clariorem sole, qualis nunc erat claritas Beatricis. Et hic nota propriam et subtilem fictionem autoris; sicut sol est maius corpus cœleste et luminosius illuminans cætera, ita in eo sunt maiora et clariora ingenia illuminantia cætera. Hic enim sunt excellentissimi doctores supereminentes et illustrantes ecclesiam Dei, de quibus statim dicetur; ideo bene fingit Beatricem adeo luminosam in corpore solis.

Tal era quivi. Ista est tertia pars generalis (1), in qua autor describit in generali animas clarissimas apparentes in corpore solis; et dicit primo quod erant tales qualis Beatrix descripta est. Unde dicit: *La quarta famiglia,* scilicet, clarorum doctorum secta, quæ est quarta ascendendo (2), *era tal quivi,* idest, tam splendens (3) sicut Beatrix in ista spera solis, *dell' alto padre,* scilicet solis, *che sempre la sazia,* scilicet mirabili virtute sua, *mostrando come spira,* idest, influit, *e come figlia,* idest, generat. Et hic nota quod per hoc autor dat intelligi quod influentia solis facit istos excellentes doctores; sicut enim est pater terrenorum ita et literatorum. — *E Beatrice.* Hic autor ponit præceptum Beatricis ad se circa regratiationem faciendam de tanta gratia sibi divinitus concessa; unde dicit: *E Beatrice cominciò,* supple dicere: *ringrazia il sol degli angeli,* scilicet Deum, qui illuminat angelos in cœlo, sicut sol corporalis (4) homines in terra, *che t' ha levato sensibil* (5), quia sol materialis sentitur per operationes suas sensibiliter, sed Deus comprehenditur solum cum intellectu, ubi ille cum sensu.—*Cuor di mortal.* Hic autor ostendit quomodo obedienter fecerit imperata describens suam devotissimam dispositionem ad red-

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) E. in ascendendo.
(3) E. splendida.
(4) E. corporales homines illuminat in terra.
(5) E. *sensibil per sua grazia;* et notanter sensibilis, quia sol materialis.

dendam gratiarum actionem [1]: *Cuor di mortal,* idest cor humanum, *non fu mai sì digesto,* idest, dispositum, *a divozione e cotanto presto a rendersi a Dio con tutto 'l suo gradir,* idest, gratificatione vel gratiarum actione, *come mi fec' io a quelle parole,* idest, Beatricis; et loquitur autor hyperbolice. Et subdit: *e sì tutto 'l mio amor si mise in lui,* scilicet Deum, *che Beatrice ecclissò,* idest, eclipsata est, idest, nubilata in luce [2], *nell' obblio,* idest, in oblivione, quasi dicat: recessit a memoria mea. Et hic nota quod per hoc autor subtiliter admonet virum studiosum, ut aliquando dimissa speculatione sacræ scripturæ vacet orationi divinæ, exemplo Thomæ [3] de Aquino, de quo statim dicetur, qui positus in articulo mortis etc. — *Non le.* Hic autor ostendit quomodo, oratione perfecta, rediverit ad primam speculationem Beatricis: ideo bene fingit, *Non le dispiacque; ma sì se ne rise,* idest, imo potius lætata est, et reduxit eum ad primum officium; unde dicit: *che lo splendor degli occhi suoi ridenti,* idest, lumen speculationis eius læte delectabilis, *divise in più cose la mia mente unita,* idest mentem meam unitam totam in devotione et simpliciter intentam in gratiarum actione divisit in plures res; quia retraxit eam ad videndum plures spiritus lucentissimos, ut statim sequitur. — *Io vidi.* Hic autor incipit describere illam quartam familiam prædictam quantum ad motum et quantum ad cantum, dicens: *Io vidi più fulgori,* idest, fulgentes doctores, *vivi,* quia non est mortuus qui scientiam vivificavit, ut ait Ptolomæus, *e vincenti,* scilicet lumen solis; nam, ut dictum est supra, Beatrix erat splendidior sole, et isti beati erant qualis Beatrix; vel *vincenti,* scilicet, alios spiritus, qui se ostenderunt in aliis tribus speris inferioribus Lunæ [4], Mercurii et Veneris, *far di noi centro,* quia

(1) E. actionem, dicens: *Cuor.*
(2) E. in lumine.
(3) E. beati Thomæ.
(4) E. scilicet Lunæ.

cœperunt moveri velociter circa Beatricem et autorem, qui stabant firmi in medio sicut centrum; unde dicit: *e di sè far corona,* quia scilicet de se fecerunt unum circulum. Et subdit quod cantus eorum tenebat maiorem extremitatem in dulcedine, quam lumen in claritate; unde dicit: *più dolci in voce,* scilicet, canendo, *che 'n vista lucenti,* scilicet splendendo. Et per hoc autor innuit, quod maior est dulcedo et delectatio doctrinæ istorum doctorum, quam gloria famæ eorum. — *Così cinger.* Hic autor per comparationem ostendit circulationem illarum (1) animarum, et dicit quod ipse et Beatrix stabant in illa corona sicut luna quando est rotunda, et est aliqualiter prægnans vaporibus, et facit circa se unum circulum longe per dimidium diametrum, circa unum brachium. Unde dicit: *Noi vedem talvolta la figlia di Latona,* idest, lunam (2) quando est vaporibus tenuissimis circulata, *cinger così,* idest, ita facere circulum circa se, sicut faciebant illæ animæ circa nos. Et dicit quod hoc non fit semper, sed quando est ita prægnans aer vaporibus, quod filum quod facit illum circulum se conservat et retinet; et non sit ita spissus ille vapor, quod celet corpus lunæ, quia tunc non apparet talis circulus; unde dicit: *quando l' aere è pregno,* scilicet nubibus, *sì che ritenga il fil che fa la zona,* idest, circulum exteriorem qui cingit eam. Zona enim idest cintura; et ille circulus stat circa lunam ad modum cinturæ, cum corpus lunare est totum rotundum ex omni parte; ideo bene talis circulus metaphorice appellatur cintura ab autore. Quomodo autem luna dicatur filia Latonæ positum est et expositum subtiliter in Purgatorii capitulo. — *Nella corte.* Hic autor descripto motu circulari animarum illarum describit cantum ineffabilem earum; et cum sit incom-

---

(1) S. istarum. (2) E. luna.

prehensibilis, primo præsupponit quod multa sunt pretiosa in cœlo, quæ non possunt describi nec manifestari (1). Unde dicit: *Molte gioie,* scilicet differentes in gloria, quia plus et minus prout sunt capaces illius, *si trovan care e belle,* sicut patet sigillatim in spera, *nella corte del ciel dond' io rivegno,* idest, de qua ego revertor, *tanto che non si posson trar del regno,* scilicet cœlesti, idest, adeo quod non possunt manifestari hic inferius relatione linguæ vel descriptione pennæ. — *E il canto.* Hic autor præmissa dicta positione, dicit quod cantus illarum animarum est una de illis rebus caris et pretiosis, quæ non possunt hic manifestari; et ideo qui vult scire de cantu illo dulcissimo volet in cœlum sicut ego feci, aliter nunquam posset scire hoc. Dicit ergo: *E il canto di que' lumi,* idest, illorum doctorum luminosorum, *era di quelle,* idest, de illis jocalibus caris et pulcris, quæ non possunt trahi ex illo regno: et ideo, *chi non s' impenna,* idest, quicumque non implumat se, idest, non induit sibi pennas et alas speculationis, sicut ego feci, *aspetti le novelle quindi dal muto,* quasi dicat expectet audire nova de illo cantu in mundo isto (2) a muto, qui nunquam dicet sibi, quasi dicat: in vanum expectabit scire cantum talem in mundo, si non volet mentaliter ad cœlum sicut ego volavi. Et nota quod autor bene fingit hoc, quia moraliter loquendo satis potest prædicari et dici de dulcedine cantus, idest de delectatione doctrinæ istorum doctorum, quod homo capiat illam si non gustet per experientiam et scientiam de illa; unde ignorantes non possunt credere nec capere quod sit tanta delectatio in speculatione scientiæ, quanta est apud expertos. — *Poi sì cantando.* Hic autor descripto motu et cantu illarum animarum, nunc describit arrestationem

(1) S. manifeste sciri. (2) E. isto ab homine muto.

et quietationem ipsarum per comparationem claram dominarum: et dicit quod illæ animæ beatæ apparuerunt ibi in forma dominarum quæ tripudient, et tripudiando remorentur, donec collegerint notas [1] cantionis post girationem ipsarum quam fecerant sicut stellæ circa polos. Nunc ad literam; dicit autor: et illæ animæ beatæ, *Mi parver donne non sciolte da ballo,* imo connexæ in simul, quia tenent se per manus, *ma che s' arrestin tacite, ascoltando finchè hanno ricolte le nuove note.* Et hic nota quod autor dat comparationem quam potest, scilicet comparare humana divinis: pulcræ enim dominæ dulciter cantantes in tripudio summe delectant aspectum et auditum videntium et audientium; et ita istæ animæ præclaræ cantantes in circulo summe delectant visum et auditum autoris, quæ ad modum dominarum tripudiantium restaverunt parum et quieverunt, ut audirent novam notam unius earum, quæ in tripudio, idest, in rota sive corona illa circulari loquutura erat autori. Et hoc dico fecerunt post aliqualem girationem earum, quam specificat per unam pulcerrimam comparationem, dicens: *poi che quelli ardenti soli,* idest, animæ illorum sapientum splendidiores sole, in illa spera solari, *si fur girati tre volte,* ad laudem Trinitatis, *intorno a noi,* idest, circa Beatricem et me [2], *sì cantando,* idest, sicut dictum est secundum illum cantum ineffabilem; et dicit: *come stelle vicine a' fermi poli.* Et hic nota quod comparatio est propriissima. Sicut enim stellæ lucentes describunt unum brevem circulum * vicinum circa polum; ita istæ animæ splendentes faciebant circulum vicinum circa autorem et Beatricem, qui stabant firmi in medio, sicut polus, punctus vel centrum: et sicut illæ stellæ * [3] circa polum girantes dirigunt navigantes in mari ad salutis portum; ita

(1) E. notam. (2) E. me ipsum, sì.
(3) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e Strozziano.

isti doctores dirigunt degentes in sæculo amaro (1) ad finem felicitatis et salvationis: et sicut dictæ stellæ sunt altiores nobis et perpetuæ apparitionis, ita isti doctores erant eminentiores et perpetuo apparentes nobis etc. Qui autem sint poli et quid sint jam sæpe dictum est in inferno et purgatorio, et dicetur in paradiso isto.

E dentro all' un. Ista est quarta et ultima pars generalis (2), in qua autor introducit unam animam præclarissimam moderni doctoris, quæ describit se et alias (3). Hæc autem erat anima eximii doctoris (4) Thomæ de Aquino; de cuius morte et dignissima (5) commendatione scriptum est in Purgatorii capitulo. Inducit autem istum merito manifestantem alios doctores, quia illos familiariter noverat, eorum (6) dicta et scripta summo studio et scrutinio investigans (7). Primo ergo inducit dictum Thomam, qui prævenit autorem, non expectata eius interrogatione, ostendens quod vult satisfacere eius (8) desiderio, quia cognoscit tantam gratiam lucere in ipso autore. Dicit ergo autor: *E sentii cominciar dentro all'un,* scilicet Thomam de Aquino audivi incipere loqui et dicere. Ordina sic literam: *qual ti negasse il vin della sua fiala per la tua sete,* idest, quicumque nostrum denegaret tibi dulce eloquium suum ad extinguendam sitim tui desiderii, *non fora in libertà,* quia scilicet caritas in qua sumus facit nos velle satisfacere indigentiæ justorum, et libere hoc facimus; quod si non faceremus non haberemus libertatem arbitrii, quia (9) non possumus facere illud quod volumus: hoc autem est impossibile in illo beato regno. Hoc (10) autem declarat per simile dicens:

(1) E. sæculo hoc amaro. (2) E. generalis huius capituli, in qua.
(3) E. et alias ibidem animas. Hæc. (4) E. doctoris illius beati Thomæ.
(5) E. et dignissima eius commendatione.
(6) E. et eorum dicta. (7) E. investigavit.
(8) E. eiusdem desiderio. (9) E. quando.
(10) E. Et declarat hoc per.

se non com' acqua ch' al mar non si cala, sicut aqua stagni, cum tamen omnis aqua naturaliter inclinetur ad mare, *quando,* pro quia, *lo raggio della grazia,* idest, radius divinæ gratiæ, *onde s' accende verace amore,* quia rectus amor divina gratia accenditur ad amandum summum bonum, *e che poi cresce amando,* quia amor sic accensus continuo magis flagrat ardore [1] caritatis, *multiplicato in te,* nam radius divinæ gratiæ primo concessit te descendere per infernum, secundo ascendere per scalam purgatorii: et nunc tertio concedit tibi ascendere per summam scalam paradisi; unde dicit: *tanto risplende in te, che ti conduce su per quella scala,* scilicet. cœli, et dicit: *u',* idest, unde, *nessun discende senza risalir,* quia nullus descendit de cœlo, qui non reascendat ipsum, sicut patet de multis angelis et animabus beatorum. Et sic nota pro autore, quod si sic est adhuc debet reverti ad paradisum; unde jam sibi sæpe promisit reditum ad cœlum: et bene quia unusquisque debet credere se esse de numero salvandorum [2]: *tu vuoi saper di quai piante s' infiora questa ghirlanda,* idest ex quibus animabus floridis texitur ista corona, *che 'ntorno vagheggia,* idest, quæ corona floridorum doctorum circumspicit delectabiliter, *la bella donna,* scilicet pulcram scientiam theologiæ, *ch' al ciel t' avvalora,* idest, quæ animat et vigorat te ad ascendendum cœlum. — *Io fui.* Hic Thomas explicato desiderio autoris incipit satisfacere ipsi desiderio, manifestans primo se ipsum. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod iste Thomas fuit italicus de regno Apuliæ, de civitate quæ dicitur Aquinum, nobili genere, quia de comitibus de Aquino antiquissimis, scientia clarus, vita insignis, qui plurima scripsit præcipue in sacra theologia etc., cui dictum est: bene scripsisti

---

(1) E. amore.

(2) E. salvandorum, et se ad id totis affectibus præparare: *tu vuoi.*

de me Thoma etc. Nunc ad literam dicit Thomas: *Io fui degli agni,* idest, purus, innocens ad modum agni, *della santa greggia,* idest sancti ordinis prædicatorum, *che Domenico,* tanquam bonus pastor Dominici gregis, *mena per cammino,* idest per regulam paupertatis; et dicit: *u' ben s' impingua,* idest, in qua regula bene impinguatur, quantum ad animam intelligas, non quantum ad corpus, quia fratres prædicatores non comedunt carnes. Et hic nota quod Thomas notanter dicit (1): *ben s' impingua,* quia pinguedo animæ bona (2) est; et alleviat hominem et erigit ad cœlum; pinguedo vero corporis mala est, quia aggravat animam, et deprimit pondere suo ad terram, et sæpe suffocat ipsum corpus, *se non si vaneggia,* idest, si non vacatur vanitati mundanæ vanagloriæ. Sunt enim prædicatores communiter gloriosi (3), habent habitum curiosum, et vacant multum excellentiæ honoris. — *Questi.* Hic Thomas describit secundam animam de corona illa, scilicet Albertum magnum eodem (4) ordine prædicatorum. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod Albertus iste fuit vir multimodæ scientiæ, singularissimus philosophus, astrologus, medicus magnus, naturalis experimentator, qui plurima et utilia opera fecit, in naturalibus præcipue; qui a multis dictus est secundus Aristoteles, quamvis aliqui præponant Averroim; qui interrogatus utrum (5) plura noverit etc., qui sæpe allegatur in scripto isto; et hoc sufficiat ad laudem sui. Nunc ad literam, dicit Thomas: *questi che m' è a destra più vicino,* quia fuit sibi familiarior tamquam doctor eius, *fummi frate,* quia de eodem ordine mecum, *e maestro,* qui aliquando vocavit ipsum Thomam bovem mutum. Et subdit specificans illum et se a nomine et patria; *ed esso Alberto è*

(1) E. dixit.
(2) E. optima est et alleviat hominem ab omnibus terrestribus, et erigit.
(3) S. vanagloriosi. (4) E. de eodem. (5) E. uter plura.

di Cologna. Est enim Colonia etc.[1], unde fuit Juvenalis poeta. Et hic nota quod isti fuerunt duo luminaria magna istius ordinis: Albertus in naturalibus, Thomas in divinis. — *Se tu.* Hic Thomas reddit autorem attentum ad cognitionem cæterorum spirituum illius coronæ, dicens: *Se tu ten vien diretro al mio parlar col viso,* idest, speculatione tua, *girando su per lo beato serto,* idest gradatim et circulatim[2] discurrendo per istam coronam beatorum doctorum. — *Quell' altro.* Hic Thomas describit alium doctorem, scilicet Gratianum monachum. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod iste Gratianus fuit monachus de ordine[3], qui fecit opus egregium, quod dicitur decretum, in quo etc. Opere autem perfecto, transtulit se ad curiam romanam causa publicandi etc. Nunc ad literam, dicit Thomas: *Quell' altro fiammeggiare,* idest, caritas ardens, *esce del riso,* idest, de lætitia, *di Graziano,* vere gratia plenus et gratus Deo et mundo; unde dicit: *che aiutò l' uno e l' altro fòro,* scilicet, humanum et divinum, scilicet civile et canonicum, *sì che pare in paradiso,* idest, ostenditur in ista spera solis; quia in paradiso beatificatus est sub influentia solis propter merita sua: fecit autem opus suum in civitate Bononiæ, in monasterio sancti Felicis in cellula parva etc. — *L'altro.* Hic Thomas describit alium doctorem, scilicet Petrum Lombardum. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod iste fuit magister Petrus Lombardus episcopus parisiensis, qui fecit opus sententiarum in sacra theologia, quod ubique legitur publice in scholis a magnis magistris, super quod sunt facta multa et magna opera per multos excellentes viros[4], sicut per Thomam de Aquino et alios multos: fecit autem librum istum etc. Nunc ad literam; dicit Thomas: *L' altro che appresso,* scilicet, juxta Gra-

---

(1) E. Colonia etc. *Et io Tomas d' Aquino.* Est enim Aquinum etc., unde fuit.
(2) E. oculatim. (3) S. ordine eiusdem, qui. (4) E. doctores.

tianum, *adorna il nostro coro,* idest, decorat nostram coronam et societatem doctorum, *quel Pietro fu che offerse a santa chiesa suo tesoro,* idest, suum pretiosum et carum opus, *con la porerella.* Hoc ideo dicit, quia Petrus iste magister sententiarum in prohemio sui libri offert suum librum, sicut paupercula obtulit olim duo minuta. Et certe sicut illa duo minuta fuerunt magis accepta Deo quam magna munera multorum; ita istud parvum opus fuit carius, quam maxima volumina multorum. — *La quinta.* Hic Thomas describit quintum spiritum eminentissimum dictæ coronæ, scilicet Salomonem, dicens: *La quinta luce,* idest, anima lucentissima, *che è più bella tra noi,* ratione maioris sapientiæ, *spira di tale amor,* idest, spirituali gratia Dei, *che tutto 'l mondo ne gola,* idest, affectat, *là giù di saper novelle,* scilicet utrum sit salvatus vel damnatus; doctores enim multum discrepant de eo in sententiis et opinionibus suis. Ad quod notandum quod aliqui doctores ponunt Salomonem salvum etc. Et subdit quia (¹) iste spiritus sit pulcrior et eminentior cæteris, dicens: *u' sì profondo savere,* idest, tam profunda sapientia, *fu messa nell' alta mente,* idest, excellente illius Salomonis, *che a veder tanto,* idest tantam profunditatem sapientiæ, *non surse il secondo,* quia scilicet non habuit parem, intelligas inter reges, ut declarabitur infra; et dicit: *se 'l vero è vero,* si pro quia, quia Deus non mentitur, qui sibi dixit illud quod dicetur in XIII capitulo. — *Appresso.* Hic Thomas describit alium spiritum, scilicet Dionysium Areopagitam, de quo dicetur inferiori capitulo. Iste fuit græcus, magnus philosophus primo; postea magnus (²) doctor post conversionem suam; qui fecit libros utilissimos (³) fidei christianæ, scilicet librum de cœlesti hierarchia, de angelica hie-

---

(¹) E. quod. (²) E. maximus. (³) E. utillimos.

rarchia, de divinis nominibus etc. Dicit ergo: *Appresso vedi,* scilicet post Salomonem, *il lume di quel cero,* idest claritatem illius lucentis cerei, idest ardentis spiritus Dionysii, *che giuso in carne,* idest vivens in mundo, *vide più addentro,* idest, profundius [1] cognovit mentaliter, *l'angelica natura e 'l ministero;* quia scilicet excellentius scripsit de natura et officio angelorum, quam alius quisquam; unde autor præfert eum Gregorio doctori inferiori capitulo. — *Nell'altra.* Hic Thomas describit alium [2] doctorem vel spiritum de dicta corona, scilicet Ambrosium vel Orosium. Unde ad evidentiam istius literæ est notandum quod litera ista potest verificari tam de Ambrosio quam de Orosio. De Ambrosio quidem quia fuit magnus advocatus temporum christianorum, quia tempore suo pullulaverunt multi et magni hæretici; contra quos Ambrosius defensavit ecclesiam Dei, immo et contra Theodosium imperatorem fuit audacissimus; et ad eius prædicationem Augustinus conversus fuit ad fidem, qui fuit [3] validissimus malleus hæreticorum. Potest etiam intelligi de Paulo Orosio, qui fuit defensor [4] temporum christianorum reprobando tempora pagana, sicut evidenter apparet ex eius opere quod intitulatur Ormesta mundi, quem librum fecit ad petitionem beati Augustini, sicut ipse Orosius testatur in prohemio dicti libri. Ad hoc est sciendum quod tempore Augustini Roma fuit capta et spoliata a gothis etc., propter quod romani blasphemabant Christum, et damnabant tempora christiana, asserentes quod temporibus quibus colebant deos habebant magnas victorias et triumphos, et florebant opibus et omnibus bonis; tempore vero Christi [5] quotidie erant præda barbarorum etc.; propter quod beatus Augustinus

(1) E. profunde. (2) E. alium spiritum doctoris de dicta.
(3) E. fuit postea validissimus.
(4) E. defensor ecclesiæ Dei tempore christianorum. (5) E. Jesu Christi.

tunc fecit librum de Civitate Dei, in quo pulcre probat et persuadet per dicta ipsorum paganorum et facta, qualiter tempora christiana sunt longe meliora paganis; et tunc scripsit Orosio presbytero hispano, quem sciebat esse magnum historicum, ut scriberet de eadem materia: unde ambo intendunt eumdem finem, licet dispari stilo; sic ergo patet ex dictis quomodo possimus intelligere de utroque prædictorum. Nunc ergo ad literam, dicit Thomas: *Quell' avvocato de' tempi cristiani,* scilicet, Ambrosius; nam per excellentiam potest dici advocatus christianorum magis quam Orosius, *del cui latino Agostin si provvide,* quia ad eius prædicationem conversus est ad fidem: et sic bene providit sibi [1], quia saluti animæ suæ et aliorum multorum, quia nullus copiosius, nullus subtilius scripsit Augustino; *ride,* idest, lætatur, *nell' altra piccioletta luce.* Hoc dicit quia fuit corpore parvus, sicut communiter sunt romani, tamen animo magnus sicut valens romanus; fuit enim Ambrosius nobilis romanus de stirpe Tignorum; vel [2] si intelligamus de Orosio, tunc litera exponatur sic: *quell' avvocato de' tempi cristiani,* scilicet Orosius, qui assumpsit causam christianorum defendendam contra paganos, ut dictum est, *del cui latino Agostin si provide,* quia Augustinus requisivit eum in suum subsidium, ut sic fortius duo quam unus certarent contra adversarios Christi. Unde ipse Orosius breviter percurrit omnia [3] magna mala mundi a principio sæculi usque ad tempus sui, scilicet usque ad tempus Honorii et Arcadii imperatorum romanorum; *ride in quella piccioletta luce,* notanter dicit, *piccioletta,* quia Orosius non extitit canonizatus, nec tantæ excellentis scientiæ fuit, sicut alii suprascripti et infrascripti. Et hic nota quod quamvis istud possit intelligi tam de Orosio

---

(1) E. sibi, scilicet saluti. (2) E. sed si. (3) E. omnia mala.

quam de Ambrosio, et licet forte autor intellexerit de Orosio, cui fuit satis familiaris, ut perpendi ex multis dictis eius; tamen melius est quod intelligatur de Ambrosio, quia licet Orosius fuerit vir valens et utilis, non tamen bene cadit in ista corona inter tam egregios doctores. — *Or, se tu.* Hic Thomas reddit autorem attentum ad considerandam aliam animam illustrissimam illius coronæ, dicens: *Or, se tu trani l' occhio della mente,* idest, si tu ordinate deducis oculum intellectualem, *di luce in luce,* idest, de una anima lucida in aliam, *dietro alle mie lode,* quas, scilicet, jam feci de septem animabus, *già dell' ottava con sete rimani,* idest, cum desiderio sciendi quæ fuerit. — *Per veder.* Nunc Thomas explicat quæ fuerit illa anima octava. Ad cuius intelligentiam est præsciendum, quod iste Boetius totum scibile scivit: in omnibus enim liberalibus etc. Nunc ad literam Thomas describit istum nunquam satis laudatum virum, videlicet a sanctitate vitæ, a singularis operis compilatione, ab exilii relegatione, a morte, a sepultura. Dicit ergo: *L' anima santa,* scilicet, Boetii, *vi gode dentro,* scilicet, inter illam lucem, *per veder ogni ben,* idest, causa videndi Deum, qui est omne bonum; et dicit: *che 'l mondo fallace fa manifesto,* scilicet (¹) in libro de Consolatione, quem ultimo compilavit tempore exilii et damnationis suæ. In quo quidem libro probat quæ sit falsa felicitas, et quæ vera; et quomodo temporalia fortuita non possunt conferre beatitudinem homini, immo potius faciunt ipsum infelicem; et dicit: *a chi di lei ben ode,* idest, si quis auribus mentis bene notet dicta eius animæ. — *Lo corpo.* Hic Thomas tangit exilium, mortem et sepulturam. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod Boetius damnatus a Theodorico rege gothorum, ut dictum est, trahe-

(¹) **E. scilicet ipse Boetius in libro suo de Consolatione.**

bat moram (1) in partibus Lombardiæ præcipue in civitate Papiæ, ubi ab uno ex fautoribus Theodorici strangulatus est; alibi autem reperii quod in territorio mediolanensi etc. Tamen constans opinio est in civitate Papiæ, quod quidam civis papiensis contra quem Boetius (2) erat advocatus interfecit eum. Nunc ergo ad literam dicit Thomas: *Lo corpo ond' ella fu cacciata,* idest, ex quo violenter fuit expulsa ipsa anima sancta Boetii, *giace giuso,* idest, sepultum est in mundo, *in Cieldauro,* idest, in monasterio quod appellatur cœlum aureum, in quo quidem monasterio est etiam corpus beatissimi Augustini in civitate Papiæ, quæ olim appellabatur Ticinus (3) a nomine perspicui fluminis, super quo sita est: postea autem dicta est Papia, idest admirabilis. Et subdit: *et essa,* scilicet, anima ista Boetii, *venne a questa pace,* scilicet, æternam, *da martiro e da esilio,* quia pro justitia et libertate usque ad mortem pugnavit. Et utitur autor ordine præpostero: primo enim tangit sepulturam, deinde mortem, ultimo exilium; tamen prius fuit exilium, deinde mors, tertio sepultura. — *Vedi oltre.* Hic autor describit tres animas sanctas simul trium doctorum; et primo Isidori, secundo Bedæ, tertio Richardi. Isidorus fuit hispanus episcopus hispalensis, bonus homo, multa scripsit. Beda fuit sacerdos anglicus et appellatur semper venerabilis, quamvis canonizatus; quod nomen scriptum est ab Angelo in eius sepultura. Diu vixit, adeo quod eius oculi nimia senectute caligaverunt etc. Richardus fuit monachus frater Hugonis de sancto Victore, de quo dicetur inferiori capitulo. Ad literam ergo, dicit Thomas: *Vedi oltre fiammeggiar,* idest, splendere post prædictos, *l' ardente spiro,* scilicet, amore divino, *d' Isidoro,* qui fecit librum de summo bono inter alios multos, *di Beda,*

(1) E. moram in civitate Papiæ, præcipue inter alias partes Lombardiæ, ubi ab.
(2) E. Boetius ipse erat. (3) E. Ticinia.

qui multa scripsit etc., *e di Riccardo,* et de isto dicit, *che fu più che viro a considerar.* Richardus enim [1] fecit librum de Trinitate, et multa [2] profunde scripsit supra humanum intellectum, ideo bene dicit, *più che viro.* — *Questi.* Hic ultimo Thomas describit duodecimum et ultimum spiritum. Ad quod sciendum quod iste ultimus spiritus fuit quidam doctor modernus parisiensis, qui diu legit Parisius in logicalibus [3], cui quidam discipulus præmortuus apparuit coopertus sophismatibus etc. Dicit ergo: *Questi, onde il tuo riguardo ritorna a me,* quia inspecto ipso ultimo spiritu coronæ reducis visum ad me, *è il lume d' uno spirto, che in pensier gli parve esser tardo a morir;* ubi enim mors naturaliter videtur festina omnibus, isti visa est tarda. Et subdit describens eum a nomine et a doctrina, *essa è la luce eterna di Sigieri, che leggendo,* scilicet in cathedra publice, *nel vico degli strami* idest, Parisius, in contrata ubi leguntur omnes scientiæ et artes, quæ appellatur vicus straminum, quia ibi venduntur etiam stramina sicut fœnum, palea etc., *sillogizzò,* idest, disputavit, *invidiosi veri,* idest, felices veritates relinquens fallacias logicales: invidiosus enim est ille cui invidetur propter suam felicitatem: et sic capitur in bona parte; invidus vero est ille qui invidet alteri; et sic capitur in mala parte. — *Indi.* Hic autor descriptis et manifestatis duodecim spiritibus præclaris constituentibus illam caram [4] coronam, nunc describit reditum illarum [5] animarum ad primum motum et cantum per comparationem pulcram et propriam horologiorum velociter se moventium et dulciter sonantium. Dicit ergo: ordina sic literam: *Indi,* scilicet, post sermonem Thomæ de Aquino, *vid' io la gloriosa rota,* idest, coronam illo-

(1) E. enim iste fecit.
(2) E. multa profudit et supra humanum intellectum scripsit, ideo bene.
(3) E. loicalibus. (4) E. claram. (5) E. aliarum.

rum gloriosorum doctorum, *muoversi,* scilicet circulariter, *e render voce a voce,* idest, proportionabiliter ([1]) conformare voces eorum in cantu; unde dicit: *in tempra et in dolcezza ch' esser non può nota,* idest, manifesta ([2]) et cognita, *se non colà,* scilicet, in cœlo, *dove s' insempra il gioire,* idest, ubi continuo et perpetuo gaudetur. Et hoc respicit id quod dixit supra, quod cantus illarum animarum non poterat trahi de cœlo; unde quicumque volebat scire de eo debebat volare in cœlum sicut ipse. Et hoc dico fecerunt illæ animæ, *così come orologio che ne chiami nell' ora che la sposa di Dio,* idest ecclesia, hoc est ([3]) religiosi qui serviunt in ecclesia, *surge a mattinar lo sposo,* scilicet Christum ([4]), idest ad dicendum matutinum, *perchè l' ami:* et subdit proprietates horologii, dicens: *che l' una parte e l' altra tira et urge,* idest, impellit, *sonando tin tin,* idest, pulsando campanellas, quarum sonus appellatur tinnitus: unde et campanella dicitur tintinnabulum. Et dicit: *con sì dolce nota, che 'l ben disposto spirto d' amor turge,* idest, inflatur amore serviendi Deo, et reddendi gratias et laudes Altissimo. Et sic vide quomodo comparatio est propria ad propositum præsens. Isti enim doctores studiosi consueverunt surgere de nocte ad studendum, sicut viri religiosi ad dicendum officium, cum tempus nocturnum sit magis aptum speculationi et contemplationi.

---

(1) E. proportionaliter.
(2) E. manifestata.
(3) E. hoc est clerici et religiosi.
(4) E. Jesum Christum.

CANTUS DECIMUS PRIMUS, *in quo ipse sanctus Thomas sub brevitate narrat historiam beati Francisci.*

O *insensata cura de' mortali.* Postquam in præcedenti proximo capitulo autor noster introduxit Thomam de Aquino qui propalavit sibi unam coronam animarum apparentem in corpore solis; nunc consequenter in isto XI capitulo inducit eumdem Thomam, qui declarat sibi unum dubium natum ex uno dicto posito in præcedenti capitulo. Et totum præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor increpat et damnat variam occupationem hominum circa diversa studia non ad finem veræ felicitatis. In secunda inducit dictum (1) Thomam qui tangit duo dubia moventia mentem autoris, ibi: *Poi che ciascuno.* In tertia Thomas pro solutione primi dubii describit et commendat vitam beati Francisci, ibi: *La provvidenza.* In quarta et ultima describit et damnat vitam suorum fratrum prædicatorum modernorum (2): et sic solvit primum dubium, ibi: *Pensa oramai.* Ad primum veniens dico, quod in prima parte generali autor increpat et damnat variam occupationem hominum circa diversa studia, non ad finem veræ felicitatis. Et primo facit invectivam contra homines qui tam dementer quærunt felicitatem in terrenis toto studio et ingenio, dicens: *O insensata cura de' mortali,* idest, o insana et insipiens solicitudo hominum, *quanto son difettivi sillogismi,* idest argumenta; sic exponatur large pro minus intelligentibus. Est autem syllogismus apud logicos oratio constans

---

(1) S. ipsum Thomam.   (2) E. modernorum ordinis.

ex tribus propositionibus; quarum prima vocatur maior, secunda minor, tertia conclusio. Modo syllogismi hominum sæpe sunt defectivi, quia non concludunt verum. Arguunt enim aliquando sic (1) syllogistice: summum bonum est illud quod potest dare homini omnia; * sed pecunia potest dare homini omnia, ergo pecunia * (2) est summum bonum: maior est manifesta, et minor declaratur propter commune dictum: Omnia pro (3) pecunia facta sunt: ergo conclusio vera: et certe ista conclusio non valet, quia minor est falsa; nam pecunia non solum non potest facere hominem sufficientem, sed potius facit eum pluribus indigentem; quia sæpe pecuniosus indiget auxilio alterius, quo suam pecuniam tueatur, ut probat Boetius. Unde dicit: *quei che ti fanno in basso batter l' ali,* idest, affectiones tuas, quia faciunt solum quærere inferiora terrena, et hoc contra ordinem datum per creatorem speciei humanæ, qui est tendere naturaliter sursum ad veram felicitatem, sicut probatum est primo capitulo huius Paradisi. — *Chi dietro.* Hic autor facta reprehensione generali, confirmat ipsam inductive discurrens per varia studia hominum, et breviter percurrit principalia studia hominum; unde dicit: *Chi,* idest, aliquis, *sen giva dietro a iura,* sicut legistæ qui sequuntur jura civilia et ventilant lites et jurgia; et isti quærunt ut plurimum vanam felicitatem, puta divitias et honores, contra quos Seneca in tragœdia prima (4): Hic superbi rabiosa fori jurgia etc., *e chi ad aforismi,* scilicet, medici; est enim aphorismus maxima (5) in medicina: unde Hippocras (6) doctissimus medicorum fecit librum aphorismorum, quem Galienus postea commentavit: et primo

(1) S. sicut syllogistæ.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.
(3) S. e E. per pecuniam.
(4) E. prima, dicens sic: Hic superbi.
(5) E. maxima quædam in.
(6) E. Hippocrates.

aphorismus pulcerrimus est iste: *ars longa, vita brevis, judicium difficile, tempus acutum, experimentum vero fallax;* et isti sæpe parum curant de felicitate vera, et sunt parum morales, contra quos Johannes Messanensis etc., *e chi s' affaticava seguendo sacerdozio,* sicut presbyteri et prælati qui sequuntur jura canonica; et isti quærunt magna beneficia et præbendas (1) ut vivant expensis Crucifixi: et multi ex istis epicurei sunt qui sic ædificant ut semper victuri, sic epulantur ut cras morituri, ut ait Hieronymus; *e chi regnar per forza,* sicut tyranni violenti, qui quærunt potentiam et dominium superbe; et isti non solum non quærunt veram felicitatem, sed superbiæ spiritu inflati non credunt sæpe maiorem dominum se, puta Deum; contra quos Persius poeta: *Summe parens* etc., *e per sofismi,* sicut viri religiosi, philosophi (2) et artistæ, quos justissime et meritissime increpat autor, quia sicut videmus de facto hodie omnes fere viri litterati et scientifici sunt sophistæ et sophistice agunt: et quod est absurdum dictu ipsi theologi nostri moderni reduxerunt sacram theologiam ad vanam sophistariam; contra quos potest dici illud Bernardi: *Vos autem sacerdotes fecistis Deum fabulam mundi.* Est enim sophisma argumentum apparens et non existens, *e chi rubare,* sicut stipendiarii, et isti videntur felicissimi (3), quia ferarum more vagantur et gaudent cæde et sanguine, et per consequens destruunt multum civilitatem; contra quos Lucanus: *nulla fides, pietasque viris qui castra sequuntur* etc., *e chi civil negozio,* sicut mercatores, artifices, qui negotiantur et vivunt civiliter, ordinate et polite, et isti videntur minus infeliciter agere cum (4) eorum artes et occupationes sunt plenæ maximis curis et innumerabilibus fraudibus: unde videtur hodie verum

---

(1) E. præbendas eximias ut.

(2) E. presbyteri.

(3) E. e 4, infelicissimi.

(4) E. e 4, tamen.

illud [1] quod unusquisque vivit secundum falsitatem artis suæ; quia scilicet, si mercator vel artifex vult facere artem suam fideliter et legaliter, nihil lucratur et in penuria vivit: si vero utatur illa falso et fraudulenter, sic potest [2] ditari et vivere inter alios. Unde qui fœneratur vadit ad infernum, et qui non fœneratur vergit ad inopiam, *chi nel diletto della carne involto,* sicut viri multo nobiles, divites [3], qui affluunt deliciis, et solvuntur voluptatibus; et isti sunt felicitatis inimicissimi, qui more pecorum [4] libentius versantur in volutabro quam in aqua sincera, ut ait Pythagoras. Quis enim, ut ait Aristoteles, habens aliquid humani pudoris etc. *E chi si dava all' ozio,* sicut homines viles, qui captivi communiter appellantur; et isti sunt extremæ sortis inter omnes; de quibus autor dixit in Inferno: *Non ragionar di lor, ma guarda e passa,* fuerunt enim mortui viventes: unde autor ibidem: *Questi sciaurati che mai non fur vivi;* contra quos Salustius: *sed morti mortales* etc. — *Quand' io.* Hic autor strictim et succincte collectis studiis hominum variis, circa quæ vane et anxie exercentur, nunc tangit suum studium tranquillum et beatum circa veram felicitatem in speculatione, unde dicit: *Quand' io sciolto da tutte queste cose,* idest, sequestratus ab omnibus istis studiis variis [5], in quibus non est felicitas, *m' era suso in cielo,* scilicet, in spera solis, *accolto cotanto gloriosamente,* quia ista speculatio cedebat sibi ad gloriam in præsenti et futuro sæculo. Et hic nota quod circumscripta omni fide [6], vera felicitas in vita consistit in speculatione, sicut concludit philosophus X Ethicorum: *et summa quidem felicitas speculari.* Unde Petrus Ravennas conterraneus meus: *si paradisus in hoc mundo est; in*

(1) E. illud dictum, scilicet quod.
(2) E. poterit.
(3) E. divitesque, qui affluunt divitiis.
(4) E. porcorum.
(5) E. humanis.
(6) E. fide animi, vera.

claustro vel in scholis est etc. Nota etiam quod autor sumpsit occasionem faciendi istam reprehensionem studiorum mundanorum, in commendationem sui, quia erat nunc in spera solis, in qua sunt doctores magni, qui fuerunt toti speculativi.

Poi che ciascuno. Ista est secunda pars generalis (1), in qua autor introducit Thomam de Aquino, qui tangit duo dubia moventia mentem autoris: et primo revertitur ad propositum ostendens qualiter motus et cantus illarum animarum quievit, ut darent spatium Thomæ (2) iterum loquendi cum autore. Istam autem quietationem autor explicat per comparationem claram dicens: et ipsi spiritus prædictorum doctorum, *fermossi come candelo a candellier,* et comparatio est propria, quoniam isti doctores fuerunt ardentes et lucentes aliis sicut candela, nec absconderunt lucernam sub modio, *poi che ciascuno fu tornato nel punto del cerchio, in che avanti s' era,* idest, postquam singuli spiritus reversi fuerunt ad locum ubi prius erant, et unde prius moti erant. — *Così com' io.* Hic autor ponit orationem Thomæ ad se, in qua ostendit quod cognoscit mentem autoris respiciens in Deum, in quo patet omne secretum mentis. Et primo tangit dispositionem Thomæ dicens: *et io senti' dentro a quella lumiera,* idest, animam luminosam, *che pria m' avea parlato,* scilicet, in Thoma de Aquino, *incominciar,* supple loqui, *sorridendo,* ex iis quæ autor dixerat in mente sua contra studia hominum ad commendationem sui studii; et dicit: *facendosi più mera,* idest, purior et clarior, declaratura sibi dubia, vel ad declarandum sua dubia. Et ecce quid dixit: *io apprendo onde tu cagioni li tuoi pensier,* idest, ego percipio et cognosco unde tu causas tua dubia, quia scilicet nascuntur ex duobus dictis po-

(1) E. generalis huius capituli, in qua. (2) E. ipsi Thomæ.

sitis supra per me, *sì riguardando nella luce eterna,* scilicet Dei, in quo tamquam in speculo lucet omne verum, *così com' io m' accendo del suo raggio,* scilicet, prædictæ lucis æternæ. — *Tu dubbii.* Hic [1] Thomas de Aquino exprimit ipsa dubia autoris, dicens: *Tu dubbii,* idest, dubitas, *et hai voler,* idest, optas, *che si ricerna,* idest, quod repetatur et declaretur, *in sì aperta e sì distesa lingua,* idest, in tam claro et diffuso sermone, *lo dicer mio,* idest, quoddam dictum meum superius positum; *ch' al tuo sentir si sterna,* idest, præparetur et ostendatur tuæ cognitioni. Et ecce dictum: *ove dinanzi dissi,* ut patuit in principio capituli præcedentis, *u' ben s' impingua se non si vaneggia,* et tangit secundum dubium, dicens: *e là u' dissi: non surse il secondo;* et dicit, *e qui è uopo che ben si distingua,* idest expedit, quod fiat bona et clara distinctio ad bene intelligendum solutionem dictorum dubiorum.

La provvidenza. Ista est tertia pars generalis [2], in qua Thomas de Aquino, movens se a longe, volens solvere primum dubium, digreditur ad [3] describendum vitam beati Francisci, cuius cognitio facit ad declarationem primi dubii. Et primo ostendit in generali, quomodo Deus misericorditer providit ecclesiæ suæ sanctæ de duobus principibus et pugilibus, qui pro illa fortiter certarent. Unde dicit: *La provvidenza,* scilicet, divina, *che governa 'l mondo con quel consiglio,* idest, ea [4] sapientia, quæ vincit omnem intellectum creatum; unde dicit: *nel qual,* scilicet consilio æterno, *ogni aspetto creato,* idest, cognitio, *è vinto pria che vada al fondo,* idest, antequam attingat ad profunditatem eius: quia nullus intellectus angelicus vel humanus potest pertingere ad totalem cognitionem

(1) E. Hic beatus Thomas.
(2) E. generalis huius capituli, in qua beatus Thomas.
(3) E. ad scribendum, et notanter commendandum vitam.
(4) S. illa sapientia.

divinæ sapientiæ; *duo Principi ordinò,* scilicet, Franciscum et Dominicum, *in suo favore,* idest illius ecclesiæ, *che quinci e quindi le fosser per guida,* idest, qui recte ducerent bigam ecclesiæ. Et assignat causam quare Deus ordinavit [1] dictos duos principes, dicens: *perocchè la sposa di colui,* idest, ecclesia, quæ est sponsa Christi, *che disposò lei col sangue benedetto ad alte grida,* scilicet ipsius Christi, cum clamavit: *hely, hely* etc. [2] de clamore judæorum clamantium: *Tolle, tolle, crucifige eum;* et ita de aliis multis clamoribus; *andasse vêr lo suo diletto,* scilicet, Christum [3], qui est sponsus ipsius ecclesiæ, *in sè sicura,* scilicet, ab offensione adversariorum, mediante duorum istorum ducum defensione, *et anche a lui più fida,* scilicet, ut fidelius sibi serviret et non adulteraretur per vitia. Et hic nota, quod de rei veritate ecclesia Dei non bene incedebat recte, privata bonis ducibus. Nam sacerdotes sæculares et monaci antiqui multum defecerant in virtute, moribus et scientia; ideo bene Deus succurrit huic defectui cum istis duobus principibus, qui verbo et opere erigerent ruentem ecclesiam. — *L' un fu.* Hic Thomas [4] describit utrumque principem, dicens: *L' un,* scilicet, Franciscus, *fu tutto serafico in ardore,* idest, de ordine seraphinorum, qui magis ardent in amore Dei; quasi dicat: fuit tamquam angelus, non homo, ardens in caritate; *l' altro,* scilicet Dominicus, *fu uno splendore in terra,* quia fuit splendor sapientiæ in mundo, sub quo dictus Thomas militavit; unde dicit: *di cherubica luce,* idest, de ordine cherubinorum, quia habuit intellectum angelicum; nam fuit magnus doctor, et illuxit mundo sapientia sua; ideo dicit: *per sapienza.* — *Dell' un.* Hic Thomas offert se tractaturum primo de altero prædictorum, excusans se, si non dicit de altero; unde dicit:

---

(1) E. ordinaverit.
(2) E. *hely,* quod est de clamore.
(3) E. Jesum Christum, qui.
(4) S. Thomas de Aquino describit.

Dell' un dirò, scilicet, de Francisco, *perocchè d' ambedue si dice l' un pregiando,* idest, appretiando laudibus tantum unum, *qual che uom prende,* idest, quemcumque homo assumat laudandum; et assignat rationem dicens: *perchè ad un fine fur l' opere sue,* idest, quia opera utriusque tetenderunt ad unum finem beatitudinis. Et hic nota quanta arte autor utatur in ista fictione; nam inducit Thomam de Aquino, qui commendat vitam beati Francisci, et damnat vitam suorum fratrum sancti Dominici; quia melius testimonium est, et facilius creditur, quando æmulus laudat æmulum, et ita quando culpat suos. — *Intra Tupino.* Hic Thomas narraturus vitam Francisci, primo describit locum originis eius, quem describit a fluminibus et civitatibus claudentibus ipsum [1] locum. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod civitas Assisium est situata in valle pulcerrima et fertilissima Spoleti, inter duo flumina, quorum unum vocatur Chiassus, qui venit a civitate Eugubii, alterum vero vocatur Tupinus, qui venit a Nuceria. Dicit ergo: *Fertile costa d' alto monte pende,* qui supereminet Assisio, quia Assisium est positum in monte fertili in declivio montis, *intra Tupino;* est enim Tupinus fluvius qui etc., *e l' acqua,* idest, et alium flumen qui dicitur Chiassus, veniens ab Eugubio: est enim Chiassus fluvius qui etc. Unde dicit: *che discende dal colle,* idest, monte, *eletto dal beato Ubaldo.* Ad quod sciendum, quod Ubaldus beatus primo fuit heremita in monte illo, deinde fuit episcopus Eugubii, et est patronus illius civitatis. Et subdit civitates confines Assisio, dicens: *onde,* idest, a qua costa fertili, *Perugia sente freddo e caldo da porta Sole:* porta solis est una porta Perusii versus ortum solis, quæ respicit Assisium. Est autem Perusiam civitas antiqua et nobilis, quondam unum caput Tusciæ,

(1) E. illum.

ut dicit Titus Livius; *e Nocera con Gualdo,* duæ terræ sunt, quarum una est Nuceria etc., *le piange dirietro,* scilicet post dictam costam, in qua est Assisium, *per greve giogo,* quia recipit ventum, frigus et incommoda a dicto monte. Alii tamen exponunt, propter grave jugum perusinorum, quia dictæ terræ erant subditæ dominio perusinorum; et istud fuit aliquando verum: sed prior expositio est melior. — *Di quella.* Hic Thomas describit ipsum Franciscum, quem metaphorice appellat solem, dicens: *Un sole al mondo,* scilicet, Franciscus; sicut enim sol radiis suis illuminat mundum, ita Franciscus illuminavit totum mundum radiis suis, scilicet operibus, vel fratribus suis, qui sunt diffusi per totum orbem terrarum; *nacque di quella costa,* scilicet, ubi est Assisium, *là dov' ella frange più sua rattezza,* idest, in parte decliviori et planiori ipsius montis. Et dicit, a simili, *come questo,* scilicet sol sensibilis; erat enim Thomas cum autore, cui loquitur nunc in corpore solis, *fa talvolta,* idest, oritur aliquando, non semper, *di Gange,* qui est fluvius Indiæ in oriente, de quo dictum est secundo capitulo Purgatorii. Et subdit Thomas, quomodo sit appellandus dictus locus, dicens: *però chi d' esso loco fa parole,* idest, qui vult facere mentionem de Assisio, *non dica Ascesi,* licet illud sit primum et proprium nomen dictæ civitatis. Dictum est enim Assisium etc., *chè direbbe corto,* idest, parum; vel secundum aliam literam, *torto,* idest, oblique et improprie; *ma Oriente, se proprio dir vuole;* quia scilicet locus debet proportionari locato: si ergo Franciscus est appellandus sol, bene Assisium est appellandum oriens, a quo, tamquam ab oriente, ortus est dictus sol. — *Non era.* Hic Thomas describit primitivam virtutem istius Francisci, quam primo ostendit in pueritia sua, dicens: *Non era ancor molto lontan dall' orto,* idest, ab origine sua, quasi dicat: in teneris annis, *ch' ei cominciò*

a far sentir la terra alcun conforto della sua gran virtude; quia sicut a simili sol statim a principio sui ortus incipit calefacere terram, et refocillare animalia, ita et Franciscus statim a pueritia sua incœpit dare spem hominibus de magna virtute sua. — *Chè per tal.* Hic Thomas exprimit illam magnam virtutem primariam ipsius Francisci; et dicit, quod fuit tam audax, quod postposuit in juventute amorem paternum, quem omnes naturaliter sequuntur, amori unius dominæ, quam omnes communiter oderunt. Dicit ergo: *Chè giovanetto,* ille Franciscus *corse in guerra del padre,* idest, incurrit odium et indignationem paternam, *per tal donna,* idest, amore dominæ paupertatis; et dicit: *a cui nessun disserra,* idest, aperit, *la porta del piacer,* quia scilicet paupertas nulli placet; quod probat a simili, dicens: *come alla morte,* idest, sicut nullus recipit placibiliter mortem, sic omnes generaliter fugiunt paupertatem, sicut naturaliter fugiunt mortem; immo sæpe homines sponte subeunt mortem propter fugiendam paupertatem. — *E dinanzi.* Hic Thomas probat per effectum quomodo Franciscus vero amore dilexit (1) dominam paupertatem, quia accepit eam in legitimam uxorem suam, et consensit in eam. Unde dicit: et ipse Franciscus *le si fece unito,* idest, coniunxit se ipsi paupertati, *e dinanzi a la sua spirital corte,* idest, coram episcopo diœcesano et coram patre, quia in præsentia patris renuntiavit omnibus bonis patrimonialibus et temporalibus. Et dicit postea: *poscia di dì in dì l' amò più forte,* tamquam bonus maritus, qui numquam caram uxorem suam dereliquit usque ad mortem, immo nec in morte oblitus est eius. — *Questa.* Hic Thomas in commendationem matrimonii contracti per Franciscum, ostendit quam misericorditer Franciscus egit secum; et dicit,

---

(1) E. dilexerit.

quod ista muliercula turpis steterat vidua per mille centum annos et ultra, quia nullus voluerat eam videre vel audire, nedum accipere (1) in uxorem et amplexari. Dicit ergo: *Questa,* scilicet paupercula mulier, *privata del primo marito,* scilicet Jesu Christo, qui primus penitus dilexit paupertatem, *si stette mille cento anni e più,* scilicet ultra undecim sæcula, *dispetta e scura fin a costui,* idest, usque ad istum Franciscum; et dicit: *senza invito,* quia nullus requisivit eam de amore per tantum tempus. Sed hic nota, quod autor videtur dicere falsum, quia multi sancti patres et heremitæ dilexerunt paupertatem et despexerunt mundum propter (2) Christum, et antiquitus et moderniter, sicut Benedictus, Macarius, Bernardus, Petrus Damianus, de quibus dicetur infra in isto (3) eodem libro. Dicendum breviter, quia nullus tantum et in totum amavit paupertatem tam perfecte, tam generaliter, tam volenter. — *Nè valse.* Hic autor ad arguendam cæcam cupiditatem hominum ostendit mirabiles effectus paupertatis, quæ fecit hominem quodammodo felicem; quia facit eum lætum et intrepidum contra omnem impetum fortunæ: quod probat per exemplum pauperculi piscatoris, qui non expavit Cæsarem tunc temporis terribilissimum (4). Ad cuius, evidentiam est præsciendum, quod Cæsar, dum esset in Græcia contra Pompeium, avidus pugnæ quæ faciebat pro ea, impatienter ferens accessum Antonii, qui erat cum parte exercitus sui, temere exposuit se fortunæ etc. Nunc ad literam dicit Thomas: *Nè valse,* idest, non profuit alicui, *che colui ch' a tutto 'l mondo fe paura,* idest, Julius Cæsar cunctis gentibus formidolosus (5), *la trovò sicura,* scilicet, ipsam paupertatem, *con Amiclate,* quem

(1) E. accipere eam. (2) E. propter Jesum Christum.
(3) E. in hoc eodem libro. Respondendum est breviter quod nullus.
(4) E. terribillimum. (5) E. formidosus.

non tremebant magni reges, fortes principes, legiones armatæ, urbes vallatæ, classes numerosæ, non timuit Amiclas privatus sub debili tugurio cum eius parvula navicula piscatoria; et dicit: *al suon della sua voce*, quia Amiclas (1) ad vocem Cæsaris non est territus: unde Lucanus in secundo, ubi describit factum istius Amiclatis exclamat in commendationem paupertatis, *o vitæ tuta facultas pauperis* etc. Ad quod Juvenalis: *Cantabit vacuus coram latrone viator* etc. Est ergo paupertas odibile bonum et tuta possessio. — *Nè valse.* Hic Thomas ostenso uno effectu paupertatis, scilicet securitate in homine pagano, nunc ostendit alium effectum eiusdem, quia scilicet facit hominem constantem et ferocem, sicut patuit in (2) Christo in ara crucis. Unde dicit: *Nè valse,* idest, nec etiam profuit alicui ipsam paupertatem, *esser costante nè feroce*, sicut patuit in (3) Christo. Unde dicit: *sì che ella*, scilicet, domina paupertas, *salse con Cristo in su la croce*, quia semper associavit Christum (4), *dove Maria rimase giuso*, in monte Calvario, *da lui*, idest, postquam, scilicet plangens ad pedes Domini. — *Ma perch' io.* Hic Thomas propalat nomen amantis et amatæ ne videatur procedere nimis obscure. Unde dicit: *Ma prendi ormai nel mio parlar diffuso*, scilicet, quia jam multa dixi de istis, *Francesco e Povertà per questi amanti.* Franciscus est nomen competens viro; dictus est enim Franciscus, quasi Francus, idest, liber ab omni cupiditate terrenorum et servitute peccatorum. Paupertas etiam est nomen congruum; dicitur enim paupertas a pauco, unde paupertas est sobria, temperata, libera et expedita. — *La lor.* Hic Thomas tangit lætam vitam istorum

(1) E. iste Amiclas.
(2) E. in Domino nostro gloriosissimo Jesu Christo in suæ crucis patibulo. Unde.
(3) E. in Domino nostro Jesu Christo.
(4) E. e 4, ipsum Christum.

amantium (1) et continentium cum effectu. Dicit ergo: *La lor concordia,* quia concorditer conveniebant simul, quia Franciscus bene conformabat se paupertati et pauco; et paupertas bene conveniebat humilitati eius. Unde dicit: *e i lor lieti sembianti,* quia procabantur sibi invicem læte; nam paupertas faciebat lætum Franciscum, et Franciscus faciebat paupertatem videri lætam; et dicit: *amore,* idest, caritas, *e maraviglia,* idest, mirabiliter, *e dolce sguardo,* idest, dulcis contemplatio, *facean esser cagion de' pensier santi,* idest, præstabant sibi materiam et causam, quod non cogitaret nisi sancta, et ut sanctus videretur a quolibet vidente eum; ideo statim habuit sectatores. Unde sequitur: *tanto che 'l venerabile Bernardo,* primus frater minor, qui secutus est Franciscum (2); et fuit iste Bernardus de etc. Unde non intelligas de Bernardo doctore, devoto Dominæ, de quo dicetur in fine huius libri; *si scalzò prima,* idest primus induit habitum Francisci; nam fratres Francisci inter alia incommoda sua incedunt discalceati, *e corse dietro a tanta pace,* idest, ad participandum de tanta pace animi, quanta præstat ipsa paupertas. Et dicit: *e gli parve esser tardo correndo;* quasi dicat: quod cum tanta aviditate animi accessit ad istam vitam beatam, quod quamvis esset primus, tamen visus est sibi tardus. — *O ignota.* Hic Thomas sumpta occasione ab illis qui sequuti sunt paupertatem, prorumpit in unam exclamationem laudatoriam paupertatis dicens: *O,* idest, dico, *ignota ricchezza,* idest, ignoratam (3) opulentiam. Unde Lucanus in simili: *o munera nondum intellecta Deum.* Et vere magna sunt munera paupertatis etc. Unde dicit: *o ben ferace,* idest, bonum, fertile et multiplex; est enim inventrix scientiarum, custos virtutum etc. Et subdit alios sectatores

(1) E. amantium paupertatem, et continentium.
(2) E. beatum Franciscum. (3) E. ignorata opulentia.

paupertatis, dicens: *scalzasi Egidio;* iste fuit alius frater de primis qui fuit etc., *e scalzasi Silvestro,* alius frater, qui fuit etc. qui expulit civile bellum de Assisio, et vidit in somnio (1) crucem exire ex ore Francisci, *dietro allo sposo,* idest, post Franciscum virum paupertatis; *sì la sposa piace,* idest, paupertas. — *Indi sen va.* Hic Thomas narrato initio vitæ et regulæ Francisci (2), nunc incipit narrare processum et augmentum eius. Et primo dicit quomodo cœpit Franciscus cum paucis discurrere, dicens: *indi,* scilicet aggregatis paucis pauperculis fraticellis, *quel padre,* scilicet Franciscus, qui fuit maximus paterfamilias, *e quel maestro,* qui docuit suos discipulos paupertatem, humilitatem, continentiam, obedientiam et patientiam, *con la sua donna,* scilicet cum domina paupertate, quæ sequebatur et sociabat eum ubique, *e con quella famiglia,* scilicet illorum fratrum, *che già legava l'umile capestro;* quia fratres minores portant (3) cinctam cordam sub qua solebant olim esse humiles, nunc autem facti sunt superbi. — *Nè gli gravò.* Hic Thomas (4) describit fundationem et confirmationem ordinis Francisci; et dicit, quod non obstante quod esset (5) filius ditissimi, propter quod videbatur debere ire ex verecundia cum bassa fronte, secure ivit ad Innocentium papam ut approbaret eius regulam. Dicit ergo: *nè viltà di cuor,* quia videbatur pusillanimus (6) ex hoc, *gli gravò le ciglia,* idest, non inclinavit frontem eius ad terram præ verecundia, *per esser figlio di Pier Bernardone,* idest, quamvis esset filius ditissimi hominis, *nè per parer dispetto a maraviglia,* idest, quamvis videretur vilis, abiectus et despectus mirabiliter; *ma regalmente,* idest, magnanimiter, *aperse sua dura intenzione,* quia (7) durum nimis

---

(1) E. insomnis. (2) E. beati Francisci. (3) S. portabant.
(4) E. Thomas narrat. (5) E. esset ipse Franciscus filius.
(6) E. pusillanimis. (7) E. nam durum.

videtur relinquere commoda, delicias et alia placibilia divitum, *ad Innocenzio,* scilicet, papæ quarto, *e da lui ebbe primo sigillo,* idest, privilegium, *a sua religione;* quia non licet facere ordinem vel regulam sine auctoritate, licentia et consensu Pontificis. — *Poi.* Hic Thomas describit confirmationem ordinis Francisci, dicens: *La santa voglia,* idest, voluntas, *d' esto archimandrita,* idest istius pastoris Francisci; Archimandrita enim dicitur ab *Archon* quod est princeps, et *Mandra,* quod est grex; unde Archimandrita, idest, princeps gregis, qualis fuit Franciscus, quem sequutus est maximus grex; *fu redimita,* idest, exornata [1], *di seconda corona,* idest, confirmatione, de qua habuit secundum privilegium, sicut habuerat primum pro fundatione, *per Onorio,* qui fuit papa romanus, qui fecit [2] Minoribus privilegium, quod possent sacra ministrare et dignitates spirituales habere. Et hoc dico fuit: *poi che la gente poverella crebbe dietro a costui;* habuit enim Franciscus duodecim discipulos ad imitationem Christi [3], qui omnes fuerunt sancti viri præter unum qui exivit ordinem, et factus est leprosus, et se suspendit; et dicit: *la cui mirabil vita si canterebbe,* idest, cantanda erat et celebranda per orbem ad gloriam Dei, qui dedit sibi tantam gratiam, ut cantaretur et celebraretur *in gloria del ciel,* quia eius vita plusquam humana cederet ad gloriam gratiæ divinæ et infusionis cœlestis. — *E poi.* Hic Thomas, descriptis publicis operibus Francisci, nunc intendit describere eius privatam vitam, quam duxit per sanctam pœnitentiam, per tentationum viam publicæ utilitatis. Ad quod est breviter præsciendum quod Franciscus [4], perfecto et stabilito Ordine sub confirmatione habita, et data regula sancta, transivit mare et prædicavit fidem saracenis. Sed

---

(1) S. ornata.
(2) E. indulsit Minoribus fratribus.
(3) E. Jesu Christi.
(4) E. beatus Franciscus.

nihil proficiens ibi redivit in Italiam, ubi fructum optimum fecit. Elegit enim sibi ad contemplationem sanctam locum solitarium et devotum in loco, qui dicitur *la Verna,* in monte qui dividit Romandiolam a Tuscia, inter Cæsenam et Aretium; a quo monte duo flumina oriuntur, scilicet Tiber et Arnus, ibique dicitur recepisse stigmata Christi (1). Nunc ad literam: ordina et construe sic: *E,* idest, et ille Franciscus, *prese da Cristo l'ultimo sigillo,* idest, contemplando ibi recepit plagas Christi. Et notanter dicit, *l'ultimo,* quia primum sigillum (2) recepit ab Innocentio, secundum ab Honorio, ut prædicitur, tertium et ultimum a Christo (3): *che le sue membra due anni portarno,* in loco qui dicitur *la Verna,* quem describit a duobus fluminibus famosis, dicens: *nel crudo sasso,* quasi dicat, non marcefactus (4) in lecto molli, sed contemplans in saxo duro, *intra Tevere et Arno.* Tiber oriens ex dicto monte labitur usque Romam; fluvius celeberrimus opera historicorum, philosophorum, poetarum et omnium doctorum. Arnus vero dividit et interluit Tusciam provinciam, quem autor pulcre et artificialiter descripsit supra, Purgatorii capitulo XIV. Et hic nota moraliter, quod sicut ex monte prædicto nascuntur magna flumina, quæ irrigant magnas et pulcras provincias, et præcipue Tiber qui irrigat almam urbem Romam (5); ita ab isto Francisco descenderunt multi uberes rivi qui irrigaverunt non solum unam vel duas provincias, sed etiam totam Italiam, immo et totum mundum, ut per se patet, et principaliter sanctam romanam ecclesiam, quia fratres Francisci (6) per universum diffusi sunt; ergo bene et convenienter descripsit locum a dictis fluminibus. Et hoc dico fecit, *poi che pre-*

---

(1) E. Jesu Christi. (2) S. privilegium. (3) E. a Jesu Christo.
(4) S. marcescens. (5) E. romanam.
(6) E. beati Francisci per universum fusi sunt.

dicò Cristo e gli altri che 'l seguiro, scilicet, apostolos, martyres et alios sanctos christianos, *nella presenza del Soldan superba;* quia non extimuit conspectum Soldani superbi, quem tot nationes timent et reverentur; ad cuius præsentiam itur cum tanta subiectione et reverentia quod pluries homo se inclinat ad terram et illum adorat, secundum veterem morem regum assyriorum; *e reddissi,* supple, et postquam redivit, *al frutto dell' erba italica,* idest, in Italiam omnium bonorum fertilem, ubi suum semen fructificavit, scilicet infidelem, *per trovare la gente troppo acerba a conversione,* idest, nimis induratam antiquitate temporis et obstinatam, ita quod ultra non poterat prodesse in tali terra; et dicit, *e per non stare indarno,* idest, ne perderet operas suas frustra, quia labor est irritus etc.—*Quando a colui.* Hic ultimo Thomas describit dispositionem ultimæ voluntatis Francisci (1); et dicit, quod reliquit fratres suos hæredes in divite substantia, scilicet paupertate. Dicit ergo: et ille Franciscus, *raccomandò la sua donna più cara,* scilicet, dominam paupertatem, *ai frati suoi,* scilicet, minoribus, *sì come a giuste erede,* et vide quod de jure civili homo potest repudiare hæreditatem si sit sibi damnosa; ideo fratres minores repudiaverunt ipsam paupertatem, tamquam sibi damnosam, *e comandò che l' amassero a fede,* idest fideliter non sophistice; quia parum prodest non tangere pecuniam manu, et illam animo appetere. Et hoc fecit tempore mortis. Unde dicit: *quando a colui,* scilicet, Deo, *ch' a tanto ben sortillo,* idest, qui prædestinavit eum ad summum bonum, *piacque di trarlo suso,* scilicet in cœlum, *alla mercede,* idest, ad meritum, vel ad præmium, *che meritò nel suo farsi pusillo,* idest, in faciendo se tam parvulum per humilitatem; nam qui se humiliat exalta-

---

(1) E. beati Francisci.

bitur, *e,* supple, *quando l' anima preclara,* idest, valde gloriosa Francisci (1), *si volle muover del suo grembo,* idest, de corpore, in quo stabat ipsa anima, *tornando al suo regno,* scilicet, cœleste: nec ordinavit corpori suo altum vel sumptuosum tumulum. Unde dicit: *e al corpo suo non volle altra bara,* idest, feretrum, quo corpora portantur ad sepulturam, nisi suam dominam, quasi dicat: noluit aliam sepulturam nisi cœlum, quia cœlo tegitur, qui non habet urnam, ut ait Lucanus. Ad quod sciendum quod Franciscus (2) in extremis interrogatus a fratribus suis, ubi volebat sepeliri, respondit: ad Carnarium: erat autem Carnarium locus, ubi sepeliebantur corpora damnatorum extra Assisium. Et ibi sepultum fuit corpus Francisci (3): et ibi facta est postea magna et sumptuosa ecclesia, quæ hodie ab italicis pro tanto corpore visitatur et (4) veneratur, et locus ille reductus est intra ambitum murorum civitatis etc.

Pensa oramai. Ista est quarta et ultima pars generalis (5), in qua Thomas de Aquino percursa breviter vita beati Francisci, quæ faciebat ad declarationem dubii, nunc redit ad solutionem quæstionis, ostendens quomodo bene impinguatur in ordine Dominici (6), nisi vacetur vanitati. Et primo concludit, quomodo Franciscus (7) habuit bonum socium ad dirigendam ecclesiam Dei, dicens: *Pensa oramai,* istis auditis de (8) Francisco, in quo fuit tanta perfectio, *qual fu colui,* scilicet, Dominicus, *che fu degno collega,* idest, socius in officio dirigendi ecclesiam (9); unde dicit, *a mantener la barca di Pietro,* idest, ad præservandam ecclesiam militantem a tempestatibus ne suc-

---

(1) E. beati Francisci. (2) E. beatus Franciscus.
(3) E. beati Francisci, ubi facta est. (4) E. et celeberrime veneratur.
(5) E. generalis huius capituli, in qua beatus Thomas.
(6) E. beati Dominici. (7) E. beatus Franciscus.
(8) E. his de beato Francisco auditis, in quo.
(9) E. ecclesiam Dei; unde.

cumberet, *in alto mar,* idest, in mundo isto procelloso, *per dritto segno,* præostendendo felicitatis portum, ad quem navigat navicula Petri. Et subdit specificans illum collegam ; *e questi fu il nostro patriarca,* scilicet, Dominicus, quem vocat patriarcham, idest principem multorum Patrum. Et concludit : *perchè puoi discerner che qual,* idest, quicumque, *segue lui, com' ei comanda,* secundum præcepta regulæ suæ, *carca buona merce,* quia scilicet grosse (1) lucratur, scilicet thesaurum æternum, et sic bene impinguatur. — *Ma.* Hic Thomas sumpta occasione ex prædictis, reprehendit fratres suos, qui non recte sequuntur ipsum Dominicum pastorem suum, dicens : *Ma il suo peculio,* idest, grex (2) Dominici, *di nuova vivanda è fatto ghiotto.* Ista litera potest intelligi simpliciter ut sonat, scilicet quod ubi fratres prædicatores solebant impinguari bene pro anima, nunc quærunt impinguari pro corpore; et sunt avidi novi cibi, puta carnium, quas comedere prohibentur, *quia nitimur in vetitum* etc. Et potest intelligi allegorice, scilicet, quod quærunt novum victum, puta prælationes, dignitates, honores et talia. Ideo sequitur: *sì ch' esser non puote che non si spanda,* idest, quin dispergatur grex, *per diversi salti,* idest, per diversa pascua, scilicet delectabilia loca, per quæ vagantur sæpe greges libenter, et sic perduntur et (3) devorantur a lupis. Est enim saltus locus herbosus et montuosus, sicut sæpe patet apud antiquos autores. Unde subdit : *e quanto le sue pecore,* idest, fratres sui, *vanno più rimote e vagabonde da esso,* idest, quanto magis errant et elongantur ab ipso pastore Dominico, et sic perduntur et vorantur (4) a lupis, *tornan più vote di latte,* idest, dulci doctrina, qua deberent alere et cibare alios, *all' ovile,* idest, ad stabulum, scilicet ad mona-

(1) E. optime lucratur.
(2) E. grex ipsius beati Dominici.
(3) E. et a lupis sæpius devorantur. Est.
(4) E. devorantur.

sterium. — *Ben son.* Hic Thomas ostendit quod adhuc aliqui sunt boni fratres in ordine suo, sed satis pauci; unde dicit: *Ben son di quelle,* scilicet [1], pecudibus, *che temono 'l danno,* quia scilicet timent insultum, vel insidias luporum, *e stringonsi al pastor;* non deviantes, et subdit: *ma son sì poche, che le cappe fornisce poco panno.* — *Or, se.* Hic Thomas finit sermonem suum et clauditur capitulum, dicens: *Or la tua voglia fia contenta in parte,* quia scilicet declaratum est primum dubium, *se le mie parole non son fioche,* idest, rauca et obscura, si pro quia, quia clare locutus sum, *et se la tua audienza è stata attenta,* idest, si attente notasti quæ dixi, *et se ciò che ho detto alla mente rivoche,* idest, si reducis ad memoriam quicquid dixi tam de [2] Francisco quam de fratribus meis. Et assignat causam, *perchè vedrai la pianta,* idest, originem et causam, *ove si scheggia,* idest, a qua absciditur, et aufertur illud dictum: *U' ben s' impingua, se non si vaneggia, e vedrà il correggier ch' argomenta,* idest, distinctionem meam quæ corrigit et restringit prædictum dictum meum etc.

---

[1] E. scilicet, de pecudibus, hoc est de ipsis fratribus, *che temono.*
[2] E. de beato Francisco.

CANTUS DECIMUS SECUNDUS, *in quo alter spiritus narrat vitam beati Dominici.*

Si tosto come l' ultima parola. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit Thomam de Aquino, qui narravit et commendavit vitam sancti [1] Francisci, et culpavit vitam suorum fratrum; nunc consequenter in isto XII capitulo introducit alium spiritum qui narrat vitam beati Dominici, et culpat vitam suorum fratrum minorum. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor superinducit aliam coronam animarum similium primis. In secunda inducit unam illarum animarum, quæ narrat et commendat vitam Dominici [2], ibi: *Poichè 'l tripudio.* In tertia dicta anima damnat et vituperat vitam suorum fratrum minorum modernorum, ibi: *Se tal fu l' una.* In quarta et ultima dicta [3] anima propalat se et alias animas constituentes illam secundam coronam, ibi: *Io son la vita.* Ad primum ergo dico quod in prima parte generali autor superinducit aliam coronam animarum similium primis. Et primo continuans dicta dicendis describit reditum primæ coronæ ad primum motum et cantum suum, et superventionem secundæ coronæ; et dicit quod statim cum Thomas finivit sermonem suum, animæ beatæ de illa corona reinceperunt dimissum tripudium, nec compleverunt suam circulationem, quod statim alius circulus circumcinxit primum circulum conformans se secum in motu et cantu. Nunc expone sic literam: *La santa mola,* idest, corona

(1) E. vitam beati Francisci.
(2) E. vitam beati Dominici.
(3) E. ipsa anima.

illorum sanctorum doctorum, quæ movebatur velociter et circulariter ad modum molæ, *cominciò a rotar,* idest cœpit tripudiare cantando, *sì tosto come la benedetta fiamma,* idest, spiritus benedictus, splendidus et lucidus Thomæ, *tolse l'ultima parola,* scilicet, *u' ben s' impingua* etc., *per dir,* quasi dicat: postquam finivit suum loqui. Et subdit: *e non si volse prima tutta nel suo giro,* idest, et non complevit totam suam circulationem, *ch' un' altra,* scilicet, corona, *la chiuse d' un cerchio,* intra se, *e colse,* idest collegit, *e moto a moto e canto a canto,* idest cœperunt moveri et cantare secundum motum et cantum animarum proportionaliter primæ coronæ; nam erant duodecim animæ sicut primæ. — *Canto.* Hic autor describit illum cantum commendans illum superlative; et dicit quod vincit omnem cantum nostrum tam artificialem quam naturalem quantumcumque dulcissimum per infinitum excessum. Vincit enim cantum musarum et sirenarum. Dicit ergo: *Canto,* supple dico, *che tanto vince nostre muse,* idest, scientias poeticas, quæ sunt delectabilissimæ, *nostre sirene,* quarum cantus sunt delectabilissimi, ut habitum est in Purgatorio, *in quelle dolci tube,* idest, vocibus illorum doctorum, qui tam alte pulsaverunt quod fecerunt se audiri ubique locorum. Et hic nota quod per hoc autor vult dare intelligi quod illi sancti doctores speculatim [1] cantaverunt dulcius et delectabilius in eorum sacris libris, quam poetæ qui tam dulciter et delectabiliter cantaverunt, quod moverunt saxa, feras, arbores, sicut fictum est de Orpheo. Similiter vicerunt sirenes, quæ figurant illecebras et voluptates mundi, sicut expositum est in Purgatorio prædicto. Et subdit per comparationem excellentiam et excessum cantus illorum doctorum, dicens, quod quanto primus radius so-

---

(1) E. speculantes.

lis, supple, vincit, *quel che rifuse,* idest, secundum radium quem reiecit retro et refudit. Vult ergo breviter dicere, quod cantus illorum doctorum tantorum superat cantum musarum et sirenarum, quantum radius recte missus superat radium refractum. Et hic nota quod comparatio est pulcerrima et propriissima ad propositum, quia cantus illorum doctorum est immediate a Deo, quia per infusionem habetur a Deo sacra theologia, sicut primus radius est a sole; sed cantus aliarum scientiarum est sicut refusus, quia a cœlo, a natura, ab arte habemus alias scientias per acquisitionem et inquisitionem. — *Come si volgon.* Hic autor, descripto cantu dulcissimo illarum animarum, nunc (1) describit motum circularem illarum duarum coronarum simul sociatarum per comparationem pulcram et propriam: et dicit quod illæ duæ coronæ volvebantur quales duo arcus sunt in iride diversorum colorum æquidistantes, quorum unus continet alterum intra se; istam autem comparationem autor declarat per secundam comparationem, et secundam (2) comparationem declarat per tertiam; unde considera bene quot sententias autor hic inculcat in unam, et quanta arte utitur. Ordina ergo et construe sic literam, et descende infra: *Le due ghirlande,* idest, prædictæ duæ coronæ contextæ ex pulcerrimis floribus; unde dicit: *di quelle sempiterne rose,* idest, illorum doctorum qui sunt pulcerrimi aliorum beatorum, sicut rosæ sunt pulcerrimæ florum, et magis odoriferi, idest, famosi, *volgeansi circa noi,* idest, volverunt se circa Beatricem et me, *e sì l' estrema all' intima rispose,* idest, minor latiori, quæ ultimo venit æqualiter et proportionabiliter, *così* (vedi supra), *come due archi paralleli,* idest, qui æqualiter distant ab invicem secundum quamlibet sui partem, *si volgon per*

---

(1) S. modo. (2) E. et hanc secundam.

tenera nube, idest, subtilem; nam iris causatur ex reverberatione solis in nubem oppositam: est enim iris speculum rorans etc., *et con colori,* scilicet diversis; sunt enim in iride quatuor colores principales. Dicunt tamen aliqui quod colores sunt circuli in spera materiali; sed hoc nihil ad propositum. Et dicit: *quando Giunone a sua ancella iube,* idest, præcipit. Ad quod notandum, quod sicut fingunt Homerus, Virgilius, cæterique poetæ, Iris est nuntia Junonis, quod ideo fingunt quia Juno est elementum aeris, cuius Iris dicitur esse nuntia, quia indicat de qualitate aeris etc. Et dicit: *nascendo di quel d'entro quel di fuori.* Et hic nota quod aliqui exponunt istam literam ignoranter, dicentes, quod in iride unus arcus nascitur ex alio, * et unus color causatur ab alio * (1): hæc autem est perversa expositio; primo quia non est verum quod unus circulus et color nascatur ex alio, secundum positionem ipsorum; et posito quod esset verum, tunc comparatio non esset propria ad propositum. Manifestum est enim quod istæ duæ coronæ continentes una alteram non nascebantur una ab altera; ideo litera exponatur sic: *nascendo quel di fuori,* idest, ille color arcus, *di quel d'entro,* scilicet, ex nubilo, idest ex vaporibus ex quibus est generatum illud nubilum. Et declarat istum actum per comparationem, et dicit quod ita causatur color exterior ex nubilo interiori, sicut vox echo nascitur ex voce præcedente reverberante in concavitatibus. Est enim echo vox quæ resonat in concavitate locorum, sicut experimur in ecclesia, vel vegete, vel alio quocumque loco clauso; et tangit fabulam, quæ talis est. Echo, sicut fingit Ovidius libro Metamorphoseos, fuit formosissima virgo, quæ capta est amore Narcissi formosissimi juvenis, qui mortuus est ad fontem captus

(1) Le parole fra i due asterischi son dei Codici 4 e Estense.

amore sui, sicut dictum est in cantica Inferni, et Paradisi tertio capitulo; Narcissus autem spernebat (¹) Echo etc. Allegorice de juvene vano non remanet aliud nisi una vox. Nunc ad literam; dicit autor: *a guisa del parlar,* idest more vocis respondentis et reverberantis ad vocem præcedentem, *di quella vaga,* scilicet Echo, quæ fuit amatrix Narcissi, cuius dolore mortua est; unde dicit: *ch' amor consunse,* idest, quam amor maceravit et exterminavit, a simili, *come sol vapori,* supple consumit; et est comparatio propria: sicut enim clarissimus sol suo calore paullatim consumit et exterminat vapores, ita Narcissus pulcerrimus juvenis ardenti amore suo extinxit illam Echo, quæ tota resoluta est calore amoris. — *E fanno.* Hic autor post generalem comparationem factam de arcubus nubium, nunc addit proprietatem unam vel causam, quare apparet iris; et dicit, quod in signum quod mundus amplius non peribit diluvio, sicut fecit tempore Noe quando delevit omnem carnem; tunc enim dixit Deus Moysi: *ponam arcum meum in nubibus* etc. Nunc ad literam dicit autor: *E,* idest, et illi arcus paralleli, *fanno qui,* scilicet in mundo isto, *la gente esser presaga,* idest, præsciam (²) et divinam, *del mondo che giammai più non s' allaga,* idest, qui amplius non inundabitur diluvio. Sed hic oritur pulcra dubitatio: jam dictum est hic et alibi supra, quod iris est reverberatio etc.; alii tamen exponunt, quod vox dilatata visa est lacus dilatato lumine; sed nihil est dicere.

Poichè 'l tripudio. Ista est secunda pars generalis (³), in qua autor introducit unam (⁴) animarum secundæ coronæ ad loquendum, quæ narrat et commendat vitam beati Dominici: et primo describit vocem illius spiritus post quietationem circulationis utriusque coronæ, ut da-

---

(¹) E. fervebat.

(²) E. præscire et divinare, *del.*

(³) E. generalis huius capituli, in qua.

(⁴) ‡, unam animam secundæ.

retur spatium dicendi illi spiritui. Ordina sic literam: *Voce si mosse del cuor dell' una delle luci nuove,* idest, de mente unius clari doctoris illius secundæ coronæ, quæ vox ita direxit oculos autoris ad respiciendam animam illam a qua veniebat, sicut acus calamitæ dirigit oculos navigantis ad videndam tramontanam; unde dicit: *che mi fece parer l' ago alla stella,* idest, acum ad tramontanam, *in volgermi al suo dove,* idest, ad suum ubi, quasi dicat, ita oculum meum direxit ad locum ubi erat anima quæ loquebatur, sicut acus dirigit oculum (1) ad stellam tramontanam. Et hoc dico fuit postquam illæ animæ simul et semel concorditer quietatæ sunt; unde dicit: *poichè 'l tripudio,* idest circulatio, *e l' altra festa grande,* idest, magna congratulatio quam fecerant simul cantando et simul radiando; unde, *sì del cantar e sì del fiammeggiarsi,* hinc inde, *luce con luce gaudiose e blande quietârsi insieme,* quia cessaverunt a motu et cantu, *a punto ed a voler,* idest, ad unum punctum et ad unum velle. Et hoc declarat per exemplum naturale oculorum, qui simul clauduntur et simul aperiuntur; unde dicit: *pur come gli occhi convien chiudere e levarsi insieme,* secundum motum naturalem, nisi quis aliud de industria velit, *al piacer che li muove,* scilicet, illos oculos, ut de se patet. Et est comparatio propria: sicut enim oculi in homine communiter simul moventur, ita intellectus doctorum simul conveniunt et concordant ut plurimum, nisi per accidens aliud fiat. — *E cominciò.* Hic autor adducit (2) orationem illius spiritus. Ad quod est præsciendum, quod iste erat spiritus Bonaventuræ de Balneo Regio, de ordine minorum, qui fuit magister in sacra theologia, qui primo aperit intentionem suam, ostendens quid moveat eum ad loquendum. Dicit ergo: *L' amor,* scilicet, cari-

(1) E. oculum nautæ ad. (2) E. ponit.

tatis, *che mi fa bella,* quia facit me beatam in conspectu Dei, *mi tragge a ragionar dell' altro duca,* idest, allicit me ad describendam et laudandam vitam beati Dominici, *per cui del mio sì ben ci si favella,* idest, gratia cuius Dominici Thomas de Aquino tam bene loquutus fuit de Francisco duce meo in præcedenti proximo capitulo paullo ante. Et assignat causam dicti sui, dicens: *degno è che l' altro,* scilicet, Dominicus, *s' induca dov' è l' uno* scilicet Franciscus, *sì che così la gloria loro luca insieme,* idest, luceat simul, *sì com' elli militaro ad una,* idest, simul tempore pugnaverunt in servitium Dei. Et hic nota quod autor prudenter et caute inducit unum fratrem minorem, qui laudat [1] vitam beati Dominici, et vituperat [2] vitam suorum fratrum minorum, ut sic eius narratio plus habeat fidei et veritatis. — *L' esercito.* Hic Bonaventura descripturus vitam beati Dominici incipit parum a longe, ostendens quomodo Deus pie providit ecclesiæ suæ de [3] duobus principibus, scilicet Francisco et Dominico. Dicit ergo: *L' esercito di Cristo,* idest, ecclesia Dei militans, quam merito exercitum vocat, quia continuo bellum habet contra vitia et contra hæreses. Ergo iste exercitus exigebat duos duces, unum contra vitia, et hic fuit Franciscus, scilicet Franciscum; alterum contra hæreses, scilicet Dominicum, ut statim dicetur paullo infra; et dicit: *che sì costò caro,* scilicet, pretio sanguinis Christi [4], *a riarmar,* quia scilicet exarmatus fuerat a diabolo virtute sua, unde erat inermis et impar hosti; *si movea tardo, sospettoso e raro,* quia pauci erant et suspecti et debiles, qui militarent in exercitu isto; quia ut dictum est in præcedenti capitulo, satis defecerant valentes sacerdotes et religiosi tempore quo fundati sunt isti duo nobilissimi ordines; et dicit: *dietro*

---

(1) E. laudet. (2) E. vituperet.
(3) E. de his duobus. (4) E. Jesu Christi.

all' insegna, idest, post dona Spiritus sancti, quæ sunt insignia recte ducentia istum exercitum, sicut figuraliter ostensum est supra Purgatorii capitulo. Et hoc dico erat, *quando l' imperador che sempre regna,* in glorioso regno, scilicet Deus, *provvide alla milizia ch' era in forse,* idest, ecclesiæ militanti quia (1) erat in dubio, *per sola grazia,* non quia mereretur, *non per esser degna;* et subdit quomodo providit, dicens: *e soccorse a sua sposa,* scilicet ecclesiæ Christi, *con duo campioni,* scilicet, Francisco et Dominico, *al cui fare, al cui dire,* idest, ad quorum pugilum facta et dicta, *lo popol disviato,* idest populus christianus qui deviaverat a virtute et fide, *si raccorse,* idest, emendavit se et redivit ad rectam viam virtutis et fidei, quia multi conversi sunt mirantes istos ordines, et alios converterunt. Et dicit: *com' è detto,* scilicet in capitulo proxime præcedenti, ubi posita est eadem sententia. — *In quella.* Hic Bonaventura accedit ad describendam vitam Dominici (2): et primo describit locum suæ originis a regno, a rege, a mari, a plaga, a vento. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod iste Dominicus fuit oriundus de Hispania, de regno Castellæ, de civitate quæ dicitur Ausima, de villa illius, quæ dicitur Calaroga etc. Dicit ergo: *La fortunata Callaroga,* villa Ausimana vere fortunata, quia peperit talem alumnum, tam fortem pugilem: Calaroga enim interpretatur bona deprecatio (3). Nam *kalos* græce, latine bonum; *rogo,* idest, precor. Et hic nota, quod Calaroga est civitas in Hispania etc. *Siede,* idest, situata est, *in quella parte,* idest, plaga occidentali, ubi est Hispania, *ove zefiro dolce,* qui est ventus inter Ponentem et Garbinum levis et suavis, *surge ad aprire le novelle fronde,* quia facit arbores germinare tempore veris in orbe no-

(1) E. quæ erat. (2) E. beati Dominici. (3) S. precatio.

stro; unde dicit: *di che Europa si vede rivestire,* idest ex quibus novellis frondibus terra revestitur, quæ fuerat spoliata tempore hyemis in Europa, quæ est pulcerrima pars orbis. Et subdit: *non molto lungi al percuoter dell' onde,* idest, aquarum maris Oceani quod cingit terram et terminat ipsam Hispaniam, ubi sol facit occasum suum; unde dicit: *dietro alle quali,* idest post quas undas marinas, *lo sol talvolta si nasconde ad ogni uom,* et notanter dicit, *a ogni uom,* quia sol antequam omnino faciat occasum suum latet paullatim nunc istis nunc illis, quia nox fit in India antequam sit vespera in Hierusalem, et ita de aliis. Sed quando ivit sub terram totaliter, tunc celatur omnibus habitantibus in superiori hemisperio nostro; et dicit: *per la lunga foga,* idest, propter longum cursum quem facit sol antequam redeat ad hemisperium nostrum. Et subdit quod dicta terra descripta sedet sub protectione regis Castellæ, quem describit ab armatura sua. Unde dicit: *sotto la protezion,* idest, defensione et gubernatione, *del grande scudo,* idest, magni regis Castellæ, *in che il lione soggiace e soggioga,* idest, in quo scuto leo est superior et inferior. Est enim scutum divisum in quatuor quarteria: in uno superiori est unus leo, et unum castellum in alio; in tertio inferiori sub leone est unum castellum, in alio inferiori unus leo sub castello etc. — *Dentro.* Hic Bonaventura descripto loco originis Dominici, nunc describit ipsum a virtute sua, dicens: *L' amoroso drudo,* idest Dominicus, totus accensus amore caritatis, *vi nacque dentro,* idest, in illa Calaroga, ille, dico, *il santo atleta,* idest pugil, *della fede cristiana;* fuit enim fortis pugnator fidei, tamquam hispanus, qui sunt naturaliter bellicosi et duri ad labores et incommoda. Unde dicit: *benigno a' suoi,* scilicet veris christianis, *et a' nimici crudo,* scilicet, hæreticis. — *E come.* Hic Bonaventura describit prima incunabula virtutis Domi-

nici, quæ per præsagium somnii præostensa fuit antequam nata. Unde dicit: *E la sua mente fu sì repleta di viva virtute come fu creata,* idest, statim cum anima creata a Deo fuit infusa corpori, *che fece lei profeta nella madre,* idest, ipsam matrem; quoniam mater Dominici [1] prægnans ex eo somniavit se parere canem portantem facem in ore, qua inflammabat totum mundum. Canis siquidem [2] fuit latrando contra hæreticos, et facem portavit, idest lumen scientiæ, qua accendit et illuminavit omnes. Vel per faculam ardentem intellige ardentem caritatem, quam habuit ut omnia venderet et daret pauperibus, volens se ipsum vendere dum petenti non haberet quid daret. — *Poichè.* Hic Bonaventura, descripta virtute Dominici per unum præsagium ante nativitatem, nunc describit ipsam post nativitatem per aliud præsagium. Nam domina quæ tenuit ipsum in baptismo somniavit, quod Dominicus ipse habebat stellam in fronte præfulgidam, quæ illuminabat totum mundum. Dicit ergo: *La donna che diede l' assenso per lui,* idest, matrona quæ ipsum de sacro fonte levavit [3], quæ consensit pro eo quando sacerdos interrogabat: *vis baptizari?* et ea [4] respondebat pro eo: *Volo: vide il mirabil frutto,* doctrinæ et prædicationis, *ch' uscir dovea di lui e delle rede,* idest, de fratribus prædicatoribus, inter quos fuerunt multæ stellæ fulgidæ lucentes in mundo, et quasi [5] stellæ receperunt lumen a sole suo, scilicet a Dominico, *nel sonno,* idest in somno: et hoc vidit post baptismum; unde dicit: *poichè le sponsalizie,* idest, promissio quæ fit in baptismo, quam facit ille qui levat in persona baptizati, et sacerdos tenet locum fidei, *fur compiute al sacro fonte,* scilicet baptismi, in quo datur gratia Spiritus sancti et copia virtutum, *intra lui e la fede, u',* idest in quo baptismo

(1) E. ipsius Dominici. (2) S. quidem. (3) 4, elevavit.
(4) E. et ipsa respondebat. (5) E. et quæ stellæ.

ipse et fides, *si dotar di mutua salute;* hinc inde, quia fides fecit Dominicum salvum, et ipse fidem salvavit, defendendo eam contra hæreticos, et confirmando. Et hic nota, quod in baptismo contrahitur magnum vinculum inter levantem et levatum, quia iste efficitur pater et ille filius; et tenetur docere ipsum fidem et mores ecclesiæ, nec potest contrahere affinitatem secum: unde levans non potest accipere in uxorem eam, quam de sacro fonte levavit, nec tradere eam filio suo. — *E perchè.* Hic Bonaventura describit Dominicum a nomine proprio et nominis interpretatione, dicens: *E spirito,* scilicet, illius matronæ prædictæ, *si mosse quinci,* idest, ex isto somno, *a nomarlo,* idest, ad nominandum ipsum, *del possessivo,* scilicet, illius Dominici, *di cui era tutto;* nam dominicus, dominica, dominicum, est nomen possessivum istius nominis *Dominus.* Dictus est ergo Dominicus quasi servus Domini et deputatus ad custodiam Dominici gregis. Ideo dicit: *perchè fosse in construtto,* idest, in loquela vel nomine talis, supple, *qual era,* scilicet in re et facto. Et subdit exponens dictum suum: *Domenico fu detto,* dicit Bonaventura, *et io ne parlo sì come dell' agricola,* idest, bono colono, *che Cristo elesse all' orto suo,* scilicet, ecclesiæ christianæ, quæ velut hortus virens producit diversas herbas, plantas et arbores diversorum seminum, florum et fructuum, *per aiutarlo,* quia indigebat adiutorio, ut dictum est in principio capituli. — *Ben parve.* Hic Bonaventura incipit describere vitam Dominici. Et primo ostendit per effectum, quod fuerit talis, qualis descriptus est, dicens: et ipse Dominicus, *ben parve messo e famigliar di Cristo,* quia bonus servus facit voluntatem domini sui; unde dicit: *chè 'l primo amor che in lui fu manifesto,* quasi dicat: primus amor, quem ostendit in infantia ad aliquam rem, *fu al primo consiglio che diè Cristo,* quia statim sequutus est primum consilium Christi. Ad quod

notandum quod quatuor sunt consilia Domini: primum humilitas et mansuetudo; secundum castitas; tertium paupertas; quartum caritas erga inimicos et persecutores nostros. Modo hic loquitur de primo, quod indicat litera sequens; unde subdit: ipse Dominicus, *fu trovato in terra dalla sua nutrice tacito,* scilicet, sine planctu, quia scilicet, non ceciderat casualiter, sicut sæpe solet accidere infantibus, *e desto,* idest, vigil, non dormiens, sicut aliquando pueri inveniuntur: et dicit: *come dicesse: io son venuto a questo,* scilicet, ad istum statum humilitatis, velut si diceret sibi ipsi Dominicus: Terra es, et in terram reverteris. — *O padre.* Hic autor considerans mirabilia initia operum Dominici exclamat cum admiratione ad parentes, quibus datus (1) est Dominicus talem filium generare, dicens: *O padre suo veramente felice!* quia vocatus est Felix (2), et fuit vere felix non solum nomine sed re, non fortuita felicitate terrena, sed vera et æterna; *O madre sua veramente Giovanna!* non nomine, sed re. Johanna enim interpretatur gratia plena; ideo dicit: *se interpretata val come si dice.* — *Non per lo mondo.* Hic Bonaventura describit studium Dominici, quod fecit ad finem veræ felicitatis æternæ, et non ad finem divitiarum, honoris, potentiæ, gloriæ et voluptatis, quæ communiter homines sequuntur, sicut pulcre declaratum est in principio capituli proxime præcedentis. In talibus enim non reperitur vera felicitas, sicut probat egregie Aristoteles libro Ethicorum, et Boetius libro de Consolatione. Dicit ergo: et ille Dominicus, *Si feo,* idest, factus est, *gran dottore,* scilicet, in scientia et sacra theologia, *in picciol tempo;* per hoc notatur quod (3) habuit scientiam infusam a Deo; nam magnus doctor non potest quis esse, nisi in magno tempore, ut dictum est primo

(1) E. datum est Dominicum.
(2) E. Felix nomine: et.
(3) E. quod ipse Dominicus habuit.

capitulo huius Paradisi. Et vere fuit magnus magister, *tal che si mise a circuir la vigna,* idest, fidem catholicam quæ infra dicitur hortus, *che tosto imbianca,* idest, arescit, quod ex viridi efficitur alba, *se 'l vignaio è reo,* idest, si homo est pravus. Et hoc fecit non ad finem divitiarum vel honoris; unde dicit: *non per lo mondo,* idest, non pro felicitate mundana, *per cui mo s' affanna,* idest, pro quo modo laboratur, *diretro ad Ostiense,* per hoc notat decretalia; fuit enim Ostiensis quidam cardinalis qui etc. Et vere nunc maxima pars studentium intendit ad decretales, sicut videmus de facto; nec mirum, cum multos videamus ignorantes grammaticam, ut de cæteris artibus nihil dicam, qui consequuntur maxima beneficia et dignitates, quia sciunt allegare (1) duas decretales, *et a Taddeo.* Per hoc notat medicinalia: fuit enim Thaddæus famosus medicus, conterraneus autoris, qui legit et scripsit Bononiæ, et vocatus est plusquam commentator; et factus est ditissimus, immo ditavit hortulanum suum. Vixit autem annis .... et mortuus est morte repentina, et sepultus est Bononiæ ante Portam Minorum in pulcra et marmorea sepultura. Sed potius per contrarium; unde dicit: *ma per amor della verace manna,* idest, veræ beatitudinis, qua pascuntur animæ beatorum. — *Ed alla sedia.* Hic Bonaventura probat per effectum, quod Dominicus non studuerit ad finem lucri vel honoris, quia non petivit a summo pontifice, postquam factus est magnus doctor, ea quæ communiter petunt (2) hodie alii sacerdotes et religiosi, qui petunt prælaturas, potestatem, auctoritatem. Nunc expone literam, et construe sic: cape primo illud *E,* quod est in principio istius primi rhythmi, deinde illud *non,* quod est in principio secundi rhythmi, deinde illud *addimandò,* quod est in

(1) S. allegare decretales. (2) E. petunt alii.

principio tertii rhythmi, et dicas: *E non addimandò dispensare o due o tre per sei,* idest, non petivit a papa posse dispensare quinque pro sex, sicut[1] tota die faciunt permutationes: vel non petivit ipse dispensari in aliquo, sicut multi impetrant hodie quod sint absoluti ab ordine; *non la fortuna di primo vacante,* idest et non petivit beneficium, quum primo vacaret per mortem habentis, quod est præstare[2] materiam et causam hominibus optandi, et sæpe quærendi mortem alterius; *non decimas, quæ sunt pauperum Dei,* idest, et non petivit posse retinere sibi decimas in suum usum vel alterius sub aliquo colore, quæ deberent potius converti in usum pauperum: decimas enim debet unusquisque sacerdoti suo ex præcepto legis antiquæ; unde dictum est: *decimas et primitias Deo tuo non tardabis offerre;* attamen in partibus, ubi non est talis consuetudo, non tenemur: hæc et alia similia non petivit Dominicus[3], *alla sedia,* scilicet apostolica, *che fu già più benigna ai poveri giusti,* scilicet, quam modo sit, quia nunc est benigna divitibus iniustis. Et in hoc commendat pastores primitivæ ecclesiæ, et culpat modernos; unde corrigit dictum suum, dicens: *non per lei,* idest, non culpa ipsius sedis, quæ de se sancta est, sed culpa pastoris. Unde dicit: *ma per colui,* scilicet, culpa Papæ, *che siede,* loquitur de Bonifacio, qui tunc sedebat in sede Petri iniuste; unde dicit, *che traligna,* idest, degenerat: sed potius petivit officium inquisitionis[4] contra hæreticam pravitatem; unde dicit: *ma,* supple petivit, *licenzia di combatter per lo seme,* idest, propter fidem, *del qual ti fascian ventiquattro piante.* Et hic nota quod aliqui exponunt, immo quasi omnes, idest XXIV libri Bibliæ, qui sunt tamquam plantæ virentes, *fascian,* idest, informant, et muniunt nos; de

---

(1) S. sicut hodie faciunt.
(2) E. parare materiam.
(3) E. beatus Dominicus.
(4) E. inquisitionis hæreticæ pravitatis; unde.

quibus figuraliter dictum est Purgatorii capitulo, ubi dixit: *ventiquattro signori.* Sed licet ista expositio videatur consona, non tamen est de mente autoris, si quis bene considerat præsentem fictionem. Ideo exponatur melius et sic: *del qual ti fascian ventiquattro piante,* idest, cuius seminis fidei, viginti quatuor floridi doctores cingunt te; quia, ut jam patet ex dictis in principio huius capituli, duæ coronæ doctorum circumcingebant autorem, quarum unaquæque constabat ex duodecim animabus, sicut autor sigillatim descripsit primam superiori capitulo, secundam vero describit in præsenti capitulo, ut patebit paullo infra. Et dicit: *contra 'l mondo errante,* idest, contra mundanos errantes in fide. — *Poi con dottrina.* Hic Bonaventura describit operationem virtuosam et operam efficacem beati Dominici post impetrationem officii contra hæreticos, dicens: et Dominicus, *Poi si mosse con dottrina,* ne peccaret ex ignorantia, *e con volere insieme,* idest, propria et spontanea voluntate, non tamquam ab alio missus vel invitus, *con l' ufficio apostolico,* ne videretur temerarius si auctoritate sua hoc faceret, a simili, *quasi torrente ch' alta vena preme,* quasi dicat, vivaciter et impetuose ad modum torrentis [1], quem vena abundans emittit: unde subdit: *e l' impeto suo percosse negli sterpi eretici,* idest, in stipites venenosos hæreticorum, quos extirpavit. Et dicit: *più vivamente quivi,* supple, percussit, *dove le resistenze eran più grosse,* idest, ubi erant maiores hæretici, vel ratione scientiæ vel potentiæ: non enim fecit sicut quidam moderni inquisitores, qui non sunt audaces nec solertes, nisi contra quosdam divites denariis, pauperes amicis, qui non possunt facere magnam resistentiam, et extorquent ab eis pecunias, quibus postea emunt episcopatum. — *Di lui.* Hic

---

(1) E. torrentis, sive fluvii.

ultimo Bonaventura describit professionem Dominici, commendans eius ordinem et fratres: unde dicit: *Di lui si fecer poi diversi rivi*, idest, post eum sequuti sunt diversi fratres tamquam rivi clari a clarissimo fonte Dominici; unde dicit: *onde*, idest, ex quibus rivis, *l' orto cattolico*, idest, ecclesia, quam jam supra vocavit hortum, *si riga*, idest, irrigatur et fœcundatur, *sì che i suoi arbuscelli*, idest, fideles christiani, *stan più vivi*, scilicet, in fide, quia justus ex fide vivit.

Se tal fu l' una. Ista est tertia pars generalis (1), in qua Bonaventura de Balneo Regio, descripta et commendata vita beati Dominici, nunc intendit vituperare vitam fratrum sui ordinis; et ex dictis arguit excellentiam sancti (2) Francisci, ut sic habilius descendat (3) ad fratres eius. Dicit ergo concludens: *La eccellenza dell' altra rota*, scilicet, Francisci, *di cui Tomma*, scilicet de Aquino, *fu sì cortese*, quia superius tam alte commendavit vitam Francisci, *dinanzi al mio venir*, scilicet in prima corona, antequam veniret secunda, in qua (4) ego sum, *ben ti dovrebbe assai esser palese*, idest, satis deberet esse tibi nota et manifesta, *se l' una rota*, scilicet, Dominicus, *della biga*, idest ecclesiæ, quæ est currus habens duas rotas, sicut pulcre autor finxit supra Purgatorii capitulo, *in che la santa Chiesa si difese*, et præcipue a domesticis inimicis; unde dicit: *e vinse in campo la sua civil briga*, quam scilicet habebat cum hæreticis. Et nota quantum metaphora sit pulcra: appellat enim civile bellum discordiam hæreticorum qui sunt de eadem congregatione cum christianis, et deberent defendere bonum commune fidei, quod dividunt et lacerant. — *Ma l' orbita.* Hic Bonaventura reprehendit fratres ordinis dicti Francisci; et dicit, quod dereliquerunt vestigia Francisci et aliorum

(1) E. generalis huius capituli, in qua ipse Bonaventura.
(2) E. beati. (3) E. defendat fratres. (4) E. in qua nunc ego.

priorum fratrum sanctorum. Dicit ergo: *Ma l' orbita,* idest, vestigium rotæ Francisci, *che la parte somma di sua circonferenza fe',* idest, quam orbitam pars extrema circumferentiæ fecit. Est enim orbita illud vestigium quod facit rota in terra. *è derelitta,* quia fratres minores non incedunt amplius per viam illam antiquam: et est tantum derelicta illa orbita, *sì ch' è la muffa dov' era la gromma.* Et hic nota pulcerrimam et propriissimam similitudinem: gromma enim est solida, sapida, odorifera et bona, ita quod conservat vinum; muffa vero est lubrica, insipida, fœtida, mala, et inficit omne vinum quantumcumque de se bonum. Ita a simili: in primis fratribus erat virtus quæ est vere solida, delectabilis et bona, quæ conservat animum et salvat: in modernis vero est vitiositas, quæ est lubrica, amara, infamis et mala, quæ infirmat et depravat omnem animum quantumcumque de se sanum et bonum: est autem gromma crusta quæ fit in vasis ex vino, quæ alio nomine dicitur tartarum (1). Et subdit exponens et declarans dictum suum: *la sua famiglia,* scilicet fratrum minorum, quorum est multitudo maxime numerosa. *che si mosse dritta co' piedi alle sue orme,* quia a principio illi recte imitati sunt vestigia Francisci (2), *è tanto volta,* idest mutata, quia sicut creverunt in numero, ita et in novitate, *che quel dinanzi gitta a quel diretro,* idest, fratres antiqui primi contradicunt modernis sequentibus; quia illi fuerunt pauperes, isti divites; illi humiles, isti superbi; illi macri, isti pingues, et ita de aliis. — *E tosto.* Hic Bonaventura considerans vitam suorum fratrum modernorum prænuntiat tempestivam deteriorationem ipsorum sub una metaphora pulcra et propria, dicens: *E tosto s' avvedrà della ricolta,* idest, de fructu futuro, *della mala coltura,* idest,

---

(1) E. tarsum. (2) E. beati Francisci.

malorum operum, *quando il loglio,* idest, pravus frater, *si lagnerà che l'arca gli sia tolta,* scilicet pro peiori se, vel quia vacuabitur ipsis. Est enim lolium semen malignum, quod suffocat frumentum et bonam herbam: modo dicit iste, quod horreum vel arca, idest ecclesia vel regula, quæ continet et conservat fructus fratrum minorum, vacuabitur lolio, idest, malis, et præparabitur peioribus, et sic ultimo pessimis. Et hic nota, quod autor noster circumspectissimus ex his quæ videbat coniecturabat finem istorum. Nam de rei veritate isti duo egregii ordines prædicatorum et minorum, quondam duo clarissima lumina mundi, jam satis patiuntur eclipsim, et in declinatione sunt, et habent inter se patenter bella civilia et domesticas discordias; et per consequens non videntur diu duraturi: ideo bene monachus sancti Benedicti dum increparetur a fratre minore de eius lascivia, respondit: quando Franciscus habuerit tot annos quot habet Benedictus, loqueris (1) mihi etc. — *Ben dico.* Hic Bonaventura excipit aliquos paucos a dicta depravatione qui bene servant regulam, quorum meritis ipse ordo consistit. Dicit ergo: *Ben dico, chi cercasse nostro volume,* idest, si quis bene inquireret in ordine minorum, qui est maximum volumen fratrum, ex multis foliis, *a foglio a foglio,* idest, de fratre ad fratrem sigillatim, *ancor troveria carta,* idest, aliquem fratrem, *u' leggerebbe,* idest, legere posset: *Io mi son quel ch' io soglio,* idest, sum vere frater minor antiquus non mutatus, humilis, pauper, discalcius (2). — *Ma non.* Hic Bonaventura damnat in speciali duos fratres minores; et primo fratrem Johannem de Casali: iste siquidem nimius (3) stringebat scripturam sacram in exponendo; scripsit enim super librum Apocalypsis, ubi fecit fructissimas (4) expositiones, et multa

(1) E. tunc loquaris mihi. (2) S. discalceatus. (3) E. nimis.
(4) S. fructiferas. — 4, fructuosissimas. — E. infructuosissimas.

et magna mala dixit de ecclesia, sive de pastoribus ecclesiæ; propter quod liber eius damnatus est et prohibitus sæpe in omni capitulo. Alius fuit frater Matthæus de Aquasparta, qui nimis e contra dilatabat scripturam, nimis elongans se a literali sensu. Dicit ergo: *Ma non fia,* scilicet talis charta, idest frater, *da Casal;* est enim Casale terra satis magna et pulcra, sita supra Padum in Pedemontium; et vocatur Casale sancti Evasii, *nè d' Acquasparta;* Aquasparta est una villa in agro Tuderti, unde fuit oriundus prædictus frater Matthæus, qui fuit cardinalis romanæ ecclesiæ et missus Florentiam a papa Bonifacio ad tollendas seditiones Blancorum et Nigrorum in MCCCI, qui nihil profecit ibi; immo dimisit terram ipsam in peiori statu: ideo forte autor recordatus est eius hic; unde dicit: *là onde,* idest, a quibus terris Casali (1) et Aquasparta, *tali,* scilicet fratres minores, *vegnon alla scrittura,* idest, ad exponendam scripturam sacram. Aliqui tamen exponunt de scriptura regulæ minorum; sed prior expositio melior est; *ch' uno la fugge,* idest, ille de Aquasparta, *e l'altro la coarta,* scilicet, ille de Casali.

Io son la vita. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua dictus Bonaventura describit se et socios illius secundæ coronæ. Et primo describit se a nomine, a loco, et dignitate, dicens: *Io son la vita,* idest, anima, *di Bonaventura,* et est nomen consequens rei; nam fuit bene fortunatus et vere felix, *da Bagnoregio,* Balneum Regium est una parvula civitatuncula (2) apud urbem veterem, unde fuit dictus Bonaventura; et dicit: *che sempre posposi la sinistra cura,* idest, curam temporalium, quæ ducit ad mortem. Unde per infernum semper itur ad sinistram, sicut patuit in libro primo per totum; dextera vero ducit ad vitam; unde per purgatorium semper itur

---

(1) E. Casalis et Aquæspartæ.

(2) E. villula.

ad cœlum ad dexteram. Aliqui tamen per curam dexteram et sinistram intelligunt vitam contemplativam et activam: et dicit: *nei grandi offici*, quia fuit primo generalis ordinis minorum, deinde fuit factus cardinalis invitus; et tamen numquam dimisit studium speculationis sanctarum scripturarum; immo multa et pulcra scripsit in sacra theologia quia magnus doctor fuit. — *Illuminato.* Hic Bonaventura nominat alios duos socios, dicens: *Illuminato et Agostin son quici;* isti fuerunt de primis imitatoribus Francisci (1); unde dicit: *che fur de' primi scalzi poverelli, che nel capestro a Dio si fero amici,* idest, in habitu Francisci (2), cuius fratres portant cordam cinctam. Sed hic oritur dubitatio: cum istæ coronæ constent ex claris doctoribus, viris magnæ scientiæ et sapientiæ; quomodo isti duo fratres, qui fuerunt homines ignorantes reponuntur inter istos litteratissimos? Ad solutionem istius (3) dubitationis est notandum (4), quod autor facit pulcerrimam fictionem. Nam ponit et repræsentat animas istorum doctorum scientificorum in figura stellarum lucentissimarum, quia qui erudiunt alios ad justitiam velut stellæ fulgebant (5) in regno Dei, ut ait Propheta. Modo ad propositum: prædicti fratres licet forte non erudierint vel doctrina vel scriptura, tamen opere et exemplo bene ædificaverunt alios; ideo de industria facit mentionem de ipsis. — *Ugo.* Hic Bonaventura describit alium doctorem, dicens: *Ugo da Sanvittore è qui con elli.* Hic fuit primo canonicus regularis, deinde fuit canonicus in Sancto Victore Parisius, magnus doctor in sacra theologia in millesimo centesimo octavo; et multos et pulcros libros scripsit; fuit vir sanctissimæ vitæ. Unde quum laboraret in extremis, portato sibi corpore Christi, dixit: anima mea vade simul cum Redemptore

(1) E. beati Francisci. (2) E. beati Francisci. (3) E. huius.
(4) S. sciendum. (5) E. fulgebunt.

tuo; et continuo eius spiritus exivit et Eucharistia exivit de manu sacerdotis, et visibiliter volavit in cœlum cum anima illa beatissima etc. — *E Pietro*. Hic nominat alium spiritum, dicens: *E Pietro Mangiatore;* iste Petrus Comestor fuit lombardus, vir magnæ scientiæ, qui fecit librum qui dicitur historia scholastica, in quo declaravit multa puncta et dubia sacræ scripturæ; fecitque epitaphium ponendum supra sepulcrum suum sub hac forma: Petrus sum quem petra tegit etc. Et subdit: *e Pietro*. Hic describit alium spiritum, dicens: *e Pietro Ispano;* hic fuit frater prædicator, qui fecit tractatus in logica, qui distincti sunt in duodecim libellis intra partem maiorem et minorem; quod opusculum fuit utile [1] novellis introducendis ad logicam et artes; unde dicit: *lo qual giù luce*, scilicet, in mundo, *in dodici libelli*. — *Natan*. Hic Bonaventura nominat alium spiritum antiquum de veteri Testamento, dicens: *Natan profeta;* propheta fuit et princeps sacerdotum in Jerusalem, qui tempore David reprehendit ipsum de adulterio, de mandato Dei, de quo scribitur libro Regum. Fuit [2] Natan prædicator et reprehensor, ut convenit pastori; unde convicit David caute per exemplum divitis et pauperis, ut patet [3] ibi, *e il metropolitano Crisostomo;* iste est Johannes, qui interpretatur os aureum; nam *grisos*, græce, *aurum* latine, et *stomox*, idest, *os:* dictus est autem os aureum propter mirabilem eloquentiam eius. Fuit [4] Chrysostomus archiepiscopus antiocenus, cuius vita habetur in historia tripartita. Primo enim studuit philosophiæ, deinde in theologia, tempore Honorii et Arcadii imperatorum; et promotus fuit a Damaso papa, passus exilium a multis hæreticis, non tacuit veritatem in suis prædicationibus et scripturis. Fuit enim homo multum rigidus, *et Anselmo*. Hic fuit mo-

(1) E. valde utile.
(2) E. Fuit iste Natan.
(3) S. patebit.
(4) E. Fuit iste Chrysostomus.

nachus de Normandia, deinde archiepiscopus Conturbiæ; magnus et subtilis doctor in theologia, qui fecit sententias antiquas, *e quel Donato.* Hic fuit romanus grammaticus, qui fecit in grammatica maiorem et minorem editionem; quos libros Remigius doctor commentavit; fuit (1) magister beati Hieronymi: et quia fuit generaliter utilis pueris primo introducendis ad scientias, ideo reponit ipsum inter istos. Unde dicit: *che degnò,* idest, qui dignatus est, *poner mano alla prima arte,* scilicet, grammaticæ. — *Rabano è qui.* Hic fuit doctor et poeta; scripsit librum poetice nimis artificialiter, quare (2) non multum utiliter; fuit anglicus, frater (3) venerabilis Bedæ de una villa Angliæ. — *E lucemi.* Hic ultimo describit ultimum doctorem secundæ coronæ; et hic fuit Joachim abbas monasterii Florensis in Calabria. Scripsit multa et præcipue super prophetas, declarando prophetias et ventura tempora. Unde dicit: *E lucemi da lato il Calavrese abate Giovacchino, di spirito profetico dotato.* Multa siquidem prophetasse vera videtur in libro, quem dicitur fecisse de pontificibus, in quo effigiavit mirabiliter unumquemque in diversa forma et figura, ut sæpe notavi. — *Ad inveggiar.* Hic Bonaventura claudens capitulum, ostendit qualiter fuerit motus ad commendationem Dominici. Unde dicit: *L'infiammata cortesia e il discreto latino di fra Tommaso,* idest magna commendatio quam fecit Thomas de Aquino eloquenter et discrete et curialiter de beato Francisco, *mi mosse ad inveggiar cotanto paladino,* idest, ad invidendum Dominico, qui fuit tam fortis pugil fidei, idest, ad sequendum ex æmulatione virtutis in bona parte. Et subdit concludens: *e mosse meco questa compagnia,* idest, induxit etiam omnes quos tu vidisti et nominari audivisti in secunda corona.

(1) E. et hic fuit. (2) E. quam non multum. (3) E. et germanus frater.

CANTUS DECIMUS TERTIUS, *in quo prædictus sanctus Thomas solvit aliquas dubitationes.*

Immagini chi bene intender cupe. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit vitam beati Dominici, quæ faciebat ad plenam solutionem primi dubii; nunc consequenter in isto XIII capitulo intendit solvere secundum dubium. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in prima quarum manifestat duas coronas superius descriptas per unam similitudinem sive imaginationem [1] similitudinariam. In secunda solvit dubium, ibi: *Poi che tanto.* In tertia dat unum præceptum monitorium circa solutionem dubiorum et responsionem quæsitorum, ibi: *E questo.* Ad primum ergo dico quod autor explicat suprascriptas coronas apparentes in spera solis per unam similitudinem imaginativam. Ad cuius intelligentiam est [2] primo notandum quod autores astronomiæ faciunt sex differentias quantitativas in stellis octavæ speræ; et minores et nubilosiores posuerunt in sexta differentia et magnitudine. Illæ de prima magnitudine sunt quindecim etc. Modo ad propositum autor vult dicere sententialiter in effectu: si vis bene intelligere formam et ordinem duarum coronarum superius descriptarum facias in mente tua talem imaginationem: collige quindecim stellas maioris magnitudinis, deinde septem quæ faciunt plaustrum in polo nostro, deinde duas quæ sunt in principio minoris ursæ, et sic habeas viginti quatuor clarissimas stellas: ex his viginti quatuor constitue duos

---

(1) E. imaginem. (2) S. e E. est prænotandum.

circulos æquales, utrumque duodecim stellarum, et isti duo circuli contineant unus alterum, et moveantur æqualiter unus contra alterum etc. His notatis, litera faciliter patebit, nec oportet facere demonstrationem per literas alphabeti *a, b*, sicut multi faciunt, magis confundentes quam declarantes phantasias minus intelligentium; nunc ergo volens autor exemplificare dictas circulationes invitat nostram imaginativam ad imaginandum. Expone sic literam et ordina: *Chi,* idest quicumque, *cupe intender bene*, idest, desiderat plene (1) intelligere, *quel ch' io or vidi,* de duabus coronis, *immagini*, et imaginando, *ritegna l' image,* idest, imaginationem, *come ferma rupe,* idest, firmam et immobilem velut saxum, *mentre ch' io dico,* idest, interim dum do exemplum pulcrum et proprium, ad intelligendum. Imaginetur ergo: *quindici stelle*, scilicet de maiori magnitudine, *che in diverse plage,* idest, quæ stellæ in diversis partibus cœli, *avvivan lo cielo,* idest, illustrant, *di tanto sereno,* idest, tanto lumine, *che soverchia ogni compage dell' aere,* idest vincunt omnem aliam aggregationem æteris, sive sit gallasia, sive quæcumque alia constellatio: deinde, *immagini quel carro,* idest, illam constellationem quæ dicitur ursa maior vel minor, et appellatur currus similitudinarie, quia constat ex stellis septem, quarum quatuor sunt quasi quatuor rotæ pares in curru, duæ tamquam boves, septima sicut bubulcus ducens currum, et istæ stellæ moventur circa nostrum polum septemtrionalem, et sunt perpetuæ apparitionis; unde dicit: *a cui il seno del nostro cielo,* idest, capacitas nostri hemisperii superioris, *basta notte e giorno,* * quia continuo illuminat nostrum hemisperium nocte et die * (2); unde navigantes semper sequuntur tramontanam quæ est ibi; unde dicit: *sì ch' al volger del temo non vien meno,*

---

(1) E. bene.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.

idest, non disparet in revolutione sua; describit ergo unum brevem circulum et numquam facit occasum sicut aliæ stellæ. Deinde, *immagini la bocca,* idest, stellas duas maiores in ore minoris ursæ, quæ minor ursa est facta ad modum cornu. Unde dicit: *di quel corno che si comincia in punta,* idest in polo, *dello stelo,* idest, axis. Ad quod notandum quod axis cœli appellatur (1) linea recta, quæ est ab uno polo ad alium polum, sicut est in nostro curru materiali ille axis ab una rota ad aliam; puncta ergo axis facit polum circa quem volvuntur ursa maior et minor. Et dicit: *a cui la prima rota va dintorno;* et hic nota quod istud communiter exponitur, quod prima rota prædicti currus minoris ursæ movetur circa punctam sive polum. Potest tamen subtilius intelligi quod prima rota, idest primum mobile quod movetur super duas extremitates axis; et dicit hoc ad differentiam poli zodiaci, qui distat ab isto per quadraginta gradus; imaginetur dico prædictas omnes stellas aggregatas in unum, *aver fatto di sè duo segni in cielo,* idest, duas coronas tales, supple, *qual,* scilicet, coronam, *fece la figliuola di Minoi,* idest, Ariadna, *allora che sentì il gelo di morte,* idest tempore mortis suæ. Ad quod est breviter sciendum quod dum Theseus dux Athenarum reverteretur ab insula Creta devicto Minotauro, et duceret secum duas filias regis Minois, scilicet Phædram et Ariadnam, ut scriptum est in Inferno, dereliquit Ariadnam, quam promisit (2) capere in uxorem in insula deserta nomine Chio dormientem, quam Bacchus stupravit: et illa mortua translata est in cœlum et conversa in constellationem quæ dicitur Corona. Et hic nota quod secundum astrologos Corona, de rei veritate, est una constellatio facta ex pluribus stellis in modum coronæ sive circuli, sicut patet ad

(1) E. appellatur illa rota quæ est.

(2) E. promiserat.

visum respicientibus. Ad propositum ergo vult dicere autor, quod tales erant illæ coronæ fulgentes in spera solis, qualis est illa constellatio in cœlo, quæ dicitur Corona, quæ est et constat etc. Et subdit: *e l'uno aver,* idest, reflectere, *li raggi suoi nell'altro;* et hic nota quod istæ animæ duarum coronarum ibant oppositæ, ita quod una habebat visum volutum visui alterius, more duorum tripudiorum; et oculi illorum unius coronæ jaciebant radios in oculos animarum alterius coronæ ad maiorem lætitiam et gaudiosiorem cantum. Et dicit: *ed ambedue,* idest, et ambo prædicta signa coronarum, *girarsi per maniera,* idest, circulari, per modum quod una iret contra aliam, unde dicit: *che l'uno,* scilicet signum * secundum, *andasse al primo,* idest, contra primum, *e l'altro,* scilicet, signum * (1) primum, *al poi,* idest, contra signum secundum quod postea venit. — *Ed avrà.* Hic autor concludit, quod ille talis qui fecerit talem imaginationem faciliter poterit intelligere dictas coronas; unde dicit: *Ed avrà quasi l'ombra,* idest, similitudinem vel exemplum, *della vera costellazione,* quasi dicat, per istam imaginariam constellationem, quam docui eum facere, intelliget constellationem veram viginti quatuor stellarum, de qua loquutus sum supra, *e della doppia danza,* idest circulationis dictarum coronarum quodammodo tripudiantium. Unde dicit: *che circulava il punto dov' io era,* scilicet cum Beatrice, quia eramus tanquam centrum in medio. Et imaginare, lector, quantum prædicta imaginatio sive comparatio (2) sit pulcerrima et propriissima ad propositum; sicut enim in maxima multitudine stellarum cœli sunt aliquæ paucæ maiores et luminosiores; ita et in magno numero doctorum sunt aliqui maiores et clariores; et sicut stellæ ipsæ sunt in diversis partibus

(1) Le parole fra i due asterischi sono dei Codici Strozziano e Estense.
(2) S. operatio.

cœli; ita isti doctores veniunt a diversis plagis et provinciis, sicut unus ab Italia, alter a Gallia, alter ab Hispania, et ita de multis. Et sicut dictæ stellæ irradiabant se mutuis radiis, ita isti doctores illuminant se invicem radiis scripturarum missarum ab uno ad alium et exponentium unius (1) aliam, et ita de multis quæ per te videas etc.

Poi che tanto. Ista est secunda pars generalis, in qua autor solvit secundum dubium quod restabat; et primo ad apparandum Thomam de Aquino ad loquendum describit quietationem motus et cantus animarum dictarum coronarum, quem motum et cantum exprimit per unam comparationem pulcram et propriam; quæ comparatio stat in hoc, quod motus et cantus illarum coronarum superavit tantum motum et cantum nostrarum dantiarum, quantum motus firmamenti excedit motum unius stagni mortui. Nunc ad literam, construe et ordina sic: *Il cantar e il volger sua misura,* quia cantus duravit tantum quantum circulatio, et ita finivit simul secum pariter, *e quei santi lumi,* idest, sancti doctores luminosi, *attesersi a noi,* quietatione facta, *felicitando sè di cura in cura,* quia feliciter fecerant motum et cantum, et ita feliciter cessaverunt ab utroque, sicut jam aliis vicibus fecerant, quasi dicat, dando sibi tempus in diversis actibus. Et hoc dico fecerunt, *poichè lì si cantò non Bacco, non Peana,* quasi (2) dicat: ibi non laudaverunt pluralitatem deorum more gentilium paganorum, quorum duo, Apollo et Bacchus, erant dii præcipui poetarum maxime celebrati et cantati carminibus eorum, sicut jam declaratum est primo capitulo huius Paradisi. Est enim Pean unum de nominibus solis, ut patet apud omnes poetas, sic dictus; sed ibi cantata fuit Trinitas in

---

(1) E. unus alium. (2) E. quia ibi non.

unitate et humanitas in divinitate; unde dicit: *ma tre persone in divina natura,* supple, cantatæ fuerunt ibi; *ed essa,* scilicet natura divina, *e l' umana,* scilicet, natura, *in una persona,* scilicet, Christi (1). Et hoc dico incomparabiliter et per infinitum excessum ad nostrum cantum; unde dicit: *tanto di là da nostra usanza,* scilicet, terrena, *quanto il ciel ch' avanza tutti gli altri,* idest, octava spera quæ excedit motum uniuscuiusque speræ, vel primum mobile quod movetur ab oriente in occidentem, et revertitur in orientem in viginti quatuor horis, *si muove di là dal muover della Chiana,* quæ est pigerrima, cuius motus est insensibilis. Est enim Chiana vallis palustris in Tuscia, de qua dictum est in Inferni capitulo. — *Ruppe.* Hic autor introducit iterum Thomam de Aquino ad solvendum secundum dubium; et dicit quod omnibus animabus illarum coronarum sic quiescentibus a motu et cantu una illarum rupit silentium; unde dicit: *La luce,* scilicet, Thomæ de Aquino, *in che,* idest, in qua luce, *mirabil vita del poverello,* idest, Francisci, *narrata fumi,* quia supra Thomas narravit autori vitam beati Francisci qui summe dilexit paupertatem amore Christi (2), *ruppe 'l silenzio,* quia cœpit loqui cæteris tacentibus, *nei concordi numi,* idest, in illis beatis qui tam concorditer conveniebant in omni eorum actu, quos autor vocat numina, idest deos participatione, quia participant de divina bonitate. Et subdit quid primo dixerit Thomas, quia scilicet obtulit se ad solvendam secundam dubitationem; unde dicit, *e disse,* scilicet ille Thomas dixit mihi: *dolce amor m' invita,* idest, amor caritatis inducit me, *a batter l' altra,* scilicet paleam, idest ad discutiendum secundum dictum, excutiendo inde dulcem fructum (3) qui latet sub litera, sicut frumentum latet sub palea, et excutitur

---

(1) E. Jesu Christi. (2) E. Jesu Christi.
(3) E. fructum, scilicet sensum qui latet.

inde; et sic est pulcra et propria similitudo: sicut enim palea etc., *quando,* idest, postquam, *l' una paglia è trita,* idest, una quæstio, scilicet prima est bene discussa et determinata, *et quando la sua semenza è già riposta,* idest, postquam fructus eius est inde elicitus, quia scilicet ex illo primo dicto dubio, *u' ben s' impingua,* etc., est extractus tantus fructus, quia narrata est vita Francisci ([1]) et Dominici, in quibus multa bona et utilia dicta sunt ad confirmationem bonorum et emendationem malorum. — *Tu credi.* Hic Thomas de Aquino intendit ad solutionem dubii secundi, quod nascitur ex uno dicto decimi capituli, ubi dicit: *non sorse il secondo.* Ergo ad exponendum et declarandum illud dictum ambiguum, primo Thomas detegit intentionem et opinionem autoris quam habebat de illo dicto. Opinabatur enim autor quod Thomas loqueretur de primo homine Adam ([2]), vel de secundo scilicet Christo ([3]), quia neuter istorum videbatur habuisse parem; et tamen Thomas de neutro intelligebat, immo de rege Salomone. Ergo Thomas primo proponit opinionem autoris ([4]). Ordina sic literam et construe, quæ est satis intricata: *Tu credi che quantunque di lume lece alla umana natura avere,* idest, quicquid luminis licet humanæ naturæ habere, quasi dicat: quicquid sapientiæ perfectionis est possibile hominem naturaliter habere, *fosse tutto infuso nel petto,* scilicet Adam primo parente, quem specificat per mulierem primam quæ facta fuit ex eo; unde dicit: *onde,* idest, ex quo pectore Adæ, *si trasse la costa,* quia, ut legitur Genesis primo, Deus traxit costam de pectore Adæ et replevit eam carne, et ex ea formavit mulierem; ideo dicit: *per formare la bella guancia,* scilicet Hevam, quæ fuit formosissima mulierum; per hoc dans intelligi quod uxor debebat ([5]) esse socia non

([1]) E. beati Francisci et beati Dominici. ([2]) E. scilicet Adam. ([3]) E. Jesu Christo. ([4]) E. autoris ipsius. Ordina. ([5]) S. debeat esse.

serva, juxta illud: sociam sortitus es, non ancillam: et dicit: *il cui palato,* quia gustavit de pomo vetito, *costa a tutto 'l mondo,* quia damnavit totum humanum genus; *ed in quel,* scilicet, in pectore Christi (1), *che forato dalla lancia sodisfece tanto che vince la bilancia d' ogni colpa,* quia scilicet mors Christi (2) præponderavit omni culpæ primorum parentum et omnium hominum in tantum, quod mors illa fuit sufficiens ad redimendum innumerabiles mundos, nedum unum; et dicit quod tantum satisfecit, *e poscia e pria,* scilicet postquam lanceatus fuit in cruce, et anteaquam lancearetur, quia jam sufficiebat passio Domini (3) ad redemptionem absque lanceatione. Et dicit: *da quel valor,* scilicet Deo patre cui attribuitur potentia, *che fece l' uno,* scilicet, Adam, *e l' altro,* scilicet, Christum (4). Et subdit Thomas, *e però ammiri ciò che io dissi suso,* scilicet in X capitulo, *quando narrai che il ben ch' è chiuso nella quinta luce,* idest, spiritus qui erat in luce quinta ex illis duodecim, ex quibus facta est prima corona, *non ebbe secondo.* — *Or apri.* Hic Thomas tacta opinione autoris nunc incipit solvere dubium; et primo reddit autorem attentum ad responsionem quam facturus est, dicens: *Or apri gli occhi,* scilicet intellectuales, *a quel ch' io ti rispondo, e vedrai il tuo creder,* scilicet, de Adam et Christo (5), *e il mio dire,* scilicet, de Salomone, *farsi nel vero,* scilicet, verificari, *come centro in tondo,* quia scilicet utrumque est verum, et tuum credere et meum dicere; et ita bene conformatur illi dicto sicut centrum circulo, quasi dicat: ita bene cadit tuus intellectus et meus in illo dicto sicut centrum in circulo sedet convenienter. — *Ciò che non muore.* Hic Thomas de Aquino primo confirmat opinionem autoris, et probat

(1) E. Jesu Christi benedicti, *che.*
(2) E. Jesu Christi.
(3) E. Domini ipsius nostri Domini Jesu Christi ad redemptionem nostram.
(4) E. Jesum Christum.
(5) E. Jesu Christo.

quod bene intelligit de Adam et de Christo, quia uterque eorum non habuit (1) secundum neque parem, quia fuerunt producti in perfecto esse; unde incipit a longe et longo discursu probat quæ res producuntur (2) a Deo in perfecto esse, et quæ non. Unde dicit: *Ciò che non muore,* idest, omne corporale etiam si (3) non moritur, *non è se non splendore,* idest effectus et sigillatio, *di quella idea,* idest, illius formæ exemplaris, *che il nostro sire,* idest, quam ideam Deus, *partorisce amando,* idest, producit in actum propter amorem quem habet ad creaturas. Ad clariorem istius literæ intelligentiam est notandum (4), quod autor capit hic ideam pro exemplari: est enim idea illa forma exemplaris, quam quilibet artifex concipit mente antequam faciat rem extra; et ita Deus antequam crearet mundum habebat illum in mente sua ab æterno. Opinio autem Platonis, quam Aristoteles reprobat primo Ethicorum, non facit ad propositum, licet Augustinus conetur eam salvare modo prædicto. — *Chè quella.* Hic Thomas explicat primam productionem rerum, ostendens quomodo omnia per verbum facta sunt. Unde dicit: *Chè quella luce viva,* idest filius Dei, *che sì mea,* idest, quæ unitur et fit ea, *del suo lucente,* idest, Deo patre, qui est lux mundi, *che non si disuna da lui,* quia est unus Deus secum, nec dividitur ita ab eo, ut sint duo dii vel plures, *nè dall' amor,* idest, a spiritu sancto, *ch' a lor s' intrea,* idest, utrique patri et filio intricatur vel intrinatur, ita quod sunt tres personæ et unus Deus, *aduna il suo raggiar,* idest, congregat suum splendorem, *quasi specchiato in nove sussistenze,* idest in novem ordines angelorum, in quos radiat sicut sol in speculo. Et dicit: *eternalmente rimanendosi una,* quasi dicat: sine diminutione; et dicit: *per sua bontate,* idest, sola bonitate non

---

(1) S. habuerit.
(2) E. producantur.
(3) E. etiam si moritur.
(4) S. sciendum.

necessitate. Est ergo hic notandum etc. — *Quindi.* Hic describit processum illius splendoris divini in spiritualibus ad corporalia (1), dicens: et ille splendor, *discende quindi,* idest, ab istis substantiis angelicis, *all' ultime potenze,* scilicet, stellas et planetas, *giù d' atto in atto:* et dicit: *tanto divenendo,* scilicet, descendendo ad elementa et res materiales, *che più non fa,* scilicet, descensive, *che brevi contingenze,* idest, immediatas generationes rerum (2) corruptibilium. Et ne videatur obscure procedere subdit declarationem, ostendens quid intelligat per contingentias, dicens: *e intendo queste contingenze esser le cose generate,* idest, ista inferiora generata mediante influentia cœli; unde dicit: *che il ciel produce movendo,* idest, motu suo, *con seme e senza seme,* ut automata et alia pro se virentia. — *La cera di costoro.* Hic Thomas ex dictis arguit quomodo et unde fiat diversitas in istis generalibus, dicens: *La cera,* idest, materia rerum generabilium, *e chi la duce,* idest, et illud quod gignit et gubernat istam materiam, puta cœlum, quod est sigillum illius ceræ, *non sta d' un modo,* quia aliqua sunt proximiora primæ causæ, aliqua remotiora; et proximiora plus recipiunt quam remota; ideo dicit: *e però poi traluce,* scilicet illa, *più e meno,* secundum quod est receptibilis luminis, *sotto 'l segno ideale,* idest, sigillo formali; et sub tali exemplo quod est in mente, a quo artificis exemplo res generata producitur in esse. Et confirmat dictum suum per effectum dum subdit: *ond' egli avvien ch' un medesimo legno secondo specie,* idest, unum et idem lignum specie, *frutta meglio e peggio,* sicut videmus de facto, quod multæ arbores eiusdem speciei, puta ficus, habent diversissimos fructus in forma et qualitate. Et non solum istud videmus in vegetabilibus, sed etiam in homi-

---

(1) E. ad corpora. (2) E. rerum temporalium corruptibilium.

nibus. Unde dicit: *e voi nascete con diverso ingegno,* scilicet meliori et peiori. — *Se fosse.* Hic Thomas ostendit quando et quomodo posset fieri generatio perfecta: et dicit, quod si materia esset bene disposita ad recipiendum, et cœlum esset bene dispositum ad imprimendum, tunc appareret virtus cœli perfecte in tali materia. Unde dicit: *La luce del suggello,* idest, virtus cœli, quod imprimit tamquam sigillum, *parrebbe tutta,* idest perfecta, *se la cera fosse dedutta appunto,* idest, si materia quæ recipit formam esset ita deducta et disposita, sicut deducitur et disponitur cera, quam homo vult bene recipere impressionem sigilli; *e il ciel fosse in sua virtù suprema,* idest, et si speræ cœlestes essent in earum maiori virtute; verbi gratia, si planeta Jovis qui est optimus esset in piscibus, quod signum est domus eius; vel si esset in sua exaltatione, gaudio vel termino, vel esset in bono aspectu bonorum planetarum, et liber a coniunctione malorum; tunc res quæ generaretur respondens illi planetæ esset optima, et appareret in ea virtus Jovis perfecte quæ dat sibi formam. — *Ma la natura.* Hic Thomas ostendit unde proveniat imperfectio rei. Ad quod notandum quod, sicut ex dictis colligi potest, quando mens artificis concordat cum instrumento et materia, et instrumentum et materia cum artifice potente et perito, tunc generatur res perfecta; sed quia ista concordia non reperitur in productione rerum naturalium, ideo generantur res imperfectæ ex parte et defectu materiæ. Nunc ad literam, dicit Thomas: *Ma la natura,* scilicet cœlum, *la dà sempre scema,* idest, dat semper ipsam lucem suam diminutam, non ex intentione sua, sed ex indispositione materiæ: quod declarat per similitudinem propriam et [1] pulcerrimam; et dicit quod natura est

---

[1] E. et pulcram, dicens quod.

similis artifici. Nam, ut videmus de facto, sæpe unus magister bene noverit artem unam, et habet principia et regulas illius artis in mente, sed habet defectum in membris, sicut debilitatem nervorum propter senectutem: iste ergo licet intendat facere * unum opus perfectum secundum artem, non tamen poterit ex defectu organorum: unde faber non poterit facere * (1) cultellum perfectum, nec carpentarius domum. Dicit ergo: *similemente operando all' artista, che ha man che trema all' abito dell' arte,* quasi dicat: quamvis habeat artem habituatam et firmam non tamen prospere agit propter manum trementem, tremulentam; est enim habitus qualitas difficile mobilis. — *Però.* Hic Thomas ex dictis arguit quod quando Deus agit immediate in materiam imprimit tunc formam perfectam; unde dicit: *però se 'l caldo amor la chiara vista della prima virtù,* scilicet, Dei, *dispone,* scilicet, aliquam ceram, idest, materiam, *e segna,* idest, imprimit formam cum suo sigillo, *tutta la perfezion s' acquista quivi,* scilicet, in tali re. Et subdit declarans dictum suum per effectum, quod hinc processit generatio sive productio prima et incarnatio verbi Dei; unde dicit: *la terra già così fu fatta degna,* scilicet, in Adam, *di tutta la perfezion animale,* idest, animæ, *e la Vergine,* idest, Maria, *così fu fatta pregna,* scilicet, de Christo. — *Sì che io.* Hic Thomas concludit confirmans opinionem autoris tamquam bonam et veram, scilicet, quod bene intelligit (2) intelligendo de Adam et Christo, quod uterque non habuit secundum, dicens: *Sì ch' io commendo tua opinione; chè l' umana natura mai non fue nè fia,* scilicet tam perfecta, *qual fu in quelle due persone,* scilicet, Adam et Christo. — *Or s' io.* Hic Thomas procedit ad probandum quod etiam ipse verum dixit (3) quando dixit supra, *non surse il se-*

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
(2) E. intelligat.
(3) E. dixerit quando.

condo, non intelligendo de Adam nec de Christo. Et primo tangit instantiam quam autor facere posset, ut sic descendat ad declarationem suæ intentionis. Unde dicit: *Or le parole tue convincerebber, come dunque costui fu senza pare?* quasi dicat: si tu non intelligis de Adam, nec de Christo, quis aliquis esse potest, de quo dicatur quod nunquam habuit parem? *s' io non procedessi avanti più,* si non dicerem aliud circa hoc dictum. — *Ma, perchè.* Hic Thomas incipit verificare dictum suum, ostendens quod ipse intelligit de Salomone per singularissimam gratiam quæ sibi fuit facta a Deo. Unde dicit: *Ma, pensa chi era,* quasi dicat: cogita quis fuit iste dignus interrogari a Deo, *e la cagion che il mosse a dimandare, quando fu detto,* scilicet, a Deo: *Chiedi,* idest, pete quid vis, quasi dicat Thomas: tu neminem invenias cui Deus (1) fecerit istam oblationem et dederit optionem; de hoc libro Regum III capitulo require; et hoc dico: *perchè paia ben ciò che non pare,* idest, ut tibi sit clarum illud quod tibi videtur obscurum. Et subdit exprimens quis fuerit a regali prudentia (2), *non ho parlato sì,* idest, tam obscure, *che tu non posse,* scilicet, ex dictis sine alia declaratione; quasi dicat Thomas: tu scis ubi ista verba scripta sunt in divina Scriptura, in uno solo loco, ubi fuit rex Salomon qui quæsivit a Deo prudentiam, ut posset regere populum quem etc., *ben veder,* idest, clare intelligere *ch' ei fu re,* et dicit: *che chiese senno,* idest postulavit sapientiam a Domino; et reddit causam dicens: *acciocchè re sufficiente fosse,* quia sine sapientia et prudentia non posset rex bene gubernare regnum. — *Non per saper.* Hic Thomas ostendit quod Salomon bene et laudabiliter petivit; quod probat, quia petivit publicam utilitatem et communem salutem multorum; nec fecit petitionem curio-

---

(1) E. e 4, Deus postea fecerit. (2) E. prudentia, dicens: *non è.*

sam sicut quotidie petunt et optant viri studiosi; non enim petivit sapientiam propter scire metaphysicam, vel logicam, vel physicam, vel geometriam; unde dicit: *Non per sapere,* supple, non petivit sensum, causa sciendi, *il numero in che enno li motor di quassù,* idest, non petivit scire quot sint intelligentiæ numero moventes orbes, quod spectat ad philosophiam naturalem. Ad quod notandum quod Aristoteles, ut patet libro cœli et mundi, voluit quod intelligentiæ, idest angeli, essent tot quot sunt orbes; unde posuit quod essent etc., et voluit quod non essent plures, nec pauciores, quia etc., *o se necesse con contingente mai fenno necesse,* idest, non petivit causa sciendi si in syllogismo maior propositio sit de necessario, et minor de contingenti sequatur conclusio de necessario vel de contingenti: et hoc spectat ad logicam. Ad quod est notandum quod sicut scribit philosophus libro priorum: ex maiori de necessario et minori de contingenti sequitur conclusio, verbi gratia etc.: *non si est dare primum motum esse,* idest et non petivit causa sciendi, utrum motus fuerit ab æterno, an habuerit principium; et hoc spectat ad physicam: unde libro physicorum tractatur de motu. Ad quod notandum quod Aristoteles posuit motum æternum, quod probat etc. Theologi tamen ponunt principium motus et mundi; et sic est tenendum, ut tenet sacra fides; unde in principio Genesis dicitur: *In principio Deus creavit cœlum et terram* etc. *o se si puote far triangolo del mezzo cerchio sì ch' un retto non avesse,* idest, et non petivit causa sciendi si ex semicirculo potest fieri triangulus [1] cum angulo recto; et hoc spectat ad geometriam. Ad quod notandum est quod sicut scribit Euclides: triangulus est figura habens tres angulos æquales duobus rectis: rectus autem angulus

---

[1] E. triangulus sine angulo.

appellatur quando una linea recta cadit directe super aliam lineam rectam, sicut patet in signo crucis etc. — *Onde.* Hic Thomas concludit intentionem suam circa illud dictum, dicens: *Onde vedrai aver solamente rispetto ai regi,* idest, videbis, quod dicendo, *non surse il secondo,* habeo respectum solum ad reges; et dicit, *che son molti e i buon son rari se tu note ciò ch' io dissi,* idest, si quod dictum est verum est, et si tu consideras regalem sensum qui fuit in isto. Unde dicit: *regal prudenza è quel veder impari,* idest, et si tu apprehendis de quo videre ego loquor quando dixi supra, *ch' a veder tanto,* unde dicit: *in che lo stral di mia intenzion percuote,* quia, scilicet sagitta meæ intentionis est quod non fuerit alius qui viderit tantum, nec tam profunde in sapientia, sicut Salomon, *e se drizzi gli occhi chiari,* idest, si dirigis oculos intellectuales ad illud verbum, *Surse,* quod est aliquid surgere in suo esse, ita quod non habet respectum ad Adam qui fuit formatus a Deo, nec ad Christum qui fuit incarnatus sine opera humana. — *Con questa.* Hic Thomas ostendit intentionem suam et opinionem autoris esse veram diversis respectibus; unde dicit: *Prendi il mio detto,* scilicet, *non surse il secondo,* quod ego loquor de Salomone, *e così puote stare con quel che credi,* idest, et ita potest verificari de Adam et Christo. Unde dicit: *del primo padre,* scilicet, Adam, *e del nostro diletto,* scilicet, Christo (1).

E questo. Ista est tertia pars generalis (2), in qua Thomas de Aquino dat unum præceptum monitorium autori circa solutionem dubiorum et responsionem quæsitorum. Et primo suadet quod non sit velox ad respondendum ad dubia quæsita, nisi prius distinctione facta (3); unde dicit: *E questo,* scilicet, quod dixit de distinctione fa-

(1) E. Jesu Christo.
(2) E. generalis huius capituli, in qua.
(3) E. facienda.

cienda, *ti sia piombo ai piedi,* idest, compes ligans pedes tuos, quasi dicat: istud dictum meum frænet (1) affectionem tuam et retrahat ne statim currat ad responsionem (2); unde dicit: *per farti muover lento,* idest, tardum, *com' uom lasso,* sicut senes graves hoc faciunt nihil temere affirmantes nec negantes, *et al sì et al no,* idest, ad dubia tam affirmativa quam negativa, *che tu non vedi,* scilicet, cum oculo intellectuali. — *Chè quegli.* Hic Thomas probat dictum suum per effectum ostendens (3) quod ex tali inconsideratione indiscreta oritur stultus error. Unde dicit: *Chè quegli è ben a basso fra gli stolti,* quasi dicat, est infimus et vilissimus stultorum, *che afferma o niega senza distinzione, così nell' un come nell' altro passo,* scilicet in sic et in non; in (4) partem affirmativam et negativam. Et subdit assignans causam huius erroris, dicens: *perch' egli incontra che la opinione corrente più volte piega in falsa parte;* unde nota quod veritas ut plurimum est latens adeo quod paucissima possunt sciri; ideo cum homo inpræmeditate currit ad respondendum, sæpe labitur in falsum; ideo bene dicebat Damascenus in Aphorismo: si interrogatus velociter respondeat semper dubitandum erit; et sequitur: *e poi l' affetto,* idest, affectio quam homo habet ad talem opinionem suam, *lega l' intelletto,* quia scilicet homo facit sibi habitum de errore qui non potest facile evelli de capite eius; et sic parvus error in principio, magnus est in fine. — *Vie più.* Hic Thomas arguit temerariam dementiam multorum ignorantium qui conantur inquirere veritatem in rebus sine arte. Unde dicit: *Chi pesca per lo vero,* idest, qui rimatur veritatem quæ latet sicut piscis sub aqua, immo ut volebant stoici, veritas latet tanquam in profundissimo puteo, *si parte da riva,* idest, elongatur et va-

(1) S. e E. firmet. (2) E. respondendum.
(3) S. dicens. (4) E. idest, in partem.

riatur (1) a proposito, *via più che 'ndarno,* quia multo plusquam nave (2), *perchè non torna tal qual ei si move,* quasi dicat: immo peior quia plenus multis erroribus et falsitatibus. Et hic nota quod ista sententia autoris est aurea, et tota die verificatur in multis, qui licet sint excellentes in una, duabus, vel pluribus scientiis, ut de penitus ignorantibus nihil dicam, præsumunt temere immittere falcem in messem alienam, scribentes et glossantes in aliis scientiis, de quibus parum noverunt; sicut quidam (3) magnus philosophus et astrologus voluit commentare Valerium Maximum, et in mille locis quid dicat ignorat; et ita de multis magnis magistris, qui multos libros autorum imbrataverunt; quare eleganter inquit Hieronymus: felices, inquit Fabius, essent artes etc. Unde et Plinius adducit exemplum de pictore etc. — *E di ciò.* Hic Thomas confirmat sententiam suam exemplo quorumdam philosophorum et theologorum antiquorum, dicens: *E di ciò sono al mondo aperte prove Parmenide e Melisso.* Et hic nota quod Parmenides et Melissus fuerunt duo philosophi, qui conantes investigare principia rerum naturalium nimis enormiter erraverunt; quorum rationes philosophus improbat primo physicorum sæpissime, et alibi sæpe. — *Brisso.* Hic etiam philosophus erravit in principiis rerum naturalium; fuit autem etc., *e molti,* scilicet alii philosophi, quorum opiniones etiam philosophus reprobat in libris naturalibus, sicut Anaxagoras, Anaximander, Anaximenes etc., *li quali andavan,* scilicet, ad investigandam veritatem, sed cæci ipsi ducebant alios in cæcitatis errorem. Unde dicit: *e non sapean dove,* quia non intelligebant se ipsos. — *Sì fe'.* Ostendit idem in quibusdam theologis, dicens: *Sì fe' Sabellio et Arrio,* idest ita erraverunt. Ad quod sciendum (4) quod Sabellius fuit

---

(1) S. movetur. — E. variat.
(2) E. plusquam vane.
(3) E. e S. quidam Dionysius licet magnus.
(4) E. est sciendum.

magnus hæreticus qui dicebat etc. Arius fuit alius maximus hæresiarcha qui etc., et ita Priscilianus et alii multi etc. Et declarat per simile pravum effectum istorum, dicens: *e quegli stolti che furon come spade alle scritture in render torti li diritti volti.* Ad quod notandum quod Thomas vult dicere sententialiter, quod prædicti hæresiarchæ fuerunt talia specula scripturis, retinendo scilicet in se, et tradendo aliis qualia specula sunt lucentes enses visibus nostris qui ostendunt eos tortuosos. Et hoc accidit propter differentiam materiæ ensis ad materiam vitri et plumbi ex quibus fit speculum. — *Non sien.* Hic Thomas dat optimum consilium circa temeritatem judicandi, dicens: *Non sien le genti ancor troppo sicure* (1), idest, temerarii, *a giudicar,* scilicet, de aliena vita et statu, a simili, *sì come quei che stima le biade in campo pria che sien mature;* existimant enim interdum multum fructum et magnum recoltum, et una parva nebula frustratur spem eorum; et ita e contrario: aliquando existimant modicum fructum et parvum recoltum, et ex insperato implent horreum. — *Ch' io.* Hic Thomas probat judicia hominum esse fallibilia per duo exempla manifestissima, quorum primum est de pruno, dicens: *ch' io ho veduto tutto 'l verno prima il prun mostrarsi rigido e feroce,* quia scilicet prunus in hyeme est tota spinosa, arida, nodosa, *poscia,* scilicet, adveniente vere, *portar la rosa in sulla cima,* quæ tamen est pulcerrima florum. Et hic nota quod comparatio est propriissima ad propositum: prunus enim nodosa, spinosa, arida est in hyeme; sic homo pravus, plenus vitiis, fraudibus, omnibus molestus, nulli utilis, qui lædit, ut spina omnes approximantes vel conversantes secum, qui per totum tempus hyemis, idest malitiæ, est aridus, idest, inutilis et sine

(1) E. *sicure,* temeritate, *a giudicar.*

fructu virtutis, sicut arbor in hyeme frigida; sed adveniente vere (1) divinæ gratiæ, quæ fugat mala præterita, affert rosam, idest, virtutem pulcerrimam, quæ reddit eum tunc utilem, amabilem, odoriferum, idest famosum. Et dat aliud exemplum ordine converso, dicens: *e vidi,* e contrario, *già legno dritto e veloce correr lo mar per tutto suo cammino, perire al fine all' entrar della foce.* Et ista similitudo etiam est propriissima: sicut enim aliquando navis quæ prospere navigavit longum mare finaliter in introitu portus subvertitur et suffocatur; ita homo qui aliquando vixit per totum tempus suæ vitæ laudabiliter et famose (2), in senectute facit infelicem finem et miserabiliter perit; sicut tota die videmus in multis, sicut (3) vetulus qui videbatur semper vivere in orationibus et jeiuniis, tandem ductus est ad suspendium quia repertus est vivere solum ex gallinis (4) furtivis. — *Non creda.* Hic ultimo Thomas de Aquino arguit ignorantiam hominum, qui judicant cito (5) secundum apparentiam, dicens: *Non creda monna Berta e ser Martino,* nomina (6) accepit vulgaria, quasi dicat: non credant idiotæ rudes, *per veder un furare, altro offerere, vederli dentro al consiglio divino;* et assignat rationem: *chè quel,* scilicet, qui furatur, *può sorger,* sicut pulcre fingit autor Inferni capitulo, ubi dicit de illo qui ex serpente revertitur in hominem, quia scilicet recedit a furto, *e quel,* scilicet, qui offert, *può cader,* scilicet, a virtute in vitium, et per consequens ab humanitate in bestialitatem.

---

(1) E. vere, hoc est tempore divinæ.
(2) E. famose, postea in. (3) E. prout legitur de illo vetulo qui.
(4) E. gallinis et rebus furtivis. (5) S. cito ex apparentia, dicens.
(6) E. nomina hæc accepit vulgaria communiora, ac si dicat.

CANTUS DECIMUS QUARTUS, *in quo Salomon solvit aliquas dubitationes, et ponitur ascensus in speram Martis.*

DAL *centro al cerchio, e sì dal cerchio al centro.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster determinavit et solvit secundum dubium quod natum erat ex uno dicto posito in X capitulo; nunc consequenter in isto XIIII capitulo determinat et pertractat unam quæstionem incidentem circa dicta superius. Et præsens capitulum breviter potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor introducit Beatricem quæ proponit (1) ipsum dubium natum in mente autoris. In secunda introducit Salomonem (2) ad solvendam quæstionem, ibi: *Et io udii.* In tertia describit ascensum suum ad speram Martis, et id quod apparet in eo, ibi: *Quindi ripreser.* In quarta et ultima describit in generali spiritus martiales, qui ostenduntur ibi: *Di corno in corno.* Ad primum veniens dico, quod autor introducit Beatricem quæ proponit quæstionem natam in mente autoris. Et primo continuans dicta dicendis præmittit unam comparationem per quam exprimit collationem sermonum factam inter Thomam et Beatricem. Et ad intelligentiam (3) comparationis clare est prænotandum, quod autor in ista litera aliud non vult dicere sententialiter in effectu, nisi quod sicut in vase rotundo pleno aqua, puta mastello, si sit percussum ab extra aqua movetur a circumferentia ad centrum; et e converso, si sit percussum intus aqua movetur e converso a centro ad

---

(1) E. proponit quæstionem natam.
(2) E. Salomonem ad quæstionem.
(3) S. intelligendam comparationem.

circumferentiam; ita in proposito motus verborum incipit primo ab extra, scilicet a Thoma, qui erat in circumferentia, idest, in circulo interioris coronæ, et venit ad centrum, idest, ad autorem et Beatricem qui stabant in medio coronarum, tanquam centrum: postea motus coronarum incœpit a centro, scilicet, a Beatrice et redivit ad circumferentiam, idest, ad Thomam. Nunc ad literam, dicit autor: *L' acqua muovesi dal centro al cerchio,* et e converso, *e sì dal cerchio al centro in un vaso rotondo,* sicut, scitula, *secondo ch'è percossa fuori e dentro.* — *Nella.* Hic autor applicat dictam comparationem ad propositum, dicens: *Questo ch' io dico,* scilicet, de reciproco motu aquæ, *fe' subito caso nella mia mente,* idest, subito incidit menti meæ, *sì come si tacque,* idest, statim cum tacuit, *la gloriosa vita,* idest, anima, *di Tommaso:* sed explicat ipsam comparationem, dicens: *per la similitudine che nacque del suo parlare,* scilicet, ipsius Thomæ qui erat in circulo, *e di quel di Beatrice,* quæ erat in centro dicti circuli, *a cui,* scilicet, Beatrici, *piacque di cominciar sì,* idest, ita, *dopo lui,* scilicet, Thomam. — *A costui.* Hic Beatrix movet quæstionem, cuius solutionem autor indiget scire licet non manifestet: quæstio autem est talis, scilicet utrum post generalem resurrectionem illa lux qua modo sunt fassiatæ illæ animæ sit remansura cum anima et corpore. Dicit ergo Beatrix erga Thomam: *A costui,* scilicet, Danti, *fa mestieri andar alla radice d' un altro vero,* quasi dicat, expedit scire veritatem alterius dubii radicitus et funditus; et dicit: *e nol vi dice,* quia non aperit indigentiam suam, *nè con la voce,* quia non petit verbo de dicto dubio, *nè ancora pensando,* quia si saltem cum animo peteret et corde appeteret, vos perpenderetis et succurreretis necessitati eius ex amore caritatis, sicut tu Thoma promisisti sibi supra. Et hic nota quod autor pulcre fingit hic se in-

digere cognitione istius veritatis quia adhuc non reperit in aliqua spera spiritus, in quibus esset tanta superabundantia luminis, sicut in his positis in spera solari, sicut jam totiens ostensum est; ideo merito cadit dubitatio si tanta lux remanebit in ipsis (1) post reassumptionem carnis: alia ratio videtur et melior quia in ista spera solari sunt excellentes sapientes in sacra scriptura, in quorum numero est Salomon, qui nunc soluturus est istam (2) quæstionem.—*Ditegli.* Hic Beatrix exprimit ipsum dubium, petens solutionem eius; unde dicit : *Ditegli se la luce, onde s' infiora vostra sustanzia,* idest, quæ velat et celat vos (3), *rimarrà con voi,* scilicet, etiam post resurrectionem; unde dicit: *eternalmente sì com' ella è ora,* idest, sicut apparet nunc de præsenti in vobis. Et quia Beatrix sciebat solutionem fieri debere in partem affirmativam, ideo movet secundam quæstionem, quæ oritur ex solutione primæ, dicens: *e, se rimane,* quasi dicat : et si dicitis quod sic, tunc peto, *dite come potrà esser ch' al veder non vi noj,* scilicet, quod dicta lux excellens non lædat visum corporalem, *poi che sarete rifatti visibili,* scilicet, per resurrectionem carnis. Et hic nota quod Beatrix merito movet istud dubium quia, ut totiens jam dictum est, excellentia sensibilium corrumpit sensum, sicut videmus de facto, quod superexcellentia luminis solaris aggravat oculum corporalem, cuius virtus infirma non potest pati tantum excessum disproportionatum (4) illi obiecto; ita in proposito vult dicere Beatrix: quomodo tam debile organum poterit sustinere vim tantæ lucis quod non succumbat? — *Come da più.* Hic autor describit lætitiam immensam, quam ostenderunt illæ animæ de proposita (5) quæstione, per unam comparationem pulcram et claram. Ordina sic literam : *Li santi cerchi,* idest,

(1) S. eis post. (2) E. hanc. (3) E. nos.
(4) E. sic disproportionatum. (5) S. posita.

duæ coronæ illorum sanctorum doctorum, *mostrar nuova gioia,* idest, novam festivitatem in duobus actibus, idest, *nel torneare,* idest, in citissimo et velocissimo motu circulari, *e nella mira nota,* idest in mirabili melodia et cantu, *alla orazion pronta e divota,* scilicet, quam fecerat Beatrix proponendo quæstionem prompte et devote; prompte, quia audacter loquebatur illis doctoribus alumnis suis; et devote, quia venerabatur eos; nam de rei veritate sacra theologia reddit istos doctores venerabiles, et facit ipsos haberi in devotione et reverentia. Et non capias hic orationem pro precatione, immo large pro ordinatione verborum, quæ tendit ad eamdem sententiam; *così come quei che vanno a rota,* idest, sicut illi qui faciunt tripudium, quod appellatur rota more romano, *pinti e tratti,* idest (1), pulsi et allecti, *da più letizia,* idest, a maiori gaudio, *levan la voce,* scilicet, cantantes (2), *e rallegrano gli atti,* idest, renovant gaudium in motibus (3) eorum, *alcuna fiata.* Et hic nota quod autor demonstrat lætitiam spiritualem per corporalem per comparationem magis propriam quam potest. Sicut enim tripudiantes moventur circulariter et suaviter, ita et istæ animæ beatæ in duobus tripudiis; sicut illi canunt dulciter, ita et isti; sicut illi novant et instaurant gaudium et lætitiam in cantu, et omni motu eorum quando audiunt verba amorosa tangentia corda eorum præcipue a domina cantante, ita isti doctores audientes a Beatrice verba tangentia animos eorum, quia scilicet tangebant incrementum futuræ gloriæ eorum. — *Qual si lamenta.* Hic autor ex dictis arguit incidenter nimiam indulgentiam nostram in funeribus mortuorum: deploramus enim nos qui transeunt ab ista miseria ad illam gloriam. Unde dicit: *Qual,* idest, quicumque, *si lamenta perchè qui si*

---

(1) E. e S. idest, impulsi et electi. (2) 4. cantus. (3) E. in mentibus.

muoia, idest, ut aliquis moriatur in mundo isto temporaliter, *per viver colassù,* idest, ut vivat in cœlo æternaliter, *non vide quive*, scilicet, in ista spera solari, *lo refrigerio dell' eterna ploia,* idest, pluviæ, scilicet infusionis divinæ gratiæ et gloriæ; quasi dicat: si vidissent (1) ineffabilem lætitiam istorum quam ego vidi, non plorarent (2) eos qui per mortem transeunt ab ista vita dolorosa ad illam gaudiosam. Unde hic nota quod viri pagani, immo etiam barbari, istam vitam ærumnosam considerantes faciunt puerperia luctuosa, funera vero gaudiosa, sicut narrat Valerius de Thracibus, Pompeius et Augustinus (3). — *Quell' uno.* Hic autor describit cantum quem faciebant illæ animæ lætantes, quia scilicet cœperunt laudare et glorificare Deum, dicentes: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* etc. Unde dicit: *Quell' uno,* scilicet, Deus, *e due,* scilicet Pater et Filius, *e tre,* scilicet, Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, *che,* idest, qui Deus, *vive sempre e regna sempre in tre e due e uno,* et dicit: *non circonscritto,* quia non circumscribitur loco, *e circonscrive tutto,* quia omnia continet, *era cantato tre volte da ciascuno di quegli spirti,* ad laudem ipsius trinitatis, *con tal melodia,* scilicet, tam dulci (4), *ch' ad ogni merto saria giusto muno,* idest, quod esset condignum donum et præmium ad omne meritum, immo nullum meritum creaturæ meretur tantum præmium.

Et io udii. Ista est secunda pars generalis, in qua autor introducit spiritum Salomonis ad solutionem propositæ quæstionis. Et primo describit vocem Salomonis per unam comparationem devotissimam, dicens: *Et io udii una voce modesta,* idest, temperatam et suavem: talis enim fuit vox Salomonis; unde dicit: *forse qual fu dell' Angelo a Maria, rispondere,* idest, forte tam suavis; et

---

(1) E. si vidisset.
(2) E. deploraret.
(3) E. Augustus.
(4) E. dulciter.

bene dicit, *forse,* dubitative, quia non est [1] digna comparatio vocis illius angeli salutantis ad vocem alicuius quantumcumque beati, *nella luce più dia,* idest, magis divina, *del minor cerchio,* idest, minoris coronæ quæ apparuerat primo, in qua erat Thomas de Aquino; et hæc erat anima Salomonis, quæ erat excellentior omnibus animabus illius circuli, sicut dictum est in X capitulo, et expositum est in [2] præcedenti, quod non habuit parem in sapientia; et respondet primæ petitioni, dicens: *il nostro amor si raggerà tanto,* scilicet, in æternum, *dintorno cotal vesta,* scilicet, lucem, quam induuntur beati, *quanto fia lunga la festa di Paradiso,* quasi dicat: in æternum erit nobiscum ista lux, idest, Deus, quem solum amamus. Unde subdit alio modo, dicens: *la sua chiarezza,* idest, radiatio æterna Dei, *seguita l' ardore,* idest, nostram caritatem, *l' ardore la visione,* idest, ardor caritatis nostræ sequetur visionem nostram; et dicit: *e quella,* scilicet, visio, *è tanta,* idest tam capax, *quanto ha di grazia sovra suo valore,* idest, super virtutem suam. — *Come.* Hic Salomon respondet secundæ parti petitionis, et dicit quod habebunt visionem intensiorem, ita quod eos non gravabit, immo delectabit ille immensus splendor. Dicit ergo: *La nostra persona fia più grata,* scilicet post resurrectionem carnis, *per essere tutta quanta,* idest, propter perfectionem compositi, *come la carne gloriosa e santa fia rivestita,* idest, statim cum reinduerimus carnem glorificatam et beatificatam. — *Perchè.* Hic Salomon reddit rationem sui dicti, dicens: *Perchè ciò che il sommo Bene,* idest, Deus, *ne dona di lume gratuito,* idest, de isto lumine quod nunc nobis donat gratis, magis quam meritis nostris, *s'accrescerà,* idest, crescet in nobis post resurrectionem; et repetit, *lume,* idest, lumen dico,

---

(1) E. non esset. (2) E. in proximo præcedenti cantu, quod.

che ne condiziona, idest, nos disponit, *a veder lui,* ideo, subdit: *onde la visione,* idest, nostra virtus visiva, *crescer conviene,* idest invalescere et fortificari. Et ita ostendit [1], *crescere l' ardore,* scilicet, caritatis, *che di quella s' accende,* idest, ex illa visione accenditur in nobis, quia videndo Deum accenditur in nobis ardor caritatis; et ita ostendit [2]: *crescer lo raggio,* idest, luminis, *che viene da esso,* idest, ab ipso summo bono; vel ab ipsa æterna luce si dicatur, *da essa.* — *Ma sì come.* Hic Salomon explicat virtutem [3] et potentiam corporum beatificatorum, tunc cum anima per unam comparationem pulcram et claram; quæ comparatio stat in hoc, quod sicut flamma procedit a carbone nec tamen est tanta quod velet ipsum carbonem, ita quod eius visio non appareat; ita erit de anima coniuncta corpori. Dicit ergo: *questo fulgor che già ne cerchia,* idest, lux exterior quæ jam nunc fassiat nos, *fia vinto in apparenza dalla carne,* quia erit tunc splendidior præsenti splendore cum tamen sit nunc tam fœtida et obscura. Unde dicit, *che,* idest, quam carnem, *la terra ricoperchia tuttodì,* scilicet, cum homines sepeliuntur, a simili, *così come carbon che rende fiamma,* quia scilicet, flamma oritur a carbone. Est enim carbo flamma aut est etc., *e soverchia quella,* idest, superat et vincit illam flammam in candore, *per vivo candore,* scilicet, suo, *sì che la sua parvenza,* idest, apparentia ipsius carbonis, *si difende,* scilicet a flamma, quia tantus est splendor vivax carbonis quod non potest velari a splendore flammæ. Et est comparatio propria de carbone materiali accenso ad carnem materialem glorificatam; et de flamma splendenti ad ipsam lucem luminosam et subtilem. — *Nè potrà.* Hic Salomon respondet quæstioni tacitæ. Posset enim autor obiicere: quomodo organa corporalia de-

---

(1) E. ita oportet *crescere.* (2) E. oportet. (3) E. veritatem.

bilia poterunt sustinere immensitatem tantæ lucis? Dicit ergo: *Nè tanta luce,* scilicet, exterior, *potrà affaticarne,* idest, poterit impedire nos vel gravare, *chè,* idest, quia, *gli organi del corpo,* quæ sunt nunc debilia sicut oculi, *saran forti a tutto ciò che potrà dilettarne.— Tanto.* Hic autor ostendit quod solutione facta statim omnes illi spiritus clamaverunt desideranter, *amen;* unde dicit: *L'uno e l'altro coro,* idest, utraque societas illorum duorum circulorum, *mi parver tanto subiti et accorti,* scilicet ex dictis per solutionem, quia subito sine interpositione alterius moræ, *a dicer amme,* idest, amen, in signum confirmationis. Est enim, *amen,* dictio hæbraica, quæ aliquando est verbum, et tantum valet quantum *sit* vel *fiat;* et sic potest capi hic, quia illæ animæ dixerunt cito sit vel fiat quod [1] tu dicis. Aliquando est adverbium optandi, et tantum valet quantum utinam; et sic melius capitur hic, ut indicat litera sequens: tertio modo amen significat diuturnitatem, et tantum valet quantum indesinenter vel indeficienter; et isto modo potest etiam capi hic; ut illæ animæ dicant: illud quod dicis sit sine fine æternaliter. Unde dicit: *che ben mostrar disio di corpi morti;* desiderant enim perfectionem unionis. Et subdit causam desiderii eorum, dicens: *forse non pur per loro,* idest, non tantum simpliciter gratia ipsorum, *ma per le mamme,* idest, sed etiam propter matres, *per li padri,* qui dederunt eis esse, *e per gli altri che fur cari,* idest, pro consanguineis et amicis quos dilexerunt in vita; unde dicit: *anzi che fosser sempiterne fiamme,* idest, antequam essent sempiternaliter beatificati: ideo optabant videre [2] in carne illos quos dilexerant in carne. — *Et ecco.* Hic autor describit unam aliam coronam beatorum doctorum, quæ superveniens circumdedit illas duas primas. Ad cuius intelligentiam

(1) S. id quod. (2) E. vivere.

est hic prænotandum pulcram prævidentiam autoris. Considerans enim autor quod doctores fuerunt plurimi et clarissimi sicut sydera cœli quia nimis longum fuisset prosequi de omnibus vel pluribus, ideo descriptis aliquibus principalibus, quos ordinat in duabus coronis, nunc cæteros (1) redigit ad unum tertium circulum magnum qui claudit duos primos. Ad literam nunc dicit autor per similitudinem: *Et ecco un lustro pari di chiarezza,* idest, unus tertius circulus luminosus similis primis duobus, *nascer intorno,* idest, circa dictos circulos, *sopra quel che v' era,* primum, idest, supra lumen, illorum duorum a simili, *a guisa d' orizzonte che rischiari,* scilicet, a nubibus quibus cooperiebatur prius. — *E siccome.* Hic autor explicat apparitionem animarum dicti circuli tertii per comparationem propriam stellarum; et sic applicat ad propositum clarescentiam horizontis; et dicit, quod sicut adveniente nocte incipiunt apparere sydera lucentia in cœlo, ita quod res quæ apparet videtur sed non vere; ita a simili cœperunt apparere sydera nova radiantia, scilicet novi doctores sub forma syderum, sicut et primi duarum coronarum, sed non tanta luce splendentes. Ordina sic literam: *E parvemi cominciare a veder lì novelle sussistenze,* animas (2) beatas dicti tertii circuli, *e far un giro,* idest, unum circulum, *di fuor dall' altre due circonferenze,* idest, extra duas coronas primas, *sì come nuove parvenze,* idest, novæ apparitiones stellarum, *comincian per lo ciel a salir di prima sera,* idest, in crepusculo noctis, *sì che la vista,* idest, visio rerum, syderum, *pare e non par vera;* unde crepusculum dicitur quasi dubia lux inter diem et noctem. Et nota quod comparatio est propria ad propositum, quia licet istæ animæ apparerent in forma syderum autori, non tamen plene et manifeste

(1) E. cæteros reducit et redigit. (2) E. idest animas.

sicut primæ, sed confuse, quia hic erat maximus numerus doctorum quos autor non poterat nominatim numerare, sicut fecerat superiores, nec distincte; sed sub involucro comprehendit omnes. — *O vero.* Hic autor commendat in genere splendorem huius tertii circuli, et dicit admirative, *O,* idest, dico, *vero sfavillar del santo spiro,* idest, verum splendorem Spiritus sancti, *come,* ille [1] gyrus sive circulus, *si fece subito e candente,* quia subito apparuit splendens, *agli occhi miei,* scilicet, intellectualibus, *che,* idest, qui oculi, *vinti,* scilicet, a lumine et splendore, *nol soffriro,* idest, non sustinuerunt: et bene fingit, quod intellectus eius non erat sufficiens intueri et speculari lucem et claritatem tot et tantorum autorum; nec etiam suffecisset maximus codex ad descriptionem ipsorum.

Ma Beatrice. Ista est tertia pars generalis, in qua autor describit suum ascensum ad speram Martis; et primo more suo describit exaltationem Beatricis, et dicit: ad quid prosequor amplius splendorem illius circuli cum Beatrix subito facta splendentior [2] traduxerit me ad superiorem speram Martis? unde dicit: *Ma Beatrice mi si mostrò sì bella e sì ridente,* idest, tam lucida et læta, quod nequeo ipsam describere; ideo dicit: *che si vuol lasciar tra l'altre vedute che non seguir la mente,* idest, memoriam meam. Et adverte quod autor respicit ad illud quod dixit circa principium primi capituli huius paradisi, ubi dixit: *Perchè appressando sè al suo desire Nostro intelletto si profonda tanto Che retro la memoria non può ire;* ideo bene dicit quod vult dimittere nunc descriptionem tantæ pulcritudinis. — *Quindi.* Hic autor ponit effectum illius exaltationis Beatricis, et dicit, quod vigoravit et fortificavit eius virtutem speculativam. Unde

(1) S. idest, ille gyrus.

(2) S. e E. splendidior.

dicit: *Gli occhi miei,* scilicet, intellectuales, *ripreser quindi virtute,* idest, vigorem a Beatrice exaltata, *a rilevarsi,* quia fuerant oppressi subito et magno splendore animarum tertii circuli. Et subdit vigorem sibi collatum a Beatrice. quia erexit speculationem supra aliam speram; unde dicit: *e vidimi translato sol con mia donna,* idest, solum cum Beatrice, relictis illis tot animabus beatorum doctorum quas videbant ante: et dicit notanter de facto esse et non de fieri, ut per hoc det tacite intelligi quod in instanti et sine intervallo transiverit [1] ad aliam speram Martis quæ est altior sole. Sed hic oritur dubitatio: quomodo autor vocat Martem maiorem salutem sole, cum sol sit pater generationis, et Mars sit autor destructionis et corruptionis. Dicendum breviter quod factus est proximior primæ causæ et per consequens maiori saluti; vel melius, quia in sole sunt doctores qui illuminaverunt fidem doctrina et scriptura; in Marte vero sunt milites qui pugnaverunt pro fide Christi [2] cum effusione proprii sanguinis. Unde nota quod isti doctores militantes Deo cum lingua vel penna, non tantum meruerunt quantum isti duces pugnatores, qui militaverunt cum manu vel spata, quia exposuerunt vitam etc., sicut a simili in mundo isto. — *Ben m' accors' io.* Hic autor ostendit quomodo cognoverit exaltationem suam per colorem ipsius planetæ Martis, dicens: *Ben m' accors' io ch' io era più levato,* scilicet, ad altiorem planetam, *per l' affocato riso della stella,* idest, propter splendorem Martis qui est coloris magis igniti quam Mercurius, Venus vel Sol; unde dicit: *che mi parea più roggio che l' usato,* quia videbatur rubicundior sole. — *Con tutto il cuore.* Hic autor ostendit quomodo devotissime regratiatur Deo qui fecerat sibi tantam gratiam, quod perduxerat eum ad speram Mar-

---

(1) E. transivit.

(2) E. Domini nostri Jesu Christi.

tis. Unde dicit: *Io feci olocausto,* idest, sacrificium: * dicebatur enim olim holocaustum, idest sacrificium * [1] ardens, quando animal erat totum incensum in sacrificio. Dicitur enim ab holon quod est totum etc. Vult ergo dicere autor quod fecit totum sacrificium de tota mente sua; unde dicit: *con tutto il cuore e con quella favella che è una in tutti,* idest, cum oratione mentis quæ est eadem apud omnes, quamvis habeant diversa idiomata. Et dicit: *qual conveniasi alla grazia novella,* scilicet, de ascensione Martis. — *E non era.* Hic autor ostendit quomodo eius devota regratiatio fuerit accepta a Deo, quod ipse cognovit per evidentiam signi. Unde dicit: *E l' ardor del sagrificio non era ancor esausto,* idest, evacuatus vel extractus, *del mio petto,* quasi dicat: et nondum erat completa regratiatio in animo, *ch' io conobbi esso litare,* idest, ipsum sacrificium esse, supple accepto, scilicet Deo, *e fausto,* idest, felix, quia statim feliciter obtinuit quod optabat. Optabat [2] enim scire quid esset in illo planeta Martis; unde subiicit signum suæ cognitionis, et breviter dicit quod in Marte vidit insignitum signaculum crucis, in qua Christus [3] effigiatus apparebat fulgurans. Unde dicit: *chè splendori,* supple, duo, *m' apparvero dentro a due raggi,* idest, intra duas lineas radiales; erant enim duæ lineæ splendentissimæ constituentes ibi crucem. Unde dicit: *con tanto lucore,* idest, lumine *e tanto robbi,* idest, rubei, ita quod illæ lineæ erant conformes planetæ in splendore et rubore, *ch' io dissi,* scilicet, in mente mea devota cum magna admiratione: *o Eliòs,* idest, o sol justitiæ Deus! helyon enim est nomen Dei et interpretatur excelsus, *che sì gli addobbi,* idest qui ita adornas istos splendores. Est autem hic notandum pulcram et

---

(1) Le parole fra i due asterischi son de' Codici Strozziano ed Estense.

(2) E. Cupiebat etenim.

(3) E. Jesus Christus.

artificiosam fictionem autoris: quia enim Mars est (1) autor belli, ita autor bene fingit in eo esse animas beatas eorum qui per bella acquisiverunt gloriam paradisi pugnando, vel per præceptum Dei, sicut in veteri testamento, vel pro fide christiana in novo; et ideo egregie fingit quod animæ martiales consertæ simul constituunt signum sanctæ crucis ad innuendum quod omnes tales exposuerunt se morti pro illo (2) Domino, qui voluit ferre mortem in cruce ad salvationem humani generis. — *Come distinta.* Hic autor describit constitutionem prædicti signi crucis per unam subtilem comparationem et nobilem: et dicit, quod diversæ animæ et differentes simul contextæ ita faciebant ibi signum crucis, sicut variæ et distinctæ stellæ simul aggregatæ faciunt illam constellationem in cœlo quæ appellatur galassia. Ad cuius comparationis claram intelligentiam volo te prænotare, quod secundum quod scribit philosophus libro Methaurorum, et magnus Albertus, galassia est etc. Hoc prænotato descende ad literam, quam expone sic: *Quei raggi*, idest, illi duo radii lineales prædicti, *sì costellati*, idest, aggregati ex multis animabus beatis in modum stellarum, quæ galassiam faciunt, *facean nel profondo Marte*, idest, intra corpus Martis, *il venerabil segno*, scilicet, sanctæ crucis, *che fan giunture di quadranti in tondo.* Et nota quod (3) hic autor circumloquitur istud signum per unam similitudinem, dicens, quod quadrantes positi in circulo faciunt illud (4) signum. Est enim quadrans instrumentum in astronomia, quod est quarta pars astrolabii, quod est aliud instrumentum rotundum in astrologia, et in ipso quadrante videntur omnia quæ videri possunt per ipsum astrolabium. Modo ad propositum si

---

(1) S. Mars cum fit autor belli, ideo autor.
(2) E. illo nostro Domino pretiosissimo Jesu Christo, qui.
(3) E. quod per hoc autor. (4) E. istud.

quatuor quadrantes coniungantur in unum faciunt signum crucis per medium, et ut ista similitudo sit tibi clarissima dabo tibi exemplum grossum: accipe unum incisorium rotundum, et ipsum dividas in quatuor partes æquales, tunc illa quatuor quarteria simul juncta faciunt tibi signum crucis, sicut patet in præsenti figura hic a latere posita, a simili, *come galassia,* idest, constellatio illa quæ interpretatur via lactea: unde Ovidius primo Metamorphoseos (1): *Est via sublimis, cœlo manifesta sereno, Lactea nomen habet, candore notabilis ipso* etc., *distinta da minori e maggi,* idest, maioribus, *lumi,* idest, a stellis luminosis maioribus et minoribus, *biancheggia,* quia alba et clara videtur, et appellatur a vulgaribus via sancti Jacobi: et dicit: *tra i poli del mondo*, scilicet, inter arcticum septentrionalem et antarcticum meridionalem; et dicit: *sì che fa dubbiar ben saggi,* idest, magnos sapientes philosophos. Ad quod sciendum quod de galassia fuerunt variæ opiniones etc. Et hic nota quod comparatio est propria ad propositum. Sicut enim stellæ differentes in magnitudine et splendore simul aggregatæ faciunt constellationem galassiæ, ita hic (2) animæ beatæ differentes inter se secundum plus et minus gloriæ simul proportionabiliter ordinatæ faciunt hic signum crucis. — *Qui vince.* Hic autor excusat se ab ampliori descriptione, et dicit quod potentia materiæ vincit potentiam inventivæ. Unde dicit: *Qui la memoria mia,* idest, altam materiam quam assumpsi describendam, *vince l' ingegno,* quia transcendit vires humani ingenii natura Christi (3) simul humana et divina; unde dicit: *chè in quella croce lampeggiava Cristo,* idest, cum fulgore ostendebat Christum (4) positum in ipsa cruce; unde dicit: *sì ch' io non*



(1) E. Metamorphoseon hanc sic describit, dicens: *Est via.*
(2) E. ita eæ animæ beatæ hic differentes secundum.
(3) E. Jesu Christi. (4) E. Jesum Christum.

so trovare esemplo degno, et ideo subdit autor quod relinquit hoc imaginationi eorum qui habent passionem [1] Christi signatam in corde, dicens: *ma chi prende sua croce,* scilicet in animo cum amore, vel etiam in corpore cum pœnitentia, sicut fecit Franciscus [2], *e segue Cristo,* idest, sequitur vestigia Christi et exequitur eius mandata, *ancor mi scuserà,* scilicet, quando videbit ista quæ nunc ego vidi, *di quel ch' io lasso,* quia scilicet non dico amplius de tam digna materia, *veggendo Cristo balenare,* idest, fulgurare, *in quell' arbore,* idest, arbore crucis vel *albòre,* idest, clarore sicut ego vidi.

Di corno in corno. Ista est quarta et ultima pars generalis [3], in qua autor describit in generali apparitionem animarum illarum martialium; et dicit quod illæ discurrebant velociter per utramque lineam crucis, scilicet rectam et transversalem. Unde dicit: *Lumi,* idest, spiritus luminosi, *si movean di corno in corno,* idest, ab uno extremo lineæ transversalis ad aliud, *e tra la cima e 'l basso,* idest, a summitate lineæ rectæ ad pedem ipsius crucis. Aliqui tamen exponunt quod movebantur circulariter circa quatuor extremitates crucis, ita quod faciebant de se circulum circa crucem. Et dicit: *scintillando forte,* idest, radiando et flammando, *nel congiungersi insieme,* idest, quando occurrebant sibi in via, *e nel trapasso,* idest, in transitu; et ista litera ostendit quod prior expositio sit melior, quia istæ animæ occurrebant sibi in discursu: puta illæ quæ movebantur a superiori parte versus inferiorem, occurrebant venientibus *ab inferiori parte ad superiorem; et ita venientes a dextro cornu obviabant venientibus* [4] a sinistro et e converso: et pro certo ista est intentio autoris, quod indicat

---

(1) E. passionem Domini nostri Jesu Christi.

(2) E. beatus Franciscus.

(3) E. generalis huius capituli, in qua.

(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.

litera sequens. — *Così.* Hic autor describit motum ipsarum animarum per comparationem claram et propriam. Et dicit quod ita se ostendebant illæ animæ beatæ per crucem, sicut illa corpuscula minuta quæ videmus hic in spera solis. Dicit ergo: *Le minuzie de' corpi,* minutiæ sunt minimæ cuiuslibet corporis portiones, sicut illæ quæ in radiis solaribus pervagantur, quæ atomi vocantur, *lunghe e corte si veggon sì,* idest, ita, *qui,* scilicet, in mundo nostro, *moversi per lo raggio,* scilicet, solarem, *dritte e torte,* quia per rectum et transversum speræ solaris, *veloci e tarde rinnovando vista,* scilicet per vicissitudines. Et dicit, quod ex illis minutiis aliquando listatur domus; unde dicit: *onde,* idest, ex quibus minutiis, *talvolta si lista,* idest, listatur et signatur, *l' ombra,* scilicet, illa, *che la gente acquista per sua difesa;* per hoc dat intelligi domum per quam homo defendit se a frigore, calore, vento et aliis incommodis naturalibus; et dicit notanter, *con ingegno ed arte,* quia avis non facit sibi nidum arte vel ingenio, sed solum natura. Unde videmus quod hirundo semper facit nidum eodem modo, et ita fera suam cavernam, sicut bivarus semper facit suum domicilium eodem modo; similiter apis favum mellis semper uniformiter; homo vero facit domum mille modis variis et diversis. — *E come.* Hic autor descripto motu illarum animarum, nunc describit earum cantum more suo per comparationem pulcram, quæ stat in hoc, quod sicut in instrumento musico diversæ chordæ coordinatæ simul reddunt dulcissimam melodiam; et ita istæ animæ in signo crucis dispositæ earum diversis vocibus faciebant dulcissimum cantum. Ordina sic literam: *E una melode,* idest, harmonia cantus, *che mi rapiva,* idest, abstrahebat animum meum delectatione sua, *senza intender l' inno,* idest, quamvis non intelligerem formam cantus, quia non discernebam verba, *s' accogliea per la croce da' lumi,* idest,

ab illis luminosis spiritibus, *che m' apparinno lì,* scilicet, in spera Martis, *come giga ed arpa,* idest, illa duo instrumenta musica, quæ artificialiter faciunt mirabilem sonum, *fan dolce tintinno,* idest, sonum, *in tempra tesa,* * idest, in temperie extensa, *di molte corde,* et dicit: *a tal da cui la nota non è intesa* * (1). Et hic nota quod comparatio est propria; primo quia sicut diversæ chordæ in lyra ita bene proportionantur ad invicem, quod faciunt dulcem sonum; ita hic in ista cruce diversæ animæ ita bene conveniebant in vocibus quod faciebant dulcem cantum; et sicut sæpe sonus musicus auditur a multis cum delectatione qui tamen non intelligunt ipsum (2) sonum; ita hic cantus audiebatur ab autore cum summa dulcedine, et tamen non intelligebatur (3) nisi in confuso. — *Ben m' accors' io.* Hic autor applicat excellentiam illius cantus, dicens: *Ben m' accors' io ch' ell' era d' alte lode,* scilicet, illa (4), *perocchè a me venia,* scilicet, ad auditum meum istud dictum: *Risurgi e vinci.* Et hic nota quod isti spiritus fortissimi hortabantur autorem ad virtutem fortitudinis, quasi dicentes: resurge et vince mundum et eius ærumnas, et fortiter pugna, sicut et nos fecimus: vel vince te ipsum. Alii tamen exponunt quod dicti spiritus cantabant: *exurgat Dominus et dissipentur inimici eius,* sicut simile ponitur supra XV capitulo Purgatorii; sed litera non patitur istam expositionem. — *Io.* Hic autor describit virtutem, efficaciam et effectum illius cantus in se autore, dicens: *Io m' innamorava tanto quinci,* scilicet, ab hac melodia et dictis verbis, *che infino a lì,* idest, usque ad istum cantum, *non fu alcuna cosa,* scilicet, de rebus quas viderat vel audiverat infra speram Martis, *che mi legasse con sì dolci vinci,* idest, tanta dul-

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
(2) E. dictum sonum.
(3) E. intelligebatur ab eo nisi.
(4) E. e S. illa melodia.

cedine et delectatione, quasi dicat: hucusque non vidi, nec audivi rem, quæ dulcius oblectaret animum meum. — *Forse.* Hic autor removet unam dubitationem incidentem ex dicto suo; et primo tangit ipsam, deinde solvit. Ad quod est sciendum quod posset obiici autori sic: tu dicis quod nulla res fuit hactenus, quæ tanta dulcedine ligaverit te sicut præsens cantus; ergo tu videris in hoc præferre melodiam illius cantus placibilitati oculorum Beatricis? Dicit ergo: *Forse la mia parola par troppo osa,* idest, presumptuosa, *posponendo,* scilicet, illius melodiæ cantus, non excipiendo tamen, *il piacer degli occhi belli,* scilicet Beatricis, de quorum pulcritudine totiens dictum est vel dictum est semper præterquam hic; in singulis enim speris supra descripsit (1) superexaltationem Beatricis; hic vero videtur oblitus eius, et dicit: *nei quali,* idest, in quibus oculis Beatricis, *mirando mio disio ha posa,* quia scilicet, nil aliud petit quando miratur oculos illos: præinnuit (2) tacite quod appetitus eius quietatur in speculatione sacræ scripturæ, ita quod non desiderat aliud. — *Ma chi s' avvede.* Hic autor respondet obiectioni; et finaliter in effectu vult dicere quod quamvis videatur postposuisse placibilitatem Beatricis, quia non fecit commendationem expresse de superexaltata pulcritudine eius, tamen tacite bene fecit mentionem; nam describendo dulcedinem cantus illarum animarum pro maiori, quem audiverit hactenus, et per consequens descripsit maiorem pulcritudinem Beatricis, quia unum præsupponit reliquum; sicut enim totiens dictum est semper quando Beatrix ascendit ad altiorem speram efficitur pulcrior et clarior, quia invenit maius corpus et nobiliores animas. Nunc vide literam quæ erit facilis si bene notasti; dicit autor: *Ma chi s' avvede,* idest,

---

(1) E. descripsit semper exaltationem. (2) E. innuit.

quicumque perpendit, *che i vivi suggelli,* scilicet, planetæ, qui tamquam sigilla imprimunt formam in materia; vel, *vivi suggelli,* idest, animæ sanctæ, et utrumque verum est, immo neutrum verum videtur, immo exponatur, *suggelli,* idest, circuli Beatricis, *fanno più d' ogni bellezza più suso,* et per consequens Beatrix fieri debebat pulcrior, *e ch' io non m' era rivolto ad elli,* scilicet, ad oculos Beatricis, *lì,* scilicet ubi erat illa melodia animarum in cruce; quasi dicat: non verteram me ad Beatricem postquam respexi animas illius crucis, et vacavi cantui [1] earum, *escusar puommi di quel ch' io m' accuso,* scilicet, quando dixi: *forse la mia parola par troppo osa per escusarmi,* quia tetigi dubium accusando me ut solverem dubium excusando me, ostendendo quomodo in rei veritate ego non postposueram pulcritudinem Beatricis; et dicit: *e vedermi dir vero,* idest, et potest videre me dicere verum, quando dixi quod nulla alia res tantum me ligaverat quantum melodia illa, quia placibilitas Beatricis est inclusa in illa, et datur intelligi per illam; unde dicit: *chè 'l piacer santo,* scilicet, Beatricis, *non è qui dischiuso,* idest, exclusum, immo potius inclusum: quod declarat statim, dicens: *perchè,* illud placere Beatricis, *si fa più sincero montando,* quia quanto magis ascendit, tanto magis crescit; ideo si non fieret aliqua mentio de incremento pulcritudinis tacite deberet semper intelligi quando ascenditur altius; oculi enim Beatricis sunt qui ostendunt sibi omnem pulcritudinem; et in hoc terminat capitulum etc.

---

(1) S. a cantu.

CANTUS DECIMUS QUINTUS. *in quo dominus Cacciaguida multa dicit super mores florentinorum.*

BENIGNA *volontade in che si liqua.* Postquam in superiori capitulo autor noster tractavit et determinavit in generali de animabus sequutis influentiam Martis, nunc consequenter in isto XV capitulo introducit in speciali unam animam illustrem modernam de spera Martis, quæ narrat eius genealogiam et conditionem antiquam et modernam suæ civitatis Florentiæ. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales: in prima quarum autor introducit illum spiritum, qui recipit et alloquitur eum cum alacri gratulatione. In secunda dictus spiritus regratians Deo lætatur de adventu expectato autoris, et offert se petitioni suæ: et autor excusans se regratiatur illi, et petit quis sit, ibi. *Indi, a udire.* In tertia et ultima ille spiritus respondens propalat se et narrat imitationem (1) status Florentiæ, ibi: *O fronda mia.* Ad primum veniens dico quod autor promovet unum spiritum principium sui generis, qui gratulanter recipit (2) eum. Et primo continuans dicta dicendis, describit quietationem cantus illarum animarum, ut detur spatium loquendi illi spiritui venturo: et breviter vult dicere autor, quod bona voluntas procedens a vero amore illarum animarum imposuit silentium dulcissimo cantui earum causa satisfaciendi desiderio autoris, quod videbant ex revelatione divina. Nunc ergo expone sic literam: *Benigna volontade in che si liqua,* idest, in qua liquido et clare ostenditur, *sempre l'amor*, scilicet verus, cari-

---

(1) E. mutationem. (2) S. recepit eum.

tativus, *che drittamente spira,* quia semper recte procedit, *come cupidità fa,* sicut falsus amor liquidatur, *nella iniqua,* scilicet, voluntate indirecta, *pose silenzio a quella dolce lira,* idest, illi cantui dulcissimo illarum animarum quæ [1] concordabant in cantu sicut chordæ in lyra, ut jam prætactum est in præcedenti capitulo. Unde dicit: *e fece quietar le sante corde,* dictæ lyræ, *che,* idest, quas. *la destra del ciel,* idest, manus Dei, *allenta e tira,* idest, remittit, et movet, secundum quod sibi placet, tamquam optimus citharista, qui semper bene temperat chordas, nec unquam oberrat, sicut sæpe citharistæ mortales [2]. — *Come.* Hic autor ex dictis ostendit quod illæ animæ non possent denegare juste precantibus, quorum petitio est exaudibilis. Unde dicit per modum interrogationis: *Quelle sustanzie,* scilicet, animæ beatæ, *come saranno sorde,* idest, quomodo claudent aures, *ai giusti prieghi?* quasi dicat: nullo modo; quod declarat statim per signum sive effectum, dicens: *che fur concorde a tacere,* quia omnes concorditer et pariter tacuerunt, *per darmi voglia ch' io le pregasse,* ex commoditate tacendi; quod fuit plusquam exaudire precantem. — *Ben è.* Hic autor sumpta occasione ex dictis arguit quod juste punitur æternaliter qui peccat æternaliter in suo æterno, scilicet, Deo: *Chi,* idest, quicumque, *si spoglia quell' amore,* scilicet Dei, qui est infinitus sine fine, *eternalmente,* quia vellet semper vivere in amore terrenorum, quantum in ipso est, et sic peccat æternaliter, *per amore di cosa che non duri,* idest amore temporalium transitoriorum. — *Quale.* Hic autor describit accessum unius illarum animarum versus se per unam pulcram et propriam comparationem; et breviter dicit, quod splendor illius animæ cursim descendit ad eum, sicut vapor accensus æstatis et serenitatis

---

(1) E. quæ concordes erant in cantu. (2) E. mortales oberrant. — *Come.*

discurrit properanter per aerem, de quo dicit vulgus quod est stella cadens. Nunc vide literam, et ordina sic: *Un astro,* idest, una stella, et hæc erat anima cuiusdam militis, cui nomen erat *Cacciaguida,* qui fuit antiquus prædecessor autoris, et erat in forma stellæ ibi cum aliis martialibus; unde dicit: *della costellazion che lì risplende,* idest, de aggregatione illarum animarum quæ constituebant ibi signum crucis, sicut multæ stellæ aggregatæ simul faciunt unam constellationem, ut dictum est de galassia capitulo præcedenti, *corse al piè di quella croce,* ubi ego eram, *dal corno che in destro si stende,* idest, a dextero latere crucis, *tal qual subito fuoco,* idest vapor ignitus subito motus, *discorre ad ora ad or per li sereni tranquilli e puri,* idest, per aerem quando tempore magnæ serenitatis in æstate aer est bene quietus et purus a ventis et nubibus; et dicit: *movendo gli occhi che stavan securi,* quia scilicet subitaneo motu et splendore terrefacit videntes; et subdit, *e pare stella che tramuti loco,* cum tamen non sit stella; unde dicit: *se non che nulla sen perde dalla parte onde s' accende,* quia non vanescit splendor ibi ubi incipit, *et esso,* scilicet, subitus ignis, *dura poco,* sicut patet ad sensum. Et hic nota quod iste subitus ignis vocatur a philosopho *assub,* sive stella cadens etc. — *Nè si partì.* Hic autor exponit et declarat unum dictum suum: quia enim dixerat, quod unum astrum cucurrerat ad pedem crucis, corrigit illud dictum et dicit quod non cucurrit, sed visum est cucurrere [1], quia radius splendoris eius descendit ad eum per lineam rectam. Dicit ergo: *Nè la gemma,* idest, stella illa, scilicet, anima pretiosa, *si partì dal suo nastro,* idest, a loco sive cornu dextero crucis in quo erat, *ma trascorse per la lista radial,* idest per lineam splendentem sui

---

[1] S. currere. — E. concurrere.

radii. Et declarat transcursum ipsius splendoris per simile, dicens: *che parve fuoco dietro ad alabastro.* Est enim alabastrum genus marmoris lucidissimum, per cuius superficiem propter eius pinguedinem discurrit ignis, sicut super unctum, ut dictum est de flamma urente plantas simoniacorum, decimonono capitulo Inferni; et de isto lapide ponitur in unguento quod dicitur alabastrum, de quo in Evangelio (1). Et hic nota quomodo comparatio superius facta est propria; primo, quia anima elevata in cœlum calore solis justitiæ Dei, et stella comparatur igni elevato in altum calore solis materialis: et sicut ille ignis est vapor accensus splendens, ita ille spiritus erat ardens et rutilans; et sicut talis vapor (2) ut stella cadens, et tamen non est, ita ille spiritus visus est discurrere, et tamen non fuit, immo splendor eius. — *Sì pia.* Hic autor ostendit quam (3) gratanter iste spiritus receperit eum: et primo ostendit qualem se ostenderit in habitu per similitudinem convenientissimam. Ad cuius intelligentiam est (4) primo notandum, quod sicut fingit Virgilius VI Eneidos, Eneas, ut sæpe dictum est, descendit ad infernum vivens, duce Sybilla, sicut tactum est secundo capitulo Inferni, et Purgatorii capitulo. Et cum pervenisset ad campum Elysium amœnum et virentem in quo stant animæ illustrium virorum, reperit Anchisem patrem suum, qui cum summa alacritate cepit (5) eum. Ad literam dicit ergo autor: *L' ombra d'Anchise,* idest, anima quæ appellatur umbra apud Inferos, ut sæpissime patuit in Inferno et Purgatorio, *si porse sì pia,* idest, tam benigna erga Eneam filium suum, sicut, supple, nunc iste spiritus fecit erga me, *quando s' accorse del figlio,* scilicet, Enea, dicens: venisti tandem in Elysio,

(1) E. Evangelio quando dicitur: attulit alabastrum unguenti etc. Et hic.
(2) E. vapor videtur stella.
(3) E. quod graviter iste.
(4) E. est prænotandum.
(5) E. excepit.

idest, in campo piorum. Et hoc dico: *se nostra maggior musa,* idest, si fictio Virgilii, qui est summus nostrorum poetarum latinorum, scilicet maior me, quia fuit meus dux, doctor et magister; et tamen discipulus interdum excedit magistrum, ut Aristoteles Platonem, et Homerus Pronapidem, et ita de multis, *merta fede,* quasi dicat: si credendum est Virgilio excellentissimo poetæ (1), qui fingit hoc de Enea, qui in vita descendit ad infernum, metaphorice (2) intelligas ad cognitionem et expulsionem vitiorum. Et hic (3) nota quomodo dicta similitudo est propriissima: sicut enim Eneas descendit ad infernum duce Sybilla, ita Dantes ascendit ad cœlum duce Beatrice: et sicut Eneas reperit patrem suum senem, ita Dantes reperit antiquum prædecessorem suum. Et sicut Eneas reperit patrem in campo amœno et luminoso, in quo erant animæ illustres virorum sapientum et proborum; ita Dantes reperit istum suum maiorem in campo spatiosissimo (4), cœli delectabilissimo et luminosissimo, in quo sunt animæ gloriosæ sapientissimorum bellatorum, sicut in spera Martis. Et sicut Anchises recepit lætissime Eneam diu expectatum, ita Cacciaguida jocundissime recepit Dantem diu desideratum. Et sicut Anchises prædixit Eneæ multa utiliter per quæ esset præmunitus contra occursus inimicorum, ita Cacciaguida prædixit multa salubriter Danti, per quæ esset præcautus et prævisus contra impetum (5) adversorum et adversariorum suorum, sicut hæc omnia clare patebunt infra. Et sic potes perpendere quomodo autor noster circumspectissimus scivit facere de alieno suum, quod est difficile, ut testatur Horatius in sua poetria. — *O sanguis.* Hic autor describit actum sive orationem commendatoriam Cac-

(1) S. poetarum.
(2) S. e E. mentaliter intelligas.
(3) E. Et hic etiam notandum.
(4) E. spatioso.
(5) E. impetum adversariorum.

ciaguidæ ad se, dicens, quod ille spiritus præ nimio gaudio prorupit in hanc laudem autoris [1]: *O sanguis meus* etc. Ad cuius dicti enucleandam sententiam est firmiter notandum quod aliqui periti visi sunt subtiliter exponere istam literam * dicentes: autor non intellexit istam literam * [2], nec ego intelligo. Quod autem autor non intellexerit probare videntur per dictum ipsius, quia dicit in litera quod non intellexit eum, ita loquutus est profunde. Sed certe ista est mala excusatio ignorantiæ; immo autor bene intellexit ista verba, et ego bene intelligo; illud autem quod adducunt ad probationem sui dicti directe facit contra eos. Nam autor bene dicit paullo infra, quod ipse spiritus subiunxit quædam profunda quæ ipse autor non intellexit; sed ex hoc non sequitur, quod non intellexerit quæ dixerat ante, immo per contrarium expresse præsupponit quod intellexerit verba prima: et sic taliter exponentes recte contradicunt literæ et intentioni autoris. Hoc prænotato, nunc exponamus literam. Dicit ergo Cacciaguida autori: *O sanguis meus,* idest, o fili mi dilecte, quia autor descendit de sanguine eius, ut statim dicet ipse: *o gratia Dei super infusa tibi,* idest, desuper, scilicet, a cœlo missa tibi; tibi dico, *sicut cui,* idest, tamquam illi cui, *janua cœli,* idest, porta cœli, est, supple, *bis reclusa,* idest, aperta, *unquam,* idest aliquando, quia scilicet porta cœli est aperta nunc tibi semel, quia venis in corpore ad cœlum ex spirituali [3] gratia, et venies iterum, scilicet tempore mortis; nam si concessum est tibi viventi venire ad cœlum cum carne, non est credendum quod tibi venienti sine corpore denegetur, maxime cum autor dixerit supra capitulo, *do' non si scende senza ritornare.* — *Così.* Hic autor ponit effectum

---

(1) E. autoris, sic dicens: *O sanguis meus.*
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.
(3) E. speciali.

illius orationis, dicens, qualis factus est ad verba eius. Unde continuans dicta dicendis, dicit: *Quel lume,* ille spiritus luminosus, *così;* idest, ita loquutus est cum summa affectione, *ond' io m' attesi a lui,* idest, attente respexi et notavi ipsum; et dicit: *poscia rivolsi il viso alla mia donna,* ac si vellet dicere: sancte Deus, quis est iste, qui fecit mihi tantum festum, et qui prædicat de me tam optabilia? Et sequitur: *e stupefatto fui,* ex re subita et mirabili, *quinci,* idest, ex parte illius spiritus, *e quindi,* scilicet ex parte Beatricis; declarat subdens quare: *chè un riso,* idest, lætitia, *ardeva dentro agli occhi suoi,* in quibus maxime eminet decor eius; et dicit, *tal,* idest, tam superexcellens, *ch' io pensai toccar lo fondo di mia grazia e del mio paradiso,* idest pervenisse ad finem gratiæ mihi concessæ a Deo et meæ beatitudinis, quasi dicat: visus sum mihi esse plenus beatitudinis, *coi miei,* scilicet oculis intellectualibus. Et nota quod autor aperte fingit hoc innuens, quod Beatrix valde lætatur de laude et commendatione alumni sui, qui bis merebatur paradisum (1), qui tam alte, tam pulcre describit ipsum poetice (2), et ad manifestandam gloriam Dei: vel verius, quia autor ex hoc magnificat et extollit stirpem suam, quod est summe delectabile, sicut ipse autor testatur in principio capituli proxime sequentis.

Indi, a udire. Ista est secunda pars generalis in qua dictus spiritus regratians Deo lætatur de adventu expectato autoris, et offert se petitioni suæ; et autor excusans se regratiatur illi, et petit quis sit. Et primo autor præmittit altam loquutionem et non intelligibilem illius spiritus, dicens: *Indi,* idest, post dicta verba, *lo spirto,* scilicet, Cacciaguidæ, *giocondo,* idest, hilaris et delectabilis, *a udire,* quia lætum et delectabile erat autori

---

(1) E. paradisum, et vere paradisum merebatur qui tam.

(2) E. poetice ad manifestandam.

audire illa verba: *O sanguis meus, et a vedere,* quia lætum et delectabile erat autori videre illum antiquum patrem sui sanguinis in habitu et actu pio et paterno, de quo dictum est. Alii tamen construunt sic: *lo spirto giunse,* mihi, supple, *giocondo a udire,* scilicet, ipsum spiritum dicentem verba tam blanda. *e a vedere,* scilicet, Beatricem, sive pulcritudinem oculorum Beatricis, *al suo principio,* scilicet, prædictorum verborum: *O sanguis meus;* sed prior constructus est melior. *cose ch' io non intesi, sì parlò profondo,* quasi dicat, quod verba eius non fuerunt intelligibilia. Et assignat causam quare non intellexit eum, dicens, quod hoc non fuit ex intentione loquentis, sed ex infirmitate audientis. Unde dicit: *nè mi si nascose,* idest, ille spiritus non occultavit se mihi loquendo, *per elezion,* idest, ex voluntate; quasi dicat, non de industria, non data opera fecit hoc, *ma per necessità;* et ecce quomodo, *chè 'l suo concetto,* idest, eius mentalis loquutio, *si sovrappose al segno de' mortali,* idest, superavit voces nobis intelligibiles, quæ voces sunt signa conceptionum mentalium, quasi dicat, quod fuit loquutus de tam alta materia quod transcendit facultatem humani intellectus viventium in ista vita mortali. — *E quando.* Hic autor ostendit quomodo dictus spiritus post tale altum loqui non intelligibile cœpit loqui intelligibiliter, et regratiatus est Deo de gratia concessa autori; unde dicit: *La prima cosa che per me s' intese,* ergo alia verba profunda non intellexerat, *fu trino ed uno,* scilicet, o Deus, qui es trinus in personis et unus in substantia, *benedetto sie tu che se' tanto cortese nel mio seme,* quasi dicat, qui tam large donasti gratias isti de sanguine meo. Et hoc dico, dixit: *quando l' arco dell' ardente affetto,* idest, postquam intellectio vel loquutio magnæ affectionis, *fu sì sfogato che discese il parlar in vèr lo segno del nostro intelletto,* quia scilicet cœpit conscendere ad verba intelligibilia et comprehensibilia ab

humano intellectu. Et hic nota quod autor tacite vult dare intelligi quod ille spiritus facta mentione de gratia data autori et de eius adventu ad cœlum, loquutus fuit alte disserens de divina gratia quæ profundam misericordiam impartitur et infundit hominibus, et ita subtiliter et profunde, quod non potuit ipsum intelligere; sed postea descendens ab illo summo eloquio cœpit loqui magis basse, ita quod poterat intelligi. — *E seguitò.* Hic autor ostendit quomodo, regratiatione facta primo Trinitati, ille spiritus fecerit orationem suam ad ipsum autorem ostendens perfectionem illius. Unde dicit: *E seguitò.* idest, ille spiritus deinde loquutus fuit sub hac forma verborum. Ad quorum verborum intelligentiam, quia a multis sunt male intellecta, est prænotandum, quod iste spiritus non vult aliud dicere sententialiter in effectu, nisi quod Dantes nunc adimpleverat desiderium suum veniendo ad cœlum, quia expectaverat diu et cum magno desiderio istum adventum quem præviderat in speculo Deitatis, in quo beati vident vera et futura multa sicut totiens jam patuit et patebit in libro isto. Nunc vide literam, quam satis difficilem et obscuram declara et construe sic: *o figlio, tu hai soluto,* idest, adimplevisti, *grato e lontan digiuno,* idest, longum et lætum desiderium meum, qui diu desideravi videre te hic, sicut prævideram in Deo; unde dicit: jeiunium dico, *tratto leggendo,* scilicet per me, *nel magno volume,* idest, de libro (1) divinæ profunditatis, in quo ego legeram te huc ascensurum. In illo enim omnia scripta sunt immutabiliter; unde dicit: *U' non si muta mai bianco nè bruno,* quasi dicat: in quo nunquam fit mutatio vel alteratio aliqua, quia ibi non cancellatur, non additur nec detrahitur quidquam, sicut in libris mortalium plenis mendaciis et

(1) S. libro profundæ divinitatis, in quo.

erroribus multis ([1]). Et in hoc arguitur ignorantia dicentium quod in scriptura librorum tantum debet esse de albo quantum de nigro, quia hoc non habet locum hic ubi autor loquitur de æterno consilio Dei. Et dicit: *dentro a questo lume in ch' io ti parlo;* dicunt aliqui, idest, intra planetam Martis qui est corpus rutilum, luminosum; sed licet ista expositio videatur vera et satis consona, est tamen nimis larga; ideo dicatur verius et proprius; *dentro a questo lume,* idest, intra lumen quod me circumdat, quasi dicat, in anima mea, in qua diu fuit desiderium prædictum. Et subdit: *mercè di colei,* idest, mediante auxilio Beatricis, *che ti vestì le piume all' alto volo,* idest, quæ induit te alas speculationis et contemplationis ad altum volatum cœli, quasi dicat: quæ fecit te habilem et potentem ad intelligenda divina. — *Tu credi.* In hac parte Cacciaguida intendit ostendere autori, quomodo singularis amor movet eum ad faciendum sibi singularem lætitiam differentem ab aliis animabus quæ sunt in simili gloria: et primo excusat autorem qui non perpendit de hoc. Ad huius literæ intelligentiam, quia fortis videtur, est prænotandum, quod spiritus iste breviter et summatim colligit opinionem autoris quam habet de omnibus animabus illis, per quam excusatur si ignorat spiritualem causam maioris suæ lætitiæ. Summa itaque intentionis est ista: tu credis quod animæ beatorum videant affectionem hominum antequam exprimant cum lingua, quæ cognitio est data nobis a Deo, qui est principium nostræ scientiæ, et a quo ipsa * derivat, sicut unum est principium numerorum, et ab ipso * ([2]) derivant quinque et sex, idest, numeri pares et dispares; et ita est causa quare non petis ([3]) a me

([1]) E. multis quotidie detrahitur. Et in hoc.
([2]) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
([3]) E. petisti.

quis ego sim, vel quare ego videar tibi lætior cæteris. Nunc ad literam dicit Cacciaguida: *Tu credi che tuo pensier mei a me,* idest, fluat ad me, ita quod, *mei,* non est ibi pronomen sed verbum, *da quel ch' è primo,* scilicet Deo, a simili, *sì come il cinque e 'l sei,* idest numerus par et impar, *raia dall' un,* idest, radiat ab uno. quasi dicat, sicut omnis numerus derivatur ab unitate, ut ait Boetius; et dicit: *se si conosce,* idest, si cognoscitur; numerus quinarius et senarius non cognoscitur nisi per unitatem quæ est radix omnium [1]. Et subdit: *e però,* idest, ista de causa quia credis nos omnes scire cogitationem tuam, *non dimandi ch' io mi sia, e perchè io paia più gaudioso,* idest, nec petis quare videar facere tibi maius festum, *che alcun altro,* scilicet, spiritus, *di questa turba gaia,* idest, istorum militum Christi [2] bellicosorum. — *Tu credi il vero.* Hic autor [3] justificat ignorantiam autoris propter eius opinionem veram, et petit ut exprimat intentionem suam. Unde dicit: *Tu credi il vero,* idest, tu habes veram credulitatem de hoc, quia in rei veritate habemus hoc a Deo, ut prædicitur, *che i minori,* idest, qui habent minorem gradum gloriæ secundum parva merita, *e i grandi,* idest, qui habent maiorem gradum secundum eorum magna et excellentiora merita, *di questa vita,* scilicet, æterna, *miran nello speglio,* idest, Deum tamquam in speculum in quo relucet omnis veritas. Unde dicit: *in che,* idest, in quod speculum, *tu pandi il pensier prima che pensi,* idest, explicas cogitamen priusquam cogites, quia scilicet, res et cogitationes sunt manifestæ et præsentes sibi antequam fiant. Et habes experientiam de hoc, quia vides quod ego descendi ad te, quia prævideram in Deo cogitationem

---

(1) E. e 4, omnis numeri. Et.
(2) E. Jesu Christi bellatorum. — *Tu.*
(3) Così i Codici, ma sembra che in luogo di *autor* debba dire *Cacciaguida.*

tuam. Et subdit: et [1] quamvis ego videam tuum votum et jam habeam responsionem paratam ad ipsum contentandum, nihilominus volo quod proprio ore tu exprimas, ut magis adimpleatur velle tuum. Dicit ergo: *ma la voce tua sicura,* idest, sine timiditate, *balda e lieta,* quamvis non me cognoscas, *suoni la volontà,* idest, sonando detegat, *suoni il disio,* idest, sonando aperiat desiderium illius voluntatis, *a che la mia risposta è già decreta,* idest, præparata et deputata, quia jam scio, quid velis et quid desideres. Et assignat causam quare, dicens: *perchè 'l sacro amore,* scilicet, tuus quem habes ad sacra et ad me sacrum et sacratum poema, *in che,* idest, in quo amore tuo, *io veglio,* idest, vigilo, *con perpetua vista,* quasi dicat, cum continuo et semper video in speculo Dei, et diu vigilavi expectans istud festum, unde dicit: *e che m' asseta di dolce disiar,* idest, et qui amor accendit in me dulce desiderium tui, *s' adempia meglio,* idest, plenius et perfectius quietetur; vel dic et melius: *s' adempia meglio,* scilicet, amor meus sacer, quia quod prævideram in Deo futurum, nunc videbo actu præsens, et audiam te desideratum. — *Io mi volsi.* Hic autor ponit responsionem suam ad dicta dicti [2] spiritus; et primo ostendit quomodo petiverit licentiam a Beatrice, quæ melius disposuit eum, dicens: *Io mi volsi a Beatrice,* sine cuius consensu nihil agebam; et continuo obtinuit quod tacite petebat. Unde dicit: *e quella udio pria ch' io parlassi,* quasi dicat: prævenit intentionem [3] meam; unde dicit: *arrisemi,* idest, addidit mihi; aliqui tamen textus habent; *ariesimi,* sed hoc accidit propter ignorantiam idiomatis, sicut et in multis locis et vocabulis istius libri; nam, *arrisemi,* est vulgare florentinum, *un cenno,* idest, tam lætam conniventiam ocu-

(1) S. quod quamvis. (2) E. ipsius spiritus.
(3) E. petitionem meam, quia prænoverat intentionem meam.

lorum, *che fece crescer l' ali al voler mio,* idest, adauxit desiderium voluntatis meæ. — *Poi cominciai.* Hic autor facit responsionem suam; et primo confirmans dictum Cacciaguidæ ostendit quod paritas et æqualitas, quam vidit in omnibus et singulis illius constellationis, non permittebat eum credere quod ipse magis quam alius afficeretur ad eum. Dicit ergo: *Poi,* scilicet, factus audax ex consensu Beatricis, *cominciai così,* supple loqui et dicere antequam peterem quid volebam scire ab eo, *l' affetto e 'l senno,* idest, affectio [1] et sapientia vestra, *si fe d' un peso per ciascun di voi,* idest, æqua lance affecerunt mentem meam, quia scilicet visi fuistis mihi omnes æquales in affectione et sapientia: et hoc fuit, *come la prima egualità v' apparse.* Dixit enim supra in principio huius capituli, quod benigna voluntas imposuerat silentium illis spiritibus concorditer et pariter cum rogarentur ab autore; et ex hoc autor non movebatur plus ad unum quam ad alium. Et subdit autor rationem tantæ paritatis, dicens: quod habent talem æqualitatem ab uno lumine; unde dicit: *però che al sol,* idest, Deus, *che v' allumò e arse,* idest, qui illuminavit et accendit vos sicut sol sidera sua, *col caldo e con la luce,* idest, cum amore et sapientia, *en sì iguali,* scilicet, in vobis singulis, *che tutte simiglianze sono scarse,* quasi dicat: non possum adinvenire dignam similitudinem vel comparationem ad exprimendam tantam et tam mirabilem paritatem et [2] beatitudinem. — *Ma voglia.* Hic autor intendit regratiari dicto spiritui de singulari festo quod jam ostendit sibi ex signis et verbis. Et primo excusat se quod non potest facere condignam regratiationem verbalem; ideo regratiatur sibi corde tenus, non verbo tenus. Nunc vide literam, et expone [3], quæ fere ab omnibus est per-

(1) E. affectatio et sapientia. (2) E. in beatitudine.
(3) E. expone eam, quæ est fere ab omnibus perversa.

versa et pessime intellecta. Dicit autor: *Ma voglia e argomento nei mortali,* idest, voluntas et facultas in hominibus, *son pennuti in ali diversamente,* et verum dicit: quia voluntas humana maximas habet alas, quia multa vult, imo omnia, imo impossibilia. Hic potestas habet alas minimas, et per consequens diversas a voluntate, quia homines nec sciunt, nec possunt assequi quæ volunt, per argumentum faciendi aliquid, vel talis nescit se argumentari; et dicit: *per la cagion che a voi è manifesta,* quasi dicat: vos beati bene scitis causam quare voluntas et potestas sunt diversæ in hominibus, sed non in vobis, quia velle et posse non differunt in æternis. Unde subdit: *ond' io che son mortal,* idest, homo, *mi sento in questa disagguaglianza,* idest, in imparitate, quia scilicet, potestas non correspondet voluntati, quasi dicat: habeo bonum velle, sed non scire nec posse regratiandi vobis secundum qualitatem beneficii vestri; *e però,* quia scilicet, sentio me impotentem et insufficientem, *non ringrazio alla paterna festa,* idest, lætæ gratulationi, quam mihi paterna affectione fecistis, *se non col cuore,* quia plus possum animo quam lingua. — * *Ben.* Hic autor nunc aperit desiderium suum * (1) juxta oblationem factam superius ab illo spiritu; petit ergo quis sit, unde dicit: *Ben supplico io a te,* idest, suppliciter peto, *o vivo topazio,* idest, o pretiose spiritus, quem autor vocat topatium, quia etc., *che ingemmi questa gioia preziosa,* idest, qui exornas istum planetam Martis, qui est jocale pretiosum producens tam claros et illustres viros in mundo, *perchè mi facci del tuo nome sazio,* quia scilicet, multum desidero scire propter ea quæ vidi et audivi in te.

O fronda mia. Ista est tertia et ultima pars generalis (2), in qua dominus Cacciaguida propalat se et muta-

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
(2) E. generalis huius capituli, in qua iste dominus.

tionem suæ civitatis Florentiæ. Et primo autor ponit responsionem illius ad petitionem suam, describens se a principio cognationis. Unde dicit autor (1): ille Cacciaguida, *Femmi cotal principio rispondendo,* scilicet, *o fronda mia,* idest, o fili mi, qui ex meo genere descendisti, sicut planta virens ex arbore vetusta; et dicit: *in che io compiacemmi,* utitur verbis Evangelii, in quibus Deus Pater dixit de filio (2): hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui, *pur aspettando*, scilicet, adventum tuum ad cœlum; *io fui la tua radice,* idest, primus de stirpe tua, cuius ego sum stipes (3). — *Poscia.* Hic autor ostendit quomodo dictus spiritus descripsit genealogiam suam per gradus sanguinitatis (4), ut ostenderet quomodo erat antecessor primus eius. Ad cuius prosapiæ seriem ordinatius cognoscendam est præsciendum, quod iste dominus Cacciaguida habuit unum filium nomine Aldigherium ex uxore sua etc. Nunc ad literam dicit autor: et ille Cacciaguida, *poi cominciò,* supple, dicere; et manifestato stipite, cœpit manifestare plantas, sive ramos, qui descenderant ab illo. Et primo incepit (5) a filio suo, a quo facta est denominatio totius cognationis autoris, dicens: *quel, da cui si dice tua cognazione,* idest, a quo denominatur tua prosapia Aldigheriorum, qui fuit homo elatus (6) animi, sicut communiter sunt viri nobiles; unde dicit: *e che ha girato il monte,* scilicet, purgatorii, *in la prima cornice,* idest, in primo circulo purgatorii, in quo puniuntur superbi portantes (7) saxa gravissima in cervice, circuendo montem, inclinati ad terram propter ponderis gravitatem, *cento anni e piue,* quia jam sunt plures centum annis ex quibus mortuus est et punitus propter vitium superbiæ, *fu mio figlio,* vocatus Aldighe-

---

(1) E. autor sic: ille. (2) E. filio suo: hic. (3) E. stips.
(4) E. consaguineitatis. (5) E. incipit.
(6) E. elati animi. (7) E. portando.

rius, ut jam dictum est, *e fue tuo bisavo,* idest, proavus. Et hic nota, quod eodem nomine vocatus est pater autoris. Fuit enim dominus Aldigherius jurisperitus. Et subdit: *ben si convien che tu gli raccorci,* idest, abrevies, *la lunga fatica,* idest, laboriosam et longam pœnam, quam luit jam ultra centum annos. Laboriosissimum enim est saxum ingens (1) jam tempore tanto; et dicit: *con l'opere tue,* puta orationibus, eleemosynis, jeiuniis, et similibus, quæ sunt in suffragium animarum defunctorum. Et per hoc nota, quod ipsa anima beata non potest breviare tempus pœnæ filii, immo est opus auxilio hominum, qui sint in prima vita. — *Fiorenza.* Hic Cacciaguida intendit describere mutationem morum suæ civitatis. Et ut cautius reprehendat florentinos, præmittit honestum et tranquillum statum suorum concivium, in quo ipse natus est. Ad cuius evidentiam est prænotandum quod in millesimo centesimo quinquagesimo quarto Florentia (2) erat minor quam modo sit duabus partibus fere, sicut apparet ex veteribus muris; et habitata erat a gente non tam malevola et sagace, sicut modo; contentabatur modico; non discurrebat per mundum, reportando domum diversos mores, consuetudines et fogias in vestibus, cibis et omni modo vivendi, ut statim patebit. Nunc ad literam, dicit (3) Cacciaguida: *Fiorenza,* prima nostra, *si stava in pace,* ubi nunc habet bellum (4) et bellum civile, *sobria,* scilicet in victu, ubi modo est * intemperans, *e pudica,* scilicet in vita et honestate, ubi modo est * (5) impudica, lubrica, et inhonesta, *dentro dalla cerchia antica,* idest, intra mœnia sua prima. Habet enim Florentia tres circulos, unum interiorem altero, secundum quod fuit diversis temporibus ampliata; sicut

---

(1) E. ingens portare jam.
(2) E. civitas Florentiæ.
(3) E. dixit iste dominus Cacciaguida.
(4) E. bellum, scilicet civile.
(5) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.

et Bononia et Padua. Modo in interiori circulo est Abbatia monachorum sancti Benedicti, cuius ecclesia dicitur Sanctus Stephanus, ubi certius et ordinatius pulsabantur horæ quam in aliqua alia ecclesia civitatis; quæ tamen hodie est satis inordinata et neglecta, ut vidi, dum audirem venerabilem præceptorem meum Boccacium de Certaldo legentem istum nobilem poetam in dicta ecclesia. Ideo dicit: *ond' ella,* idest, a quo circulo interiori prædicta ipsa Florentia, *toglie ancora e terza e nona,* et sic de aliis horis. — *Non avea.* Hic Cacciaguida incipit renarrare depravationem morum modernorum florentinorum, percurrens vanos gestus mulierum suarum, dicens: ipsa Florentia tempore meo, *non avea catenella,* quia tunc dominæ florentinæ non portabant jocalia, monilia, et talia circa pectus et brachia sicut modo; et hoc etiam fit alibi; *non corona,* non videbantur tunc Florentiæ reginæ, sicut nunc ibi et alibi: nec istud novum; nam Lucanus idem dicit de corona romanarum, *non donne contigiate,* quia non portabant calceamenta contesiata, more vilium fœminarum sicut nunc; sed hodie portant punctas ad calceos, quid turpius! *non cintura,* idest, argenteam aureatam sicut nunc; sed certe hodie portant cincturam ex margaritis sive perlis contextis, *che fosse a veder più che la persona,* idest, plusquam personæ dignitatem, quasi dicat, ultra decentiam status et conditionis earum; quia tunc fornaria non portabat perlas in calceis sicut modo ibi faciunt Venetiis (1) et Januæ. — *Non faceva.* Hic Cacciaguida descripto superfluo ornatu mulierum florentinarum, nunc describit nimium sumptum dotium earumdem. Et dicit quod pater non solicitabatur circa filiam nascentem, quia non maritabantur tunc tam cito, nec dabantur tam magnæ dotes

(1) E. et Venetiis et Paduæ et Januæ.

sicut nunc. Unde dicit: *La figlia non faceva ancor paura al padre nascendo*, quia quicquid pater habet vadit in dotem filiæ. Et reddit rationem, dicens: *chè 'l tempo e la dote non fuggìan quinci e quindi la misura.* Si vis bene intelligere istam literam quæ communiter est male intellecta, oportet, quod reddas singula singulis, et construas sic: *chè 'l tempo non fuggìa la misura quinci*, idest, ætas puellæ non fugiebat mensuram ex una parte sicut nunc; nam puellæ solebant nubere in vigesimo vel vigesimo quinto anno; nunc vero vel nono (1) vel undecimo. Similiter: *e la dote non fuggìa la misura quindi*, idest, ex alia parte sicut nunc. Et hic nota quod Lycurgus fecit legem, ut fœminæ nuberent sine dote: tamen secundum jura civilia et canonica melius est quod dos detur, quia solebat unus prædives civis dare filiæ suæ (2) ducentos vel trecentos aureos; nunc autem dat duo millia et mille quingentos. Et hic nota, quod licet dos detur fœminæ propter onera matrimonii sustinenda, tamen superflua dos non laudatur, quæ depauperat domum; immo Lycurgus (3) inter alias leges suas mandavit ut mulieres sine dote traderentur viris etc. — *Non avea.* Hic Cacciaguida describit luxum florentinorum in amplitudine stantiarum et mollitie supellectilium, dicens: et Florentia tempore meo, *non avea case di famiglia vote;* exponunt aliqui quia tunc nondum erant factæ expulsiones partium, quæ postea factæ sunt sæpe; et recenter erant factæ tempore illo. Sed ista expositio licet videatur consona, non tamen est vera; quia licet factæ essent istæ expulsiones, tamen ita germinaverat florentinorum semen, quod Florentia erat (4) de duplo plus repleta gen-

---

(1) E. duodecimo vel decimoquinto.
(2) E. suæ in dotem ducentum, vel tercentum.
(3) E. Lycurgus rex inter alias.
(4) E. erat decuplo plus.

tibus isto tempore, in quo loquitur, quam tempore ipsius Cacciaguidæ, sicut ipsemet dicet in sequenti capitulo. Ideo exponatur et verius, quod hoc dicit, quia tempore suo stabant duæ et tres familiæ in una angusta domo; nunc autem e contra unus florentinus cum uxore et duobus filiis tenent palatium amplum, in quo commode starent decem familiæ. Et subdit etiam mollitiem camerarum superfluam per exemplum Sardanapali. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod Sardanapalus, sicut scribit Justinus etc.; et Eustatius super librum Ethicorum. Ad literam ergo dicit: *Sardanapalo non v'era giunto ancor,* idest, nondum pervenerat Florentiam mollities Sardanapali, *a mostrar ciò che 'n camera si puote;* nam Sardanapalus fuit studiosissimus circa muliebres mollities inveniendas; fuit enim primus qui invenit usus culcitræ et plumarum. Modo ad propositum vult dicere Cacciaguida, quod tempore suo non erant Florentiæ illa ornamenta et præparamenta camerarum quæ sunt modo. Nam non credo quod sint in mundo cameræ delitiosæ et superfluitatis plenæ nisi Florentiæ. Unaquæque enim videtur camera reginæ: et omnia ista instrumenta sunt incitamenta ad libidinem. — *Non era.* Hic Cacciaguida describit ambitum Florentiæ in sumptuositate altissimorum ædificiorum. Et ad intelligentiam huius literæ est breviter prænotandum, quod sententialiter vult dicere quod tempore suo alta palatia et mœnia Florentiæ nondum superabant ædificia Romæ. Hoc autem indicat per duos montes, quorum unus ostendit urbem Romam a longe, alter civitatem Florentiæ, dicens: *Montemalo.* Hic est mons extra urbem, distans in via per quam ducebantur olim triumphi, ex quo monte prius videtur Roma tota; *non era ancora vinto dal nostro Uccellatoio.* Est autem Uccellatoius mons extra Florentiam distans per quinque milliaria in via, quæ ducit

Bononiam et Romandiolam; de quo monte euntibus Florentiam primo apparet ipsa civitas. Vult ergo dicere, quod mons florentinus nunc vincit montem romanum, quia scilicet Uccellatoius ostendit sub se maiora mœnia Florentiæ, quam Mons-malus mœnia Romæ. Est tamen Uccellatoius mons sterilis, aridus et sylvestris; sed Mons-malus est fertilis, viridis et domesticus etc. (1) Et prænuntiat ruinam et destructionem ædificiorum Florentiæ, dicens: *che,* idest, qui Mons-malus, *così sarà nel calo,* idest, in declinatione et lapsu ædificiorum ab ipso Uccellatoio, *come è vinto nel montare,* idest, in exaltatione. Vult dicere, quod sicut Mons-malus vincitur nunc ab Uccellatoio, qui ostendit maiora ædificia Florentiæ, quam Mons-malus Romæ, ita in brevi vincetur ab eo in ruina, quia scilicet cito veniet tempus, in quo mons Uccellatoius ostendet maiores ruinas domorum intra Florentiam, quam modo Mons-malus ostendat intra urbem Romam, in qua tamen sunt multæ et maximæ ruinæ. Et nota quod autor loquitur hyperbolice, mordaciter increpans superfluitates florentinorum, quia in rei veritate ædificia Florentiæ non sunt similia romanis, nec per consequens poterunt esse ruinæ similes; sed ecce omnia faciunt cursum suum. Ubi nunc Babylonia superba? Troia magna? Roma potens? — *Bellincion.* Hic Cacciaguida laudat antiquum habitum honestorum vestimentorum, nominans aliquot cives bonos et graves. Unde dicit: *Vid' io Bellincion Berti,* iste fuit nobilis miles, et bene moratus de Ravignanis, de quibus dicetur plenius in capitulo sequenti, *andar cinto di cuoio e d' osso,* quia gestabat cincturam ex simplici corio cum fibulis et ornamentis osseis, non de serico vel argento, auratam, gemmatam, smaltatam, sicut nunc. Et subdit: *e vidi,* ego, *la donna sua,* scilicet,

---

(1) E. etc. Postea prænuntiat.

uxorem dicti militis, *venir dallo specchio senza il viso dipinto,* idest, sine facie fucata, immo inquinata, *e vidi,* nominat alios, dicens: *e vidi quel de' Nerli,* nobilis civis de Nerlis, de quibus dicetur in sequenti capitulo, *e quel del Vecchio,* alius bonus popularis, pure vivens sine pompa vana vestium, *esser contenti alla pelle scoverta,* quia scilicet, portabant chlamydes de camossa, sola pelle, sine aliquo panno. Et dicit: *e le sue donne al fuso et al pennecchio,* idest, et vidi uxores eorum contentas fuso et penso; quod hodie non faciunt florentinæ, immo vacant fuco, non fuso. De quarum cultu videas quid scriptum est in Purgatorio, si scire velis. — *O fortunate!* Hic Cacciaguida volens damnare discursum florentinorum, qui hodie discurrunt per totum mundum cupiditate,[1] ducti, commendat illud tempus tamquam felix, et vituperat præsens tamquam infelicissimum. Unde exclamat: *O fortunate!* idest, dico illas fortunatas, quamvis in paupere habitu; quod statim probat per effectum, dicens: *ciascuna era certa della sua sepoltura,* quia unaquæque expectabat in patria sua inter parentes, consanguineos, et notos. Et ostendit quomodo, dicens: *e nulla,* scilicet, mulier florentina, *era ancor deserta nel letto,* quia nondum erat derelicta a viro, remanens sola et frigida in lecto; et dicit, *per Francia,* quia scilicet viri earum nondum discurrebant per mundum; quia florentini non ibant in Franciam, Flandriam, Angliam, Brabantiam, sicut nunc; quasi dicat: cum florentini nunc generaliter peregrinentur per totum, et stent diu extra patriam, et aliquando per totum tempus vitæ, si uxores eorum sequuntur eos, moriuntur in aliena patria infeliciter sæpe, cum dicatur proverbialiter: *Aliena terra bene viris, sed male obis.* Si vero non sequuntur, remanent

---

([1]) E. cupiditate sola ducti.

viduæ, viros habendo; et sic utrobique sunt infortunatæ. Ergo bene illæ antiquæ erant fortunatæ. Aliqui tamen exponunt: *e nulla era deserta,* scilicet, a viro suo mortuo, *per Francia,* idest, pro lilio, armatura regum francorum: quasi dicat: non pro partialitate; sed prior expositio melior est, licet utraque sit vera (1). — *L'una vegghiava.* Hic Cacciaguida describit honestas, solicitudines et convenientes occupationes antiquarum, quæ vacabant circa curam filiorum et rei familiaris, dicens: *L'una,* scilicet, mulier, *vegghiava a studio della culla,* scilicet, filiorum vagientium in cunabulo; et dicit: *e usava l'idioma,* scilicet, maternum linguagium, scilicet, *la ninna nanna, consolando* scilicet ipsos infantulos evigilantes; *l'altra traendo la chioma alla rocca,* idest, trahens filum a colo, quasi dicat, filando, *favoleggiava con la sua famiglia,* idest, confabulabatur (2), *de' Troiani e di Fiesole e di Roma,* dicentes, quod istæ fuerant tres nobiles civitates in mundo. Et de duabus quidem verum dicere poterant; de tertia autem, scilicet fæsulana, recte fabulabantur, quia ista numquam fuit alicuius motus. — *Saria.* Hic ultimo Cacciaguida vult dicere: et ut breviter concludam, pauci pravi viri et mulieres illo tempore fuissent habiti pro miraculo in civitate, sicut nunc e contrario pauci virtuosi haberentur Florentiæ. Et nominat duos modernos vitiosos florentinos, unam fœminam, alterum virum; et duos romanos virtuosos, unum virum, alterum fœminam. Ad cognitionem primæ mulieris est præsciendum, quod ista Cianchella fuit nobilis mulier florentina de stirpe illorum de la Tosa, quæ fuit maritata in civitate Imolæ cuidam Lito de Alidosiis, fratri domini Alidosii qui olim abstulit Imolam Bononiæ cum Maghinardo Pagano, ut alibi dictum est. De ista possem multa et vera referre,

---

(1) E. vera in se. — *L'una.*
(2) E. confabulabatur cum suis, *de' Troiani.*

quæ audivi ab optimo patre meo magistro [1] Compagno, qui diu legit tam laudabiliter, quam utiliter juxta domum habitationis prædictæ dominæ. Ergo quia autor ponit istam pro prava muliere, dicam aliquid jocosum de ea. Hæc siquidem mulier fuit arrogantissima et intolerabilis; ibat per domum cum bireto in capite more florentinarum et baculo in manu, nunc verberabat famulum, nunc coquum. Accidit ergo semel quod cum ivisset ad missam ad locum fratrum prædicatorum de Imola, non longe a domo eius, quidam frater prædicabat a casu. Et cum nulla domina assurgeret sibi, Cianchella [2] accensa indignatione et ira cœpit iniicere manus atroces nunc in istam, nunc in illam dominam, lacerando uni crines et trichas, alteri bindas et velamina. Aliquæ non patientes, cœperunt reddere sibi vicem suam. Ex quo orto magno strepitu cum clamore in ecclesia, viri circumstantes audientes prædicationem cœperunt omnes fortissime ridere, et ipse prædicator similiter; et sic prædicatio fuit soluta, et risu finita. Quid ultra? Hæc mulier defuncto marito reversa est Florentiam, et ibi fuit vanissima, et multos habuit procos et multum lubrice vixit. Unde ipsa mortua, quidam [3] frater simplex prædicans super funere eius, dixit, quod invenerat in ista fœmina unum solum peccatum, scilicet, quod oderat populum Florentiæ. Nunc ad literam, dicit Cacciaguida: *Una Cianghella,* idest, una tam prava et vana mulier similis ei*, un Lapo Salterello,* idest, tam temerarius et pravus civis, sicut fuit dominus Lapus de Saltarellis de Florentia. Iste siquidem fuit jurista, vir litigiosus et linguosus, multum infestus autori tempore sui exilii, *saria tenuto tal maraviglia allor,* idest, inter tot temperatos et continentes, *qual or saria Cincinnato e Corniglia.* Quasi

---

(1) E. magno Compagno. (2) E. ista Cianchella.
(3) E. quidam religiosus frater.

dicat: sicut esset nunc mirabile videre in Florentia inter tot vitiosos unum civem similem Cincinnato, et unam mulierem similem Corneliæ. De Cincinnato dictum est VI capitulo huius Paradisi; fuit enim vir parcissimus et reipublicæ amantissimus: de cuius laudibus multa scripsit Titus Livius. Dicit enim inter alia quod vendidit agrum et renuit dignitatem etc., quorum omnium contrarium faciunt florentini. Cornelia autem, de qua hic loquitur autor, fuit filia magni Scipionis Africani, quæ vocata est mater Gracchorum, mulier magnanima et pudica, quæ nunquam transvolavit ad secundas nuptias, de qua idem Titus Livius — *A così riposato.* Hic Cacciaguida describit suam nativitatem, dicens, quod natus est in tam bene composita civitate et tam felici ætate; unde dicit: *Maria chiamata in alte grida,* quasi dicat: Mater mea invocans Mariam altis vocibus, sicut est de more mulierum christianarum, *mi diè,* idest, peperit me civem, *a così riposato viver di cittadin*, sine bello, *a così bello,* scilicet, tam civili et ordinato, *a così fida cittadinanza,* quæ non fallebat fidem, sicut nunc. Et subdit describens se a secta et nomine, *e fui cristiano e Cacciaguida nell' antico vostro Battisteo,* idest, in loco baptismi vestri, quod olim fuit templum Martis, sicut jam sæpe dictum est, et adhuc dicetur. — *Moronto fu.* Hic Cacciaguida tangit utramque stirpem autoris, scilicet, primam Helisæorum, et secundam Aldigheriorum, dicens: *Moronto fu mio frate et Eliseo,* quasi dicat: habui duos fratres, quorum unus vocatus est Morontus, alter Helisæus a nomine stirpis. Et dicit: *mia donna venne a me di val di Pado,* idest, a civitate Ferrariæ, quæ est in valle Padi, immo est clausa intra tres ramos Padi, et undique clausa; et rectus ramus Padi est ibi maior; et dicit: *e 'l soprannome tuo,* scilicet, Aldigherius, de quo dictum est paulo supra, *si feo,* idest, natus est, *quindi,* sci-

licet ab ista domina, quæ fuit de Aldigheriis de Ferraria. — *Poi seguitai.* Hic Cacciaguida describit se ab officio suo, scilicet, a dignitate militari. Ad cuius intelligentiam est præsciendum quod Conradus romanorum rex millesimo centesimo quinquagesimo quarto [1] cum Ludovico rege francorum transivit cum exercitu christianorum ad recuperandam Terram Sanctam. Inter alios dictus Cacciaguida ivit ad illud passagium; qui strenuitate sua reddidit se gratum dicto regi adeo quod donavit eum honore militari. Et demum pugnans contra infideles cecidit in acie: et hinc autor sumpsit occasionem ponendi eum beatum in Marte, quia fuit fortis pugnator, militavit sub principe christiano, pugnavit pro fide christiana contra infideles, et miles Christi mortuus est. Nunc ad literam. Dicit Cacciaguida: *Poi seguitai l'imperador Currado,* scilicet, in subsidium Terræ Sanctæ; *et ei mi cinse della sua milizia,* idest, fecit me militem accinctum, *tanto gli venni in grado per bene oprar,* scilicet, in exercitio armorum, in auxilium fidei. Et subdit, contra quos militavit, dicens: *dietro gli andai incontro alla nequizia,* idest, iniquitatem, *di quella legge,* scilicet, Mahometti, si tamen lex dici meretur. Et dicit: *il cui popolo,* scilicet, saracenus, qui vivit sub lege Mahometti, *usurpa,* idest, iniuste detinet et possidet, *vostra giustizia,* idest, Terram Sanctam, quæ juste est christianorum. Et incidenter culpat papam qui permittit dictam terram [2] occupatam conculcari ab infidelibus, dicens: *per colpa di pastor,* scilicet, Bonifacii papæ VIII, qui tunc sedebat, sicut jam idem dixit autor supra capitulo huius Paradisi. — *Quivi.* Hic Cacciaguida tangit suam mortem, dicens: *Quivi,* scilicet, in illa Terra Sancta, *fu' io disviluppato,* idest, interfectus, *da quella gente turpa,* scilicet saracena, quæ in rei veritate est

---

[1]) E. 1157.

[2]) E. terram conculcatam occupari.

turpis et tristis, *dal mondo fallace,* quia fallaciter mentitur felicitatem, quam non habet, *il cui amor deturpa molt' anime,* quia inficit et maculat animas de se puras et mundas. Et concludit suam narrationem et claudit capitulum, dicens: *e venni dal martirio,* scilicet, necis, *a questa pace,* scilicet. æternam, ubi nunc fruor palma victoriæ meæ etc.

CANTUS DECIMUS SEXTUS, *in quo dictus dominus Cacciaguida commemorat veteres familias florentinorum.*

O poca nostra nobiltà di sangue. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit unum spiritum illustrem de sua domo qui narravit aliqua in generali de prædecessoribus suis, et mutationem (1) status suæ civitatis: nunc consequenter in isto XVI capitulo facit dictum spiritum narrare aliqua in particulari de sua genealogia et nobilitate civitatis. Et totum præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor arguit vanam gloriam nobilitatis sanguinis. In secunda dictus Cacciaguida ad petitionem autoris describit suam originem et domus suæ, ibi: *Dal voi.* In tertia dictus spiritus describit qualitatem status suæ civitatis, ibi: *Tutti color.* In quarta et ultima describit breviter aliquot præclaras familias dictæ civitatis, ibi: *Io vidi gli Ughi.* Ad primum ergo dico quod autor arguit vanam gloriam quam quis recipit ex nobilitate sanguinis. Ad cuius intelligentiam est prænotandum quod vera nobilitas est virtus animi; nobilitas vero civilis est etc., ut dicit philosophus. Modo ad propositum autor erat nobilissimus vera nobilitate virtutis et scientiæ; et tamen gloriatus est in mente sua quando audivit narrari antiquam nobilitatem sui sanguinis: ideo apostrophat ad ipsam nobilitatem parentum ostendens vim et efficaciam eius (2): *O poca nostra nobiltà,* scilicet, humana, *di sangue,* scilicet, maiorum et progenitorum; et dicit: *poca,* respectu veræ nobilitatis, *non mi*

(1) E. e S. mutatione status. (2) E. eius, dicens.

sarà mai mirabil cosa se tu fai la gente gloriar di te quaggiù, scilicet, in isto mundo mortali, *dove l' affetto nostro langue,* idest, ubi appetitus noster corruptus detorquetur a via veræ felicitatis et gloriæ. Et ecce causam quare non mirabor: *che,* idest, quia, *io me ne gloriai là dove appetito non si torce,* idest, ubi appetitus humanus est rectus et obediens rationi; sed exponit se dicens: *dico nel cielo.* Sed hic statim oritur pulcra quæstio: quomodo autor potuit habere appetitum inanis gloriæ sanguinis, cum talis nobilitas [1] non sit ibi, nec etiam possit ibi appeti, quia ibi non potest esse peccatum? Dicendum breviter quod autor loquitur de paradiso morali; erat enim nunc mentaliter non realiter, nec vere in cœlo. Modo autor non vult addicere [2] nisi quod tantus et tam fortis est appetitus gloriæ, quod non solum invadit mentes terrenas [3] hominum vacantium vanis mundi, sed etiam mentes cœlestes vacantium speculationi divinorum, sicut philosophorum et theologorum. Nam multi magni et sancti doctores fecerunt libenter memoriam et laudem de suis parentibus et prædecessoribus; ex hoc forte nimium gloriati et super veritatem. — *Ben se' tu.* Hic autor probat quod dixit [4] de nobilitate, scilicet quod sit pauca, quia brevis est, et cito finitur. Hic [5] autem exprimit sub propriissima metaphora mantelli, dicens: *Tu,* supple, nobilitas, *ben se' manto;* sicut enim mantellum tegit et velat omnem paupertatem et maculam pannorum, ita nobilitas sanguinis celat et occultat vilitatem et turpitudinem vitiorum intrinsecorum; et dicit: *che tosto raccorce,* idest, diminueris in brevi tempore; unde dicit: *sì che lo tempo va d' intorno con le force,* scilicet, auferendo et defalcando paullatim illam a nobis, sicut sartor cum forficibus recidit et resecat de chlamyde

---

(1) E. voluntas. (2) E. aliud dicere. (3) E. mentes teneras hominum.
(4) E. dixerat. (5) 4, Hic autor exprimit. — E. Hoc autem exprimit.

quando est nimis longa. Et hoc accidit, *se non s' appon di die in die*, idest, si non additur gradatim ipsi nobilitati: quando enim [1] nobilitas generis transfunditur de uno in alium valorosum, tunc continuo crescit et lucescit: sed quando cadit in degeneres, tunc cito deficit: unde videmus de facto quod ut plurimum nobiles et claræ familiæ terminantur in aliquo imbecilli et tristi captivo.

Dal voi. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit specialiter originem domus suæ; et primo ostendit quomodo ad captandam benevolentiam ipse fuerit usus magna reverentia loquendo illi [2] Cacciaguidæ maiori suo. Et breviter vult dicere quod cœpit loqui blande, dicendo pluraliter illi *vos;* quo modo loquendi primo usi sunt romani erga Cæsarem. Sicut enim scribit Lucanus: cum Cæsar, fugato Pompeio et Senatu ex Italia, venisset Romam, et illam ordinasset pro libito voluntatis, translatis in se omnibus dignitatibus, romani adulanter loquebantur illi in plurali, dicentes [3]: quid præcipitis, domine imperator, perpetue dictator? quid mandat vestra maiestas excelsa? et ita de similibus. Ad propositum ergo dicit autor: ego feci erga istum maiorem meum, sicut olim romani erga maximum Cæsarem. Ordina sic literam, *Le parole mie ricominciaron,* scilicet, persuadendo, *dal voi,* quia scilicet, cœpi dicere: vos; et dicit, *che*, idest, quod genus loquendi, *Roma prima sofferie,* primo [4] passa est olim tempore Cæsaris; vel secundum aliam literam, *che prima sofferie,* idest, quod primo oblatum fuit, *a Roma,* idest, a romanis Cæsari. Et dicit, *in che,* idest, in quo modo loquendi pluraliter, *la sua famiglia men persevra,* quia hodie romani minus utuntur tali locutione cæteris, immo non dicerent papæ et imperatori, nisi

---

(1) S. vero.
(2) S. ipsi Cacciaguidæ.
(3) E. dicentes ei: quid.
(4) E. idest, primo.

tu, et ita populi vicini Romæ; sed adhuc multi populi in Lombardia et Tuscia servant illum morem [1] antiquum. — *Onde.* Hic autor antequam prosequeretur [2] quod incœpit interponit actum Beatricis; et fingit pulcre quod Beatrix risit de tali persuasione adulatoria, quia vidit persuasionem illam tendere ad inanem gloriam sui; et explicat risum illum per comparationem propriam. Unde dicit: *Onde Beatrice ch' era un poco scevra,* idest, separata aliquantulum ab eo, quia, ut jam dictum est, autor modicum trahebatur a vento gloriæ, et sic modicum recesserat a Beatrice [3], *parve ridendo quella che tossio al primo fallo scritto di Ginevra,* idest, ad osculum quod fuit primum fallum amoris Genevræ, de quo scriptum est in Inferno. Cum enim Lancillottus pervenisset ad colloquium cum regina Genevra opera principis Galeoti, nec auderet præ nimio pudore pandere flammam amoris sui, princeps Galeotus interposuit se, et fecit eos pervenire ad osculum: tunc quædam domina nomine Damma socia reginæ perpendens de actu, tussivit et spuit, quasi dicens [4]: bene te video; ita in proposito Beatrix risit nunc, quasi dicat: bene audio te, vel tu bene audiris, cave quid dicas. — *Io cominciai.* Hic autor incipit orationem suam ad dominum Cacciaguidam, et primo facit exordium, in quo captat benevolentiam, primo a persona auditoris, multipliciter, dicens: *Io cominciai,* supple dicere continuans me ad primum dictum inchoatum: *Voi siete il padre mio,* quia scilicet principium generis mei, *voi mi date a parlar tutta baldezza,* quantam, supple, habeo, *voi mi levate sì ch' io son più ch' io;* quasi dicat: erigitis me supra [5], idest, supra vires humanas; et captat benevolentiam a persona sui,

---

(1) S. morem loquendi antiquum.

(2) E. e 4, prosequatur.

(3) E. Beatrice ipsa, *parve.*

(4) E. diceret.

(5) S. supra me, idest.

ostendens se capere immensam lætitiam ex verbis eius: unde dicit: *la mente mia che fa letizia di sè, s' empie d' allegrezza per tanti rivi,* quasi dicat: ita ex omni parte repletur lætitia, quæ tamen erat prius in se læta. Unde dicit: *perchè può sostener che non si spezza,* scilicet, propter ipsam plenitudinem, quia potest aliunde prorumpere (1) lætitiam, quia scilicet, non est dare vacuum in mente mea. — *Ditemi.* Hic autor præmisso exordio nunc facit suam petitionem, et petit quatuor: primo qui fuerint prædecessores sui, dicens: *O cara mia primizia,* idest, o caræ primæ antiquæ meæ, *ditemi dunque, quai furo gli antichi vostri,* scilicet (2), ante vos. Secundo petit qui anni currebant in pueritia sua; unde dicit: *e quai fur gli anni,* scilicet, Incarnationis Domini; nam Tusci capiunt annos Domini ab Incarnatione, Lombardi vero a Nativitate, *che si segnaro in vostra puerizia,* idest, tempore nativitatis vestræ: omnia enim facta describuntur apud christianos ab annis Domini, sicut olim describebantur a consulibus, a principibus; immo usque in hodiernam diem Hispani adhuc capiunt in suis scripturis heram (3) a tempore Cæsaris, dicentes: hera Cæsaris millesima tercentesima etc. Tertio petit de magnitudine suæ civitatis, dicens: *ditemi dell' ovil di san Giovanni,* idest, de Florentia, cuius patronus est Johannes (4) Baptista, qui fuit acceptus, mutato Marte, sicut dictum est in Inferno. Vocat autem Florentiam ovile similitudinarie, quia populus est tamquam grex ovium multarum sub uno pastore, sub una lege viventium. Quarto petit de familiis clarioribus antiquis dictæ civitatis, dicens: *e chi eran le genti,* scilicet, nobiles; unde dicit: *degne di più alti scanni,* idest, maioribus gradibus honorum. — *Come s'avviva.* Hic autor ostendit quomodo anima illa responsura autori præpa-

---

(1) E. percipere lætitiam.
(2) E. scilicet, avos. Secundo.
(3) E. omnia a tempore.
(4) E. beatus Johannes.

raverit se ad responsionem; et ostendit per comparationem pulcram et propriam quomodo crevit [1] in splendore lucis et dulcore sermonis. Unde dicit: *Vid' io quella luce,* idest, lucidam animam Cacciaguidæ, *risplendere ai miei blandimenti,* idest, verbis meis blanditoriis, *così come carbon s' avviva in fiamma allo spirar de' venti;* et est comparatio propria in eo quod dictus spiritus ardens caritate et splendens luce recte comparatur carboni, et verba autoris ventis [2]: nam verba sunt volatilia more ventorum; unde Homerus quasi semper appellat verba pennosa, idest, simillima [3] pennis volantibus: et verba sæpe plus accendunt mentem audientis, quam aliqui venti ignem. Et subdit: *e dissemi con voce più dolce e più soave,* scilicet, quam prius, *così come si fe' più bella agli occhi miei,* quasi dicat: sicut facta est pulcrior in aspectu, ita facta est dulcior in sermone; unde dicit: *ma non con questa moderna favella,* quasi dicat, sed antiqua; quia, ut dictum est in capitulo præcedenti, tempore illius florentini [4] non discurrebant per mundum, nec per consequens dimittebant proprium idioma patriæ, sicut nunc multi faciunt. Sed certe quidquid dicatur, florentini qui hodie peregrinantur loquuntur multo pulcrius et ornatius, quam [5] illi qui numquam recesserunt a limine patriæ, quia dimittunt multa vocabula inepta, quæ sunt Florentiæ, et assumunt alia [6] convenientiora. Vel dicas, quod illa anima beata non utebatur nunc loquela humana immo angelica. Et respondet primo secundæ petitioni; et breviter vult dicere, quod ab Incarnatione Domini usque ad nativitatem suam transiverant anni mille quinquaginta quatuor; quod dat intelligi per cursum Martis, in cuius planeta modo erat.

---

(1) E. creverit. (2) S. vento.
(3) S. similia. (4) E. florentini cives non.
(5) S. quam aliqui qui. (6) S. omnia.

Expone ergo et construe sic literam: *questo fuoco*, idest, Mars, qui est [1] naturæ igneæ, ut jam sæpe dictum est, *venne a rinfiammarsi sotto la sua pianta*, idest, sub Ariete, qui ut aliqui volunt est domicilium Martis, *al suo Leon*, in quo forte modo erat; vel de Julio Augusto, *cinquecento cinquanta e trenta fiate;* nam Mars, ut communiter dicitur, facit cursum suum per totum zodiacum spatio duorum annorum, et sic calculata bene ratione videntur esse anni mille sexaginta; quod tamen esset penitus falsum; ideo ad verificandam literam autoris est advertendum, quod Mars non stat per biennium completum ad peragendum cursum suum: immo aliquanto minus; unde facta computatione restant anni mille quinquaginta quatuor. Et hoc dico: *Da quel dì che fu detto: Ave,* idest ab Annuntiatione Virginis, *al parto,* idest, usque ad nativitatem meam. Unde dicit: *in che,* idest, in quo partu, *mia madre ch' è or santa,* et sic ponit eam in paradiso, *s' alleviò di me,* quia deposuit onus uteri, *ond' era grave,* idest, ex quo me erat gravida. — *Gli antichi.* Hic Cacciaguida respondet primæ petitioni, et breviter dicit, quod sui prædecessores et ipse habitaverunt in loco antiquissimo civitatis [2] prope Forum vetus. Describit autem ipsum locum a situ, et a quodam singulari actu ipsius civitatis. Dicit ergo: *Gli antichi miei,* idest, maiores, scilicet Helisæi, *et io nacqui nel loco,* scilicet, intra civitatem Florentiæ, *dove si trova pria l' ultimo sesto,* idest, sexterium. Ad quod sciendum, quod Florentia erat olim divisa per sexteria, idest per sex partes; nunc vero per quarteria, sicut et Bononia. Et dicit: *da quel che corre il vostro annual gioco,* idest, ab illis qui currunt ad bravium. Ad quod sciendum, quod de more est Florentiæ, quod singulis annis in festo [3] Johannis Baptistæ currunt

(1) E. qui est veræ naturæ. (2) E. civitatis Florentiæ prope.
(3) S. festo sancti Johannis.

equi ad bravium in signum festivæ lætitiæ, sicut et apud plures civitates Italiæ: et hic est mos antiquissimus tam apud græcos quam apud romanos. Modo ad propositum: currentes ad bravium transibant ante domos Helisæorum in principio ultimi sexterii et prope Mercatum vetus, qui est locus mercatorum antiquus et famosus Florentiæ, sicut Rivus altus Venetiis et Carrobium Bononiæ. Et hic nota quod apud domos Helisæorum fuit olim arcus triumphalis, ad quem rei fugientes habebantur immunes; tanto privilegio nobilitatis gaudebant ipsi Helisæi. — *Basti.* Hic Cacciaguida excusat se ab ampliori descriptione suorum maiorum et origine, dicens: *Basti de' miei maggiori udirne questo,* scilicet, quod dictum est, ut (1) jactantia tollatur; sed dicere, *chi ei si furo et onde venner quivi,* scilicet, quando prius venerant habitatum Florentiam, *è più onesto tacer che ragionare,* quia laus in proprio ore sordescit, ideo alienum os laudet te, non tuum. Et ideo quia iste relinquit arbitrio aliorum hoc investigandum, est sciendum quod isti Helisæi venerunt olim ab Infrangipanis de Roma. Unde expresse autor vocat se romanum in Inferno.

Tutti color. Ista est tertia pars generalis (2) in qua Cacciaguida describit qualitatem status suæ civitatis; et est responsio ad tertiam petitionem. Respondet ergo, primo de magnitudine civitatis et multitudine civium tempore suo; et breviter vult dicere, quod in parva civitate erat tunc parvus numerus civium; dicit ergo: *Tutti color ch' a quel tempo,* scilicet, millesimo centesimo (3) quadragesimo (4) quarto, *eran ivi,* scilicet, in Florentia, *da poter arme,* idest, omnes, qui erant tunc armipotentes: et dicit: *tra Marte e 'l Batista;* aliqui ex ignorantia pervertunt istam literam, dicentes, quod

---

(1) E. ut omnis jactantia. (2) E. generalis huius capituli in qua.
(3) 4, trecentesimo. (4) E. quinquagesimo.

vult dicere a principio Florentiæ, quæ fundata fuit sub Marte usque ad tempus christianitatis, quando acceperunt Johannem Baptistam pro patrono; sed istud nihil est dicere: ideo dicas, quod describit antiquum situm Florentiæ, dicens: *tra Marte,* idest, inter Pontem Veterem, in cuius capite erat statua Martis, ut dictum est in Inferno et alibi sæpe, et iterum dicetur paulo infra in præsenti capitulo; *e 'l Batista,* idest, ecclesiam Johannis Baptistæ, quæ fuit olim templum Martis; et per hos confines dat intelligi totum situm veteris civitatis. Et sic vide, quod Florentia non erat tunc habitata ultra Arnum, sicut nunc. Erat (1) enim apud dictam ecclesiam baptismalem porta, quæ dicitur de episcopo, et ab inde foris erat Burgum sancti Laurentii, et claudebant mœnia ad portam sanctæ Mariæ versus viam regalem dicti pontis. Dicit ergo: *erano il quinto,* idest, quinta pars, *di quei che son vivi,* idest, qui nunc inhabitant dictam civitatem. Et hic nota, quod de rei veritate in isto millesimo CCC Florentia erat in florentissimo statu, et habebat tunc maximum numerum gentium. Faciebat enim tunc etc. — *Ma la cittadinanza.* Hic Cacciaguida sumpta occasione ex dictis deplorat perversionem et confusionem suæ civitatis; et breviter vult dicere, quod Florentia erat tunc habitata solum ab antiquis et veris civibus, ubi modo est repleta fæce rusticorum. Dicit ergo: *Ma la cittadinanza ch' è or mista,* idest, confusa, *di Campi,* idest, de rusticis villæ quæ appellatur Campi, quæ distat a Florentia per sex milliaria; et non ergo intelligas de agris, sicut multi male intelligunt. Et hoc dixit autor notanter, propter quemdam juristam nomine dominum Fatium de Certaldo, qui fuit magnus ribaldus; *di Figghine,* alia villa comitatus distans a civitate per (2) milliaria; et

---

(1) S. e E. Erat autem.

(2) E. per duodecim milliaria, et hoc dixit.

hic dixit notanter propter quemdam dominum Dechum (1) de Fighine similiter juristam ribaldum; *e di Certaldo:* istud est nobile castellum in comitatu Florentiæ in Valle Elsæ. Et de hoc dixit autor propter quemdam dominum Jacobum de Certaldo, qui fuit tantæ temeritatis, quod cum Potestas Florentiæ ex certo casu minaretur se depositurum sceptrum, iste qui tunc erat de prioribus, arroganter respondit: Nonne (2) credas, quod sit alius sciens regere terram istam? Et continuo assumpta virga Potestatis, accessit ad palatium Potestatis et cœpit sedere ad bancum ad jura reddenda; et hoc fecit aliquot diebus. Sed hic nota quod licet prædictus sua temeritate cedat ad infamiam Certaldi, tamen temporibus modernis floruit Boccacius de Certaldo, qui sua suavitate sapientiæ (3) et eloquentiæ reddidit ipsum locum celebrem et famosum. Hic siquidem Johannes Boccacius, verius bucca aurea, venerabilis præceptor meus, diligentissimus cultor et familiarissimus nostri autoris, ibi pulcra opera edidit; præcipue edidit unum librum magnum et utilem ad intelligentiam poetarum *de Genealogiis Deorum;* librum (4) magnum et utilem *de casibus virorum illustrium;* libellum (5) *de mulieribus claris;* librum (6) *de fluminibus;* et librum *Bucolicorum* etc. Et dicit: *vedeasi pura,* scilicet, sine aliqua mixtura exteriori, *nell' ultimo artista,* idest, in vilissimo artifice, sicut in eo qui purgat cloacas. — *O quanto.* Hic Cacciaguida ex dictis arguit, quod melius esset habere dictos rusticanos pro vicinis quam pro civibus. Unde indignanter exclamans, dicit: *O quanto fora meglio,* quasi dicat: longe foret melius pro civitate, *quelle genti ch' io dico,* scilicet, illos de villa, quæ dicitur de castro Certaldo, de Fighine et similes, *esser vicine,* idest, esse co-

---

(1) E. Deghum de Fighino.
(2) E. Numne, credis quod.
(3) S. sapientia et eloquentia.
(4) E. item librum.
(5) E. item libellum.
(6) E. item librum.

mitationes [1] quam concives, *et aver vostro confine al Galluzzo,* locus distans a Florentia per unum milliare, *et a Trespiano.* Ad quod sciendum, quod iste, quem vocat Rusticum fuit quidam jurista nomine Ubaldus de Aguglione, villa comitatus Florentiæ, qui fuit magnus canis. Dicebat se optime nosse guelphos et ghibellinos, et fecit librum de tam detestanda materia, quem diu florentini sequuti sunt; *di quel da Signa,* iste fuit alius jurista de villa quæ dicitur Signa, distans a Florentia per quinque milliaria supra Arnum; et dicunt aliqui quod iste fuit dominus Fatius. Unde dicit: *che già ha l'occhio aguzzo per barattar,* ita quod expectat ire ad picem. Et hic nota, quod autor merito infamat istos et alios superius prænominatos [2], quia viliter nati ex civitatibus nobilibus faciebant multa enormia tamquam lictores illorum. — *Se la gente.* Hic Cacciaguida manifestat unde provenerit istud malum: et dicit, quod a dissensione quæ fuit inter ecclesiam et imperatorem. Tempore enim Friderici secundi factæ sunt partialitates magnæ in Florentia et expulsiones partium, et sic comitatim venerunt ad habitandum civitatem, et nobilitati et ditati sunt. Unde dicit: *Tal è fatto fiorentino,* scilicet, adventitie, *e cambia e merca,* idest, factus est campsor et mercator, *che si sarebbe volto a Simifonti,* quæ est quædam terra comitatus Florentiæ, quam olim florentini ceperunt cum magno labore et destruxerunt: et dicit: *là dove andava l'avolo alla cerca,* idest, ad custodiam circuendo mœnia [3]; vel dicas, quod vocat circham circuitionem ecclesiarum, quam faciunt homines Florentiæ, et in comitatu in die veneris sancti, et alibi in die jovis sancti; et hoc non vult aliud dicere, nisi quod habitarent adhuc rus, sicut faciebat avus suus, nec venissent ad civitatem;

---

(1) E. comitatenses. (2) E. nominatos, qui viliter.
(3) E. mœnia civitatis; vel.

et hoc dico: *se la gente che più traligna al mondo,* idest, pastores ecclesiæ, qui plus deviant a vestigiis pastorum antiquorum, quam alia gens mundi a vestigiis suorum prædecessorum, *non fosse stata noverca,* idest, matrinia: et dicitur noverca, quasi nocens archa, vel nova archa sine fructu; vel dicitur juxta vulgarem etymologiam, *matrigna,* quasi mater ignea, vel quasi mater lignea sine amore; *a Cesare,* idest, imperatori, quia omnis imperator vocatur Cæsar, ut sæpe dictum est, *ma,* supple, fuisset, *benigna,* ipsi Cæsari, *come madre.* Ad quod sciendum, quod sicut refert Brunetus Latinus in suo Thesauro, et Ricobaldus Ferrariensis in sua Chronica, causa discordiæ inter Fridericum et ecclesiam fuit talis etc. — *Sariasi.* Hic Cacciaguida enumerat alia mala, quæ sequuta sunt ex ipsa [1] dissensione. Et primo, quia jura quorumdam nobilium usurpata sunt. Unde dicit: *Sariasi Montemurlo ancor de' Conti,* scilicet comitum Guidonum, quibus datum erat ab imperatore; modo vero est communis Florentiæ, quod post longam brigam emerunt etc. Et tangit aliud malum, quia illi colerent rus, qui nunc regunt civitatem Florentiæ. Unde dicit: *sariensi i Cerchi,* de istis sæpe dictum est, et dicetur capitulo sequenti; *nel pivier,* idest, plebatu, *d'Acone;* Acone enim est villa comitatus Florentiæ, de qua fuerunt Circuli prædicti. Modo dicit, quod adhuc starent in rure suo. Et tangit aliud malum, quia alii essent adhuc villani, qui nunc gloriantur valde de nobilitate. Et dicit: *e forse,* dubitavit, quia licet isti habitarent in rure, tamen erant nobiles et potentes. Ad quod sciendum etc. Dicit ergo: *e forse i Buondelmonti,* supple, essent, *in Valdigrieve,* idest, in valle illa, unde primo venerunt ad civitatem [2]. — *Sempre.* Hic Cacciaguida ex dictis arguit, quod mixtio

---

(1) S. dicta. (2) E. civitatem Florentiæ. — *Sempre.*

personarum semper fuit causa eversionis urbium; quod probat a simili; sicut varietas et superfluitas ciborum est causa dissolutionis complexionis corporum. Dicit ergo: *La confusion*, idest, colluvies et mixtura, *delle persone*, scilicet, diversarum nationum cum civibus, *sempre fu principio del mal della cittade*, scilicet, quæ ex se sufficiens est suis civibus: *come il cibo che s' appone*, idest, superponitur post comestionem, est, supple, principium, *del nostro*, supple, *male*, quia nihil deterius quam indigestum super indigestum ponere. Sicut ergo superfluitas ciborum est causa multorum morborum, ita confusio hominum est causa multarum seditionum. — *E cieco*. Hic Cacciaguida respondet quæstioni tacitæ: posset quis obiicere, quod licet confusio personarum sit causa destructionis civilis status, tamen, quia isti nobiles sunt, non videtur eis hoc credendum. Ad quod respondet. quod multo plus de eis est verisimile; quod probat a simili, dicens: *E cieco toro cade più avaccio*, idest, velocius, *che cieco agnello*, idest, vitiosus nobilis citius cadit quam vitiosus popularis. Sed licet ista videatur pulcra expositio, tamen mihi videtur, quod litera non recipiat eam, nec sit de mente autoris, cum jam expresse vocaverit istos rusticos; ideo dico et melius, quod Cacciaguida respondet quæstioni tacitæ, quæ talis est. Posset enim quis obiicere: licet civitas sit repleta rusticis, tamen est maior et fortior et potentior. Ad hoc respondet per simile quod citius cadit magnus et protervus populus, sicut taurus, quam populus parvus humilis et pacificus sicut agnellus (1); nam quanto maior populus, tanto minor intellectus, ut dicit philosophus: et Augustinus dicit de nano et gigante etc. Et subdit aliud pulcrum simile, dicens: *et una*, supple, spata, *taglia molte*

(1) E. agnus.

volte più e meglio che le cinque spade, quasi dicat: quod unus ensis civium sæpe incidit plus et melius quam quinque enses exterorum; vel unus ensis parvi populi unanimis et uniti incidit plus et melius, quam quinque enses magni populi discordis et divisi. Hinc (1) potest melius incipere quarta pars. — *Se tu riguardi.* Hic secundum expositionem quorumdam, Cacciaguida ostendit per quædam exempla manifesta effectum confusionis personarum, quia scilicet turbant tranquillum statum urbium et inducunt bella, per quæ evertuntur civitates, sicut civitas Lunæ in Tuscia propter superbiam civium etc. Sed certe, licet ista expositio videatur consona, tamen si quis subtiliter advertat, non bene adaptatur (2) literæ; immo ista exempla non referuntur ad literam præcedentem, sed trahenda (3) sunt ad literam sequentem, cum qua sunt concatenata in sententia. Dico ergo et melius, quod Cacciaguida volens descendere ad ultimum quæsitum autoris, scilicet quæ fuerunt (4) antiquitus claræ familiæ Florentiæ, primo præmittit quod autor non debeat mirari de destructione stirpium arguens a minori, quia etiam antiquæ magnæ civitates, aliquæ jam in totum defecerunt, aliquæ in dies deficiunt, cum tamen omnis civitas contineat multas et magnas familias. Nunc ergo ad literam: ordina sic et expone: *Udir come le schiatte si disfanno,* idest, quomodo nobiles stirpes anihilantur, *non ti parrà,* idest, non debebit tibi videri, *nuova cosa,* quia istud est vetustissimum, *nè forte,* quia istud est facillimum, quia usitatissimum; quod probat a minori, dicens: *poscia che le cittadi termin' hanno,* idest, finem; quia scilicet famosæ et antiquæ urbes inhabitantur. Et hoc dico: *se tu riguardi Luni,* idest, civitatem Lunæ, quæ fuit olim magna et potens civitas, tamen deserta

(1) E. Hic posset.
(2) S. coaptatur literæ.
(3) E. retrahenda.
(4) E. quæ fuerint.

jam sunt mille anni, de qua dictum est XX capitulo Inferni; *ed Urbisaglia.* Ista fuit olim civitas in Marchia anconitana non longe a civitate quæ hodie dicitur Macerata, et est penitus deserta, ita quod non apparent, nisi quædam vestigia ruinarum: et fuit olim maxima civitas, sicut ego notavi, unde dicta est quasi urbs alia, idest alia Roma; *come son ite,* idest, deletæ: *e come Chiusi;* ista est (1) civitas in Tuscia, quæ olim habuit regem, scilicet, Porsenam, qui voluit reducere Tarquinios expulsos in urbem Romæ, ut dictum est in Inferno. Et hic Galli Senones fuerunt conflicti primo a Romanis, qui continuo invaserunt urbem, et illam captam funditus everterunt, ferro et igne omnia vastantes præter Capitolium, ut scriptum est VI capitulo huius Paradisi. Et (2) autem nunc satis desolata et pauca quia est situata in loco palustri et pestifero (3); *e Sinigaglia.* Ista est civitas in Marchia anconitana inter Anconam et Fanum sita in litore maris adriaci, olim ædificata a Gallis Senonibus, de quibus tantum nunc dictum est, et ab eis denominata. Dicitur enim Senegallia, quia Galli Senones ædificaverunt eam. Cum enim Galli prædicti cum eorum duce Brenno intrassent Italiam, sicut adhuc sæpe faciunt barbari, socialiter euntes versus urbem pervenerunt ad istam planitiem, et videntes locum aptum genti armigeræ, quia ibi sunt prata virentia et sylvæ vicinæ, et locus est supra mare et juxta flumen, habens portum et copiam rerum; ideo traxeruut ibi moram ad certum tempus, et ibi ædificare cœperunt. Et certe fuit olim satis magna civitas et cum fortibus mœniis et multis altis turribus, ut notavi; sed nunc hodie est quasi derelicta propter aerem mortiferum (4) quia

(1) E. ista fuit.
(2) E. Et civitas nunc satis.
(3) E. pestifero, ut de se patet; *e Sinigaglia.*
(4) E. mortiferum sub quo nullus.

nullus potest ibi vivere sane, immo non [1] diu; unde pauci alienigenæ desperati stant adhuc ibi. Habet tamen adhuc bonum episcopatum et magnos redditus. Et ideo dicit: *come se ne vanno,* idest, paullatim nunc deficiunt, *diretro ad esse,* scilicet, post Lunam et Urbisaliam. Sicut et hodie evidens exemplum habemus præ oculis nobilem civitatem Reginam in Lombardia, cuius cives ita sunt dispersi per Italiam, sicut judæi per universum, et continuo consumitur [2], ita ut miserabile spectaculum sit transeuntibus. Et ita possem dicere de multis aliis. — *Le vostre.* Hic Cacciaguida concludit quod non solum civitates et stirpes deficiunt, sed et omnia humana sicut regna et provinciæ et imperia. Unde dicit, et est notabilis sententia: *Le vostre cose,* scilicet, omnia mundana, *tutte hanno lor morte,* et hic nota quod hoc est a ratione naturali; nam omne compositum resolvitur, omne generatum corrumpitur, omne mortale moritur; et nihil immortale mortales fecere [3] manus; et ideo dicit: *sì come voi,* scilicet, habetis vestram mortem, quasi dicat: insani mortales, creditis facere civitates, vel familias, vel aliqua immortalia cum vos tam cito moriamini. Et subdit: *ma celasi in alcuna,* idest, celari videtur, scilicet mors occultatur aliquandiu in aliqua re humana, sicut virtuosa operatione et fama respectu temporis, *che dura molto,* idest diu, *e le vite,* scilicet, hominum, *son corte.* Et hic nota quod hoc procedit ab influentia cœli; secundum enim magnas coniunctiones res [4] propagantur vel breviantur etc.

E come il volger [5]. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Cacciaguida præmissis generaliter quibusdam evidentialibus ad suum propositum ostendendum,

(1) E. nec diu.
(2) E. consumuntur.
(3) S. facere manus possunt; et ideo.
(4) E. res ipsæ propagantur.
(5) E. *volger.* Hic Cacciaguida.

scilicet quomodo domus defecerunt et deficiunt in sua civitate Florentiæ: et est responsio ad quartam petitionem autoris; et primo per comparationem naturalem de mutatione maris explicat [1] mutationem civitatis Florentiæ. Ad cuius comparationis intelligentiam est prænotandum, quod luna est quæ principaliter movet mare etc. Dicit ergo: *La fortuna,* quæ est influentia vel providentia Dei, *fa così di Firenze,* et ita intelligas de aliis civitatibus; sed autor nunc solum intendit dicere de mutatione suæ patriæ, *come il volger del ciel della luna cuopre,* scilicet, per fluxum et refluxum, *ed iscuopre i liti senza posa,* sicut apparet in terris maritimis, ut dictum est Inferni capitulo de Flandria etc. Unde subdit tangens materiam dicendorum: *perchè non dee parer mirabil cosa ciò ch' io dirò degli alti fiorentini,* idest, nobilibus et magnis antiquis; unde dicit: *ond' è la fama nel tempo nascosa,* idest, quorum fama diuturnitate temporis est occulta. — *Io vidi* [2]. Hic Cacciaguida ad principale propositum ostendendum breviter percurrit et connumerat multas familias nobiles, quæ erant præclaræ tempore suo, quarum aliquæ sunt penitus extinctæ, aliquæ parvæ, et aliquæ quæ sunt nunc magnæ, erant tunc obscuræ. Et primo perstringit simul sex familias nobiles antiquas, quæ jam erant in declinatione, dicens: *Io vidi gli Ughi e vidi i Catellini, Filippi, Greci, Ormanni et Alberichi, illustri cittadini già nel calare.* Et hic nota quod Cacciaguida dupliciter declarat eximiam nobilitatem præscriptarum familiarum; primo, quia vocat eas illustres; erat enim olim in Roma, sicut patet semper apud Titum Livium et alios scriptores rerum romanarum, duplex ordo, scilicet, illustris, continens nobiles viros et senatores; et

---

(1) E. exemplificat.

(2) E. *Io vidi.* Ista est quarta pars et ultima generalis huius cantus, in qua Cacciaguida.

ordo equestris, continens equites armigeros. Modo autor vocat istos illustres: secundo, commendat eos cum dicit: *nel calare,* quia si erant adhuc illustres in descensu, quid esse debuerant in statu? — *E vidi così.* Hic Cacciaguida simul colligit alias quinque familias antiquas, dicens: *E vidi così grandi, come antichi, quel dell'Arca con quel della Sannella, e Soldanieri e Ardinghi e Bostichi.* Et hic nota quod autor commendat prædictos dupliciter; primo quia describit eos a magnitudine, quia erant olim magnifici et potentes in urbe sua; secundo quia describit eos ab antiquitate, et antiquitas arguit nobilitatem, ut vult philosophus. — *Sovra la porta.* Hic Cacciaguida describit singulariter unam egregiam familiam, in cuius descriptione duo facit: primo, quia ostendit quomodo ex ista nobili familia descenderunt multæ aliæ [1] magnæ nobilitates; secundo ostendit, quomodo in domos illorum nobilissimorum pervenerunt viri rustici ad habitandum, de quibus prænuntiat ruinam cito venturam. Nunc vide literam, et ordina sic [2]: *I Ravignani,* nobilissimi cives, quorum familia est penitus extincta, ex quibus facti sunt comites Guidones et alii nobiles; unde dicit: *ond' è disceso il conte Guido.* Ad intelligendum autem, quomodo comes Guido descenderit ex istis per nobilem mulierem Ingualdradam [3] filiam domini Bellincioni, oportet te recurrere ad id, quod scriptum est de hoc Inferni capitulo. Et dicit: *e qualunque ha poscia preso del nome dell' alto Bellincione.* Hoc dicit, quia ex istis Ravignanis facta est alia familia dicta Bellincioni, sic denominata est ab illo præcipuo milite Domino Bellinciono, ut dictum est; *erano,* idest, habitabant, *sovra la porta,* hæc fuit antiqua porta veteris civitatis dicta porta sancti Petri: nunc autem novi cives venerant ad habitandum ibi, scilicet

(1) E. aliæ nobilitates.

(2) E. sic eam: *I Ravignani.*

(3) E. Raguldradam.

Circuli vel Cerchi, qui fuerunt rustici protervi, de quibus dictum est paullo supra et dicetur capitulo sequenti, qui posuerunt divisionem in civitate, quia fuerunt principes partis blancæ. Unde dicit: *ch' al presente è carca di nuova fellonia,* idest, novis civibus follibus et temerariis, quales sunt communiter nuper ditati; et dicit: *di tanto peso, che tosto fia jattura della barca,* idest, cito erit damnum civitatis florentiæ, quam regunt: et est pulcerrima metaphora et propriissima; cum enim navis est nimis onusta, oportet, quod eiiciantur merces ad illam alleviandam; ita a simili Florentia, quæ erat nimis onerata intollerabili arrogantia istorum, cito venit ad naufragium, et dicti Circli (1) eiicientur. Et adverte, quod autor loquitur de expulsione partis blancæ et de eiectione Circlorum (2), quæ fuit statim tertio anno post tempus istud, de quo nunc loquitur. Adverte etiam, quod ista omnia facta erant, quando autor ipsa scripsit; sed videtur pronosticari, quia refert se ad tempus suæ visionis, quæ fuit in millesimo CCC, ut totiens repetitum est in multis locis et capitulis libri. — *Quel della Pressa.* Hic Cacciaguida connumerat duas domos antiquas, quarum alteram describit a prudentia regendi, alteram a fortitudine bellandi. De prima ergo dicit: *Quel della Pressa sapeva già come regger si vuole,* et hæc est magna laus, quoniam principatus virum ostendit etc. De secunda dicit: *ed avea Galigaio già dorata l' elsa e 'l pome in casa sua.* Per hoc notat (3), quod familia Galigaiorum erat jam (4) ornata dignitate militari. — *Grande.* Hic Cacciaguida sub uno involucro claudit septem familias, quarum primam describit ab armatura, dicens: *Grand' era già la colonna del Vaio.* Isti vocantur Pigli, qui habent unam columnam de vario pro insignio. Quinque domos simpliciter nomi-

(1) E. Circuli.
(2) E. Circulorum.
(3) S. denotat.
(4) E. jam ordinata, ornataque dignitate.

nat, dicens: *Sacchetti, Giuochi, Sifanti, e Barucci, e Galli*, supple, erant magni. Describit septimam domum satis verecunde ab uno infami fallo, dicens: *e quei ch' arrossan per lo staio.* Ad (1) hoc intelligendum est sciendum, quod isti vocati sunt Claramontenses, quorum unus olim dum haberet officium dandi frumentum, sive salem communis, detraxit inde unam dogham (2), et sic diminuit justam mensuram cupiditate lucri; propter quod reperto fallo fuit decapitatus. Et ex hoc fuit ordinatum, quod sextarius esset ferreus, ita quod non posset de cætero aliquid detrahi. Et quia Claramontenses de hoc verecundantur, quandocumque istud memoratur vel improperatur eis, ideo dicit: *e quei ch' arrossan per lo staio*, idest, verecundantur propter sextarium corruptum; nam rubor est signum verecundiæ. — *Lo ceppo.* Hic Cacciaguida nominat tres stirpes, quarum unam describit ab alia familia descendenti ex illa, reliquas vero secundas describit ab officii dignitate. Dicit ergo primo: *Lo ceppo di che nacquero i Calfucci;* isti sunt Donati, præclara familia olim et nunc; ex quibus facta est alia familia, qui (3) dicti sunt Calfutii; *era già grande*, et adhuc hodie est; *e Sizii et Arrigucci erano già tratti alle curule*, idest, erant jam promoti ad dignitates et honores; quod innuit sub nomine Curulium. Curules enim erant olim Romæ sedes in quibus sedebant magistratus functi honoribus, sicut sæpe patet apud Livium. — *O quali.* Hic Cacciaguida coniungit duas familias simul eorum qui fuerunt socii in altitudine status et ruina: et quia isti fuerunt magnifici multum exclamat admirative: *O quali io vidi que' che son disfatti per lor superbia!* Isti sunt Uberti, quorum principalis (4) fuit dominus Farinata de Ubertis princeps partis ghibellinæ in Florentia, qui sua prudentia

---

(1) E. Ad huius intelligentiam est.

(2) E. dogham vasis, et sic.

(3) E. qua dicti sunt.

(4) E. principium.

et probitate multum exaltavit domum suam. Tamen, ut dicit autor, fuerunt expulsi superbia sua, de quorum expulsione dictum est in Inferno. Et forte avaritia nihil profuit sibi. Unde dum tempore expulsionis Ghibellini recedentes pervenissent ad locum, qui dicitur, *Lastra*, non longe a civitate, dominus Farinata prædictus conquerebatur et exclamabat, dicens: *heu amici mei, amici mei!* Tunc Dominus Musca de Lambertis respondit: quære tibi in bursa; *e le palle:* hic describit Lambertos ab armatura et florenti statu, dicens: *e le palle dell' oro fiorian Fiorenza in tutti i suoi gran fatti.* Et ex hoc colligere potes, quod Lamberti fuerunt nobiliores Ubertis, et cæteris, quamvis alii aliter dicant, quia in omnibus magnis factis præferebantur: quod posset facile probari ex multis privilegiis et ecclesiis Lambertorum. Sed omnibus omissis singulare signum nobilitatis eorum erat, quod mortui sepeliebantur equites (1) scilicet sedentes in equo brungio. — *Così faceano.* Hic Cacciaguida describit unam notabilem familiam, quam magnificat a duobus, scilicet a florenti statu, et quodam singulari privilegio. Ad quod sciendum, quod isti sunt Visdomini, qui quandocumque vacat episcopus (2) Florentiæ, sunt œconomi, idest, dispensatores. Dicit ergo: *Così faceano,* scilicet, sicut Lamberti, quia scilicet ita florebant in omnibus magnis factis Florentiæ, *i padri,* idest, prædecessores, *di coloro,* scilicet, Visdominorum, *che si fanno grassi stando a consistoro,* quia tunc vivunt pinguiter expensis episcopatus, *sempre che la vostra chiesa,* scilicet, episcopalis, *vaca.* Ista domus tantæ dignitatis quasi defecit; tamen ex ea factæ sunt duæ aliæ domus, scilicet, illi de la Tosa, et Aliotti. — *L' oltracotata.* Hic Cacciaguida memorat aliam familiam numerosam valde, quam multipliciter infamat

---

(1) E. equites sedentes. (2) E. episcopatus.

ab extraneitate, a vilitate, et a crudelitate. Ad quod est præsciendum, quod isti vocantur Adimari, et alio nomine Caviccioli, ex quibus fuit unus nomine Boccaccinus, quem Dantes offenderat tempore quo erat in statu. Quare ille post exilium autoris impetravit in communi bona eius, et semper fuit sibi infestus, et totis viribus semper obstitit (1) cum consortibus et amicis, ne autor reverteretur ad patriam. Quare autor facit altam (2) vindictam cum penna, quam non potuit facere cum spata. Nunc ad literam: dicit Cacciaguida: *La schiatta,* scilicet, Adimariorum, *oltracotata,* scilicet, sui commodi et honoris, *che s' indraca,* idest, quæ desævit more draconis, *dietro a chi fugge;* et in hoc autor tacite mordet præfatum Boccaccinum, qui erat ferocissimus contra ipsum autorem absentem et expulsum. Et per oppositum: *si placa come agnello a chi mostra il dente,* idest, resistenti et defendenti se aperte, *o ver la borsa,* idest, vel ei qui ostendit sibi pecuniam; quia pro pecunia recipit (3) sibi verbera et verecundias more joculatorum, *già venia su,* jam incipiebat florere; *ma di piccola gente,* scilicet, populari et obscura. Quod declarat per unum signum, quia unus nobilis de Donatis nomine Ubertinus moleste tulit, quod soror uxoris suæ daretur uni de Adimaris. Unde dicit: *sì che non piacque ad Ubertin Donato,* immo valde displicuit, *che 'l suocero il facesse lor parente.* Ad quod sciendum quod dominus Bellincionus, de quo jam sæpe dictum est, fuit socer Ubertini de Donatis, qui filiam suam habuit in uxorem; sed quia tradidit aliam filiam uni de Adimaris Ubertinus valde indignatus fuit, quia reputabat sibi ad verecundiam, quod esset factus affinis et cognatus unius de Adimaris. — *Già era.* Hic Cacciaguida facit mentionem de tribus familiis, quæ jam tempore suo erant hono-

---

(1) E. obstitit consortibus. (2) S. istam. (3) E. recepit.

rabiles, dicens: *Il Caponsacco era già disceso giù da Fiesole nel mercato,* idest, ad habitandum in mercato veteri; *e Giuda e Infangato era già buon cittadino.* Istæ tres domus sunt expulsæ jamdiu pro parte ghibellina. — *Io dirò.* Hic Cacciaguida propalat unam domum antiquam ignotam valde, et quæ ab ignorato casu accidentaliter nomen traxit. Ad cuius intelligentiam est præsciendum quod etc. Nunc ad literam dicit autor: *Io dirò cosa incredibile e vera.* Satis enim incredibile videtur, quod una porta nobilis civitatis sumeret denominationem ab uno vendipira, et tamen sic fuit. Et ex hoc satis apparet, quod male intelligunt, qui exponunt quod autor loquitur (1) hic de Perutiis de Florentia; tunc enim non videretur res ita incredibilis. Ideo prima expositio plus placet, quia non sine quare autor dixit signanter *incredibile,* et ecce rem incredibilem et veram: *nel picciol cerchio,* idest in parvum circuitum (2) civitatis veteris, *s'entrava per porta, che si nomava,* idest, quæ porta denominabatur, *da quei della Pera.* Et nota, quod hæc porta non erat de principalibus. Habebat enim tunc Florentia quatuor portas magistras, scilicet, portam sancti Petri, portam juxta Duomum, portam sancti Pauli, portam sanctæ Mariæ. Aliæ vero erant (3) portæ parvulæ. — *Ciascun.* Hic Cacciaguida facit unum fascem de aliquot (4) nobilibus familiis, quæ omnes portant idem insignium. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod istæ fuerunt quinque nobiles domus, scilicet Pulci, Nerli, Çandonati, comites de Gangalandi, et domus filiorum Bellæ. Isti omnes portant pro armatura dogas ad argentum et rubeum; quam armaturam obtinuerunt ab (5) Hugone marchione Brandiburgensi vel comite Alamaniæ,

---

(1) E. loquatur.

(2) S. circulum.

(3) E. erant portulæ parvæ seu parvulæ.

(4) S. aliquibus.

(5) E. a quodam Hugone.

qui fuit vicarius in Tuscia pro imperatore Othone; et aliqui ex eis fuerunt facti milites ab eo et privilegiati. Hic comes mortuus est Florentiæ et dotavit multas ecclesias, præcipue abbatiam sanctæ Mariæ quam fundaverat, cum multis aliis. Et quia decessit in festo sancti Thomæ, omni anno fit solemnis memoria de eo, et in tali die fit eius (1) anniversarium. Nunc ad literam: dicit Cacciaguida: *Ciascun che porta della bella insegna,* quod insignium est armatura ad dogas etc., ut supra, *del gran barone,* scilicet, prædicti marchionis Hugonis, qui fuit magnus baro nobilitate et potentia; quem commendat a beneficiis suis in Deum, dicens: *il cui nome e il cui pregio la festa di Tommaso riconforta,* quia scilicet virtus et fama Hugonis renovatur et confirmatur annuatim in festo beati Thomæ, quia fit singularis commemoratio et commendatio de eo in memoria (2) beneficiorum eius; *ebbe milizia e privilegio da esso,* scilicet, a prædicto marchione Hugone, quia de unaquaque domorum prædictarum fecit aliquos milites, ut prædicitur. — *Avvegna.* Hic Cacciaguida excipit unum, qui non sequutus est vestigia nobilium, immo factus est popularis. Ad cuius rei evidentiam est præsciendum, quod iste de quo autor loquitur fuit quidam Zannes de la Bella, qui etc. Nunc ad literam, dicit Cacciaguida: *Avvegna che colui,* scilicet, Zannes de la Bella, *che la fascia col fregio,* idest, cingit frisio: hoc dicit, quia illi de la Bella apposuerunt unum frisium aureum circumcirca armaturam datam eis a dicto Hugone, ut sic distingueretur ab aliis, qui habuerant idem insignium, *si rauni oggi col popol,* idest, conveniat et congregetur cum populo, sicut olim fecerunt Gracchi in urbe Roma, et aliqui alii; ideo iste bene luit pœnas dignas, sicut et illi, ut patet ex dictis. — *Già*

---

(1) E. illius. (2) E. in memoriam.

eran. Hic Cacciaguida addit superioribus alias tres domos, quarum unam parum laudat, licet fuerit diu magnifica; unde dicit: *Già eran Gualterotti et Importuni,* scilicet, in nomine et pretio in civitate Florentiæ: *et ancor Borgo saria più quieto,* debes intelligere antonomastice de Burgo Sancti Apostoli, qui est pulcrior cæteris, *se fosser,* scilicet, si habitatores illius Burgi, *digiuni di nuovi vicini,* idest, vacui Bardis, qui de novo missi fuerunt ad habitandum Burgum istum, tamquam homines audaces, ut compescerent motus ghibellinorum illius Burgi. — *La casa.* Hic Cacciaguida ultimo describit unam domum de qua nata est desolatio et disturbatio civitatis Florentiæ, propter iniuriam factam sibi. Ad cuius literæ intelligentiam oportet repetere illud quod scriptum est Inferni capitulo, scilicet quomodo quidam miles nomine Bondelmontes de Bondelmontibus, cum iret ad desponsandam unam de Amideis, revocatus a quadam domina de Donatis, quæ ostendit sibi filiam suam formosissimam, desponsavit illam secundam. Ex quo Amidei, convocatis principalibus de parte ghibellina, sicut Ubertis, Lambertis, Abbatibus, et aliis, conquesti sunt de iniuria. Et post longam consultationem, opera domini Muscæ de Lambertis, iverunt trucidatum autorem iniuriæ. Nunc ergo ad literam, dicit autor: *La casa,* scilicet, Amideorum, *di che nacque il vostro fleto,* idest, planctus et dolor; et dicit: *per lo giusto disdegno, che v' ha morti,* quia scilicet prædicti habuerunt justam causam indignationis, quia evidens contumelia fuit; et dicit, *e posto fine al vostro viver lieto,* quia hucusque florentini habuerant pacificum et tranquillum statum; postea vero factæ sunt civiles discordiæ et partialitates, ex quibus sequutæ sunt expulsiones, incendia, cædes, prædæ, peregrinationes per mundum, *era onorata,* quia honorabilis familia fuit Amideorum; et dicit: *essa,* quasi dicat: non solum ipsa,

sed etiam, *i suoi consorti,* scilicet, Ucellini et Gherardini. — *O Buondelmonte.* Hic Cacciaguida indignanter exclamat contra insanam lasciviam juvenis, qui ad unam persuasionem unius fœminæ dimisit propriam uxorem, et assumpsit eam, quæ de jure esse non poterat. Unde dicit: *o Buondelmonte, quanto mal fuggisti le nozze sue,* idest, affinitatem illorum Amideorum male dimisisti, primo. malo et damno tui; secundo, illius partis ghibellinorum: et tertio, tuæ civitatis; et dicit: *per gli altrui conforti!* scilicet, ad persuasionem illius dominæ de Donatis. Et ideo subdit, quantum bonum sequutum fuisset, si numquam Bondelmontes venissent ad civitatem, dicens: *molti serebber lieti, che son tristi,* quia scilicet non sequuta fuisset divisio et destructio civitatis, si antiquus tuus, quando primo veniebat ad habitandum civitatem, fuisset suffocatus in flumine Ema. Unde dicit: *se Dio t' avesse conceduto ad Ema,* scilicet, quod habuisses tuam sepulturam in flumine Ema. Est enim Ema fluvius parvus, distans a Florentia per tria milliaria; vel dicas: *se Dio t' avesse conceduto ad Ema,* idest, si remansisses ibi ad habitandum, ita quod non venisses ulterius, quando primo veniebas de valle Gravi ad habitandum Florentiam. Unde dicit: *la prima volta ch' a città venisti.* Dicunt enim aliqui, quod Ema cum suo territorio est de Bondelmontibus. — *Ma conveniasi.* Hic Cacciaguida ex morte Bondelmontis arguit malum augurium, quod prænuntiavit futuram effusionem civilis sanguinis. Nam dominus Bondelmontes fuit interfectus ante statuam Martis. Cum ergo Mars sit Deus belli, et gaudeat sanguine humano, bene sacrificatum fuit sibi sanguine humano istius. Dicit ergo: *Ma conveniasi che Fiorenza fesse vittima,* idest, sacrificium sanguinis humani, sicut olim fiebat Marti a quibusdam barbaris; vel *vittima,* scilicet, de Bondelmonte, quasi victima pacis ruptæ. Cum enim olim quis inhibebat

fœdus mactabatur tamquam victima, ut sæpe patet apud Titum Livium, *a quella pietra scema,* idest, statuæ Martis quæ erat aliqualiter fracta, *che guarda 'l ponte,* quia erat posita in principio pontis Veteris, ut sæpe dictum est. Et dicit: *nella sua pace postrema,* quia scilicet non erat amplius futura pax in Florentia. — *Con queste.* Hic Cacciaguida concludit suam narrationem et claudit capitulum, dicens: *Vid' io Fiorenza con queste genti,* scilicet, superius enumeratis familiis; et dicit: *e con altre con esse,* quia fecit autor solum mentionem de quibusdam, de quibus placuit facere famam, quia visæ sunt sibi memorabiliores. Et dicit: *in sì fatto riposo,* idest, in tam tranquillo et pacifico statu, *che non avea cagione onde piangesse,* idest, quod non habebat materiam plorandi, sicut nunc. Et subdit: *e vid' io il popol suo,* scilicet, florentinum, *glorioso,* scilicet, artibus pacis et belli: tunc enim gerebant bella contra hostes, ex quibus consequebantur sæpe victoriam gloriosam, non contra cives, ex quorum victoria non datur triumphus, *e giusto,* quia tunc non usurpabat iniuste jura vicinorum, sicut nunc facit; et dicit: *tanto che 'l giglio non era posto a ritroso ad asta.* Hoc dicit, quia de more est victorum sæpe pervertere insignia capta ab hostibus, ponendo caput hastæ superius deorsum et pedem sursum. Quod tamen sæpe factum est Florentiæ tempore bellorum civilium; quia aliquando ghibellini expulsi capiebant insignia intraneorum, et subvertebant in opprobrium guelphorum, et e contrario. Et dicit: *nè per division fatto vermiglio.* Ad intelligentiam huius literæ est notandum, quod cum romani olim faciebant aliquam civitatem coloniam, donabant sibi armaturam populi romani, scilicet, scutum simpliciter rubeum, sine literis illis S. P. Q. R., quæ literæ important: senatus, populusque romanus: tamen Nicolaus tribunus Romæ, vir magnæ probitatis et prudentiæ, sæpe arguens populum

romanum de vilitate et furore intollerabili eorum, exponebat istas literas sic: S. P. Q. R., idest, *Sozzo popolo conchagato* [1] *romano*. Sed ad propositum: omnis colonia recipiens insignium romanorum poterat addere et apponere quidquid volebat. Unde perusini addiderunt gryphum, florentini lilia alba, pisani nihil addiderunt. Florentini ergo, pulsis ghibellinis, converterunt lilia alba in rubea, ad diversificandum insignium exteriorum expulsorum. Et ab illo tempore citra habuerunt semper lilia rubea. Unde adhuc apparent in summitate Palatii Potestatis lilia alba. Et hoc est quod dicit: *nè per division,* idest, partialitate, *fatto vermiglio,* vel expenas, sanguine vel rastello.

---

(1) E. *conchato.*

CANTUS DECIMUS SEPTIMUS, *in quo moventur quædam dubitationes, et declarantur, ubi de autore aliqua ponuntur.*

Qual venne a Climenè per accertarsi. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit Cacciaguidam antiquum prædecessorem suum ad narrandum sibi specialiter genealogiam suam et statum modernum et antiquum suæ civitatis; nunc consequenter in isto XVII capitulo introducit illum ipsum spiritum prædictum, qui prædicit sibi sua infortunia et exilia. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor petit a dicto spiritu expositionem quorumdam pronosticorum factorum sibi tam in inferno quam in purgatorio. In secunda autor ponit declarationem dictorum dubiorum, ibi: *Nè per ambage.* In tertia autor ostendit suum refugium in diversitate, ibi: *Lo primo.* In quarta et ultima informat et certificat se circa complementum et publicationem huius operis, ibi: *Poi che tacendo.* Ad primum breviter dico quod autor petit ab illo suo antiquo expositionem quorumdam pronosticorum factorum sibi tam in inferno quam in purgatorio. Et primo ostendit suam dispositionem ad quærendam istam certificationem per unam comparationem propriam et pulcram. Ad cuius comparationis evidentiam est prænotandum quod Phaeton filius solis, sicut scribit diffuse Ovidius secundo Metamorphoseon, dum improperatum esset sibi ad Epapho filio Jovis quod ipse erat spurius, et non verus filius solis, statim turbatus recurrit ad matrem suam, quæ Clymene vocabatur, ut certificaretur ab ea cuius filius esset. Illa autem ad tollendam omnem suspicionem ex animo eius remisit eum

ad [1] solem, a quo petivit et impetravit posse regere per diem currum solarem in evidens testimonium quod erat vere filius solis, sed male scivit gubernare, ex quo sequutum est incendium mundi; quod declaratum est in cantica Inferni. Allegorice autem Phaeton est etc. Modo ad propositum vult dicere autor: sicut Phaeton filius solis turbatus, eo quod improperatum fuerat sibi ab æmulo suo, recurrit ad Clymenem matrem suam, ut certificaretur de re produbia multum pungente animum suum, et illa remisit eum ad solem; ita ad propositum dicit autor, quod ipse tamquam verus filius solis, quia sapientissimus, turbatus eo quod fuerat sibi improperatum a multis adversariis, recurrit nunc ad Beatricem matrem suam, quæ remisit eum ad antiquum patrem suum, ut declararetur de re sibi dubia et suspecta valde cruciante animum eius. Et sic potes considerare quantum ista comparatio propriissime sit applicabilis ad suum propositum ostendendum. Nunc ad literam veniendum est, quam sic ordina et expone: *Io era tal,* idest, tam dubius, *qual quei,* scilicet, Phaeton, *ch' ancor fa li padri scarsi ai figli,* quia scilicet Phaeton, moraliter loquendo, admonet patres ne sint nimis teneri erga amorem filiorum, consentientes eis damnosa sibi et aliis; ex quo postea recipiunt magnum dolorem, *venne a Climene,* scilicet, matrem eius, *per accertarsi di ciò che avea udito incontro a se,* scilicet ab Epapho, quod [2] non erat filius solis. Et subdit: *e tal era sentito,* idest, tam dubius, ex eo quod audiveram futurum contra me ex verbis turbativis, sicut præfatus Phaeton, *e da Beatrice,* quæ cognoscebat turbationem animi mei sicut et ego, *e dalla santa lampa,* idest, Cac-

---

[1] E. ad Phœbum patrem suum a quo impetravit pro evidenti testimonio quod esset eius filius, ut posset solum per unum diem regere currum solarem; quo obtento, quia male scivit regere, sequutum est.

[2] E. scilicet quod.

ciaguidæ luce ardenti. Et dicit: *che pria avea mutato sito per me,* quia sicut dictum est supra, lux Cacciaguidæ descendit a dextro cornu crucis ad pedem ut loqueretur autori. — *Perchè.* Hic autor ostendit quomodo habuerit licentiam a Beatrice exprimendi suum dubium, dicens: *Perchè mia donna,* scilicet, Beatrix, *mi disse: manda fuor la vampa del tuo disio,* idest, emitte flammam tui ardentis desiderii; et dicit: *sì ch' ell' esca,* idest, exeat foras, *segnata bene della interna stampa,* idest, ut illa vampa bene exprimat extra interiorem conceptionem animi a qua recedit. Verba enim sunt quasi quædam claves animi aperientes conceptum animi (1) intrinsecum. Et subdit causam quare velit ipsum exprimere (2) dubium suum excludens causam non veram. Dicit ergo: *non perchè nostra conoscenza cresca per tuo parlare, ma perchè t' ausi a dir la sete,* idest, ut assuescas propalationi dubiorum tuorum, *sì che l' uom ti mesca,* idest, det tibi potum ad extinguendam sitim. Et nota quod (3) est vocabulum tuscum; quando enim tuscus vult dicere: da bibere, dicit: misce. Et hic nota quod quamvis nostræ necessitates sint notæ Deo, tamen expedit quod proprio ore petamus, ut nostra subiectio appareat; ideo autor petit ut sequitur. — *O cara pianta.* Hic autor ponit suam orationem ad dictum spiritum, in qua facit exordium, narrationem et petitionem. Primo ergo facit exordium ad captationem benevolentiæ, per quod ostendit, quod ille spiritus potest eum vere certificare de futuris contingentibus, de quibus autor petiturus est; et hoc ne eius petitio vana videatur. Dicit ergo sententialiter: o anima beata, quæ ita certe vides in Deo futura contingentia, sicut certe mens humana sine aliqua demonstratione cernit, quod in uno triangulo non possunt esse duo an-

---

(1) E. ipsius animi. (2) E. expromere. (3) E. quod hoc est.

guli obtusi, quasi dicat: omnis contingentia in conspectu divino est per se nota. Dicit ergo: *O cara pianta mia,* idest, planta et radix generis mei, *che sì t' insusi,* idest, tantum te exaltas et profundas in Deo, *che vedi le cose contingenti anzi che sieno in sè,* idest, antequam veniant in esse suum, *mirando il punto,* idest, in Deo; de quo puncto dicetur in capitulo XXVII, *a cui tutti li tempi son presenti,* quia quæ sunt, quæ fuerunt, venientque, uno mentis cernit intuitu; quod declarat per simile dicens: *come le terrene menti,* idest, intellectus humani, *veggion,* scilicet, clare, sine dubitatione sensualiter, *due ottusi,* scilicet angulos, *non capere in triangolo.* Ad huius autem similitudinis intelligentiam est notandum [1], quod secundum geometras triplex est species angulorum, scilicet, rectus, acutus, obtusus. Angulus rectus est quando una linea recta perpendiculariter cadit super aliam lineam rectam, sicut patet in signo crucis †. Angulus acutus est quando una linea recta cadit super aliam rectam, sed non perpendiculariter, immo declinat ad partem lineæ supra quam cadit, ut in hac figura patet /\. Angulus obtusus est quando una linea recta cadit super rectam non perpendiculariter, nec declinat ad partem lineæ super quam cadit, sed declinat ad oppositam partem, ut patet in hac figura _. Unde clare apparet, quod in uno triangulo non possunt esse duo obtusi. Et ratio est quia omnis triangulus consistit in tribus lineis. Si ergo faciamus quod duæ habeant se per angulum rectum, statim sequitur quod duo anguli sunt acuti; similiter si faciamus quod duæ lineæ habeant se per angulum acutum, sequitur quod secundus est rectus vel acutus; si est rectus, ut dictum est, oportet esse acutus; si secundus et primus sunt acuti non potest esse nisi

(1) S. sciendum.

unus obtusus; et si est unus obtusus de necessitate oportet esse duos acutos: ita quod clare apparet, quod in uno triangulo non potest esse nisi unus obtusus, et potest esse sine ipso. — *Mentre.* Hic autor facit suam narrationem. Ad cuius declarationem est præsciendum quod autor recordatus multorum pronosticorum factorum contra eum per multos æmulos et amicos, sicut per Ciaccum, Farinatam, Vannem Fucii in inferno, et per Odorisium et alios in purgatorio, de sinistris eventuris sibi; ideo nunc intendit certificari de illis malis eventuris sibi. Narrat ergo quæ dicta sunt contra eum, dicens: *Parole gravi,* scilicet, gravantia mentem meam, *mi fur dette di mia vita futura,* scilicet, quod debebam ducere vitam in exilio extra patriam, et talia similia, *mentre ch' io era congiunto a Virgilio,* idest, dum habebam Virgilium in ducem, scilicet, ascendendo per purgatorium, *che l' anime cura,* idest, sanat et mundat(¹) ab infirmitate et labe peccati, *e discendendo nel mondo defunto,* idest, in infernum, qui est mundus defunctorum. Et subdit autor ne videatur vilis vel pusillanimus contra impetum fortunæ, *avvegna ch' io mi senta ben tetragono ai colpi di ventura,* idest, fortem et intrepidum. Ad quod notandum, quod tetragonus * est figura quadrata, sicut texera vel taxillus, quæ semper cadit plana; ita a simili vir virtuosus est quasi tetragonus * (²) et sine vituperio, ut dicit philosophus etc. — *Perchè.* Hic autor facit suam petitionem petens expositionem futurorum eventuum. Unde dicit: *Perchè la voglia mia saria contenta, d' intender qual fortuna mi s' appressa,* scilicet, utrum speranda vel timenda. Et assignat rationem quare sua petitio sit justa, dicens: *chè saetta prevista vien più lenta,* idest, minus lædit. Est ergo hic notandum, quod hoc scri-

(¹) E. et curat ab omni labe et infirmitate.
(²) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 4.

bit Aristoteles in libro qui dicitur *Secreta secretorum* ad Alexandrum persuadens quod habebat [1] secum viros philosophos et astrologos, qui prædicant sibi futura; quia etiam si illa futura videantur inevitabilia, tamen utile est præscire, quia homo saltem potest esse præcautus et præmunitus, ita quod illa advenientia minus lædent eum; sicut gratia exempli: si scio hyemem futuram fore rigidam et frigidam, non potero evitare quin sic sit, sed bene potero præfulcire me pannis, pelliciis, lignis et similibus, quibus potero facilius tolerare sævitiam hyemis, et ita de similibus. — *Così.* Hic autor ultimo ostendit quomodo fecerit petitionem istam [2] de licentia Beatricis, quam semper solet petere antequam petat. Unde dicit: *Così diss' io a quella luce stessa,* scilicet, Cacciaguidæ, *che pria m' avea parlato,* quia prius quam alia anima de spera Martis locuta fuit sibi. Et dicit: *e la mia voglia fu confessa,* idest, manifestata a me illi, *come Beatrice volle,* idest, voluit et mandavit; quasi dicat: non credas quod fecerim hoc sine consensu Beatricis, licet ego videar præmisisse supra licentiam eius.

Nè per ambage. Ista [3] est secunda pars generalis, in qua autor ponit responsionem Cacciaguidæ ad petitionem factam; et primo præmittit modum loquendi eius, dicens, quod ille respondit sibi clare, non ambigue, sicut olim faciebant dii gentium, cum interrogabantur de futuris. Dicit ergo: *Ma quello amor paterno,* scilicet, Cacciaguidæ, qui erat meus pater antiquus, ut jam totiens patuit, *chiuso e parvente del suo proprio riso,* idest, velatus suo lumine læto, et apparens per illud, *rispose per chiare parole,* quibus utitur qui non vult decipere, *e con latin preciso,* scilicet, simplici non extravaganti. Unde dicit: *nè per ambage,* idest, circuitiones verborum; et

---

(1) E. quod habeat. (2) E. dictam. (3) E. e S. Hæc est.

dicit, *in che,* idest, in quibus ambagibus, *la gente folle,* scilicet, pagana, *già s' invescava,* idest, fallebatur et capiebatur sicut avis visco, quæ cadit in manus aucupatoris; et ita isti seducti cadebant in manus adversarii. Ad quod notandum, quod dii antiqui tempore gentilitatis antiquæ dabant responsa sua semper ambigua, idest, dubia, ita quod poterant trahi ad utramque partem contradictionis, ne deprehenderentur in mendacio, sicut patet in responso dato Creso regi Lydorum, et Pyrrho et aliis multis. Quæ responsa Tullius quamquam paganus eleganter irridet in suo libro de divinatione et fato, dicens: tua dicta, Apollo, semper ambigua, semper dubia, et ad dialecticos referenda: ideo merito petit Paulus Orosius: Cur enim per tot sæcula ante adventum Christi oraculum Apollinis derelictum est? etc. Et dicit: *pria che fosse anciso l'Agnel di Dio che le peccata tolle,* quasi dicat, ante mortem Christi Salvatoris (1); et bene dicit, quia ante adventum Christi homines erant fere omnes involuti istis erroribus: omnes enim nationes præter hæbream colebant pluralitatem deorum; et adhuc post Christum diu viguit infidelitas in multis gentibus. — *La contingenza.* Hic Cacciaguida incipit respondere ad quæsita: et primo respondet ad id quod autor dixerat supra, *così vidi le cose contingenti.* Unde dicit: *La contingenza che non si stende fuor del quaderno della vostra materia,* quia nullum est futurum contingens, quod non sit descriptum in libro Dei; ideo (2) dicit: *è tutta dipinta nel cospetto eterno,* idest, est tota præsentialiter manifesta in providentia divina. — *Necessità.* Hic Cacciaguida respondet quæstioni tacitæ, quæ videtur oriri ex dicto eius, quia posset statim obiici: Si Deus omnia futura contingentia præsentialiter videt, cum eius scientia sit infallibilis, ergo

(1) E. Salvatoris nostri pretiosissimi; et bene. (2) S. unde dicit.

infallibiliter et necessario evenient. Respondet autor: et tamen ipsa contingentia, *non prende però necessità quindi*, scilicet, ab illo aspectu divino. Et hoc manifestat per unum exemplum grossum domesticum, dicens: *se non come nave, che discende giù per corrente*, idest, fluvium, supple, recipit necessitatem, *dal viso in che si specchia*, idest, ab oculo illius a quo prospicitur eam. Et hic nota quod per hoc autor vult dicere, quod providentia Dei non imponit necessitatem futuris contingentibus, nisi sicut oculus humanus, qui stans ad ripam maris vel fluminis videt a longe navim venientem secundum cursum aquæ, qui licet videat navim certissime venientem ad portum, tamen non imponit necessitatem sibi, quia ita ipso non vidente sicut vidente, navis facit cursum suum. Sicut ergo prævisio humana non est causa quare hoc sit, ita nec providentia divina est causa qua (1) futura eveniant; ita enim se habere (2) providentia ad futura, sicut visio humana ad præsentia. Videt enim Deus omnia futura in instanti æternitatis, ita quod futura non sunt sibi futura; et cætera multa videt. — *Da indi*. Hic Cacciaguida ostendit quomodo recipit præscientiam futurorum venturorum sibi ab ipso conspectu divino, cui omnia præsentia sunt. Unde dicit: *Il tempo che ti s' apparecchia*, idest, fortuna, quæ appropinquat tibi in tempore proxime futuro, *mi viene a vista*, idest, ad visum meum, *da indi*, scilicet, ab illo (3) conspectu æterno; quod declarat per simile proprium, dicens, *sì come dolce armonia viene ad orecchia da organo;* et est similitudo propria. Sicut enim auris humana recipit dulcem sonum ab organo bene temperato, ita intellectus beatus videt dulciter eventum futurorum in illo organo temperatissimo, a quo emanat harmonia per diversas fistulas

(1) E. quare. (2) E. e 4, se habet. (3) E. isto.

organales, scilicet novem ordines angelorum. — *Qual si partì.* Hic Cacciaguida incipit narrare fortunam appropinquantem autori; et primo prædicit sibi eius expulsionem iniustam, quam explicat per unam comparationem pulcerrimam. Ad cuius intelligentiam est præsciendum, quod, sicut scribit Seneca libro Tragœdiarum, in tragœdia quæ intitulatur Hippolytus, Phædra uxor Thesei ducis Athenarum (1), capta pulcritudine Hippolyti privigni sui, ipsum requisivit de stupro. Quo consentire nolente, illa ad excusationem suæ inhonestæ culpæ clamavit etc. Nunc ad literam: dicit Cacciaguida: fili mi: *El ti conven partire tal di Firenze,* scilicet, nolentem consentire pravis operibus civium tuorum, *qual si partì Ippolito,* filius Thesei, *da Atene,* civitate sua, *per la noverca,* scilicet, Phædram, *spietata,* quæ impie perdidit juvenem innocentem, quem debebat honeste diligere tamquam filium; *e perfida,* quæ perdidit fidem quam debebat habere ad virum suum. Et hic nota quomodo comparatio est propriissima ad propositum: sicut enim Hippolytus innocens et honestus fuit pulsus de nobilissima patria sua civitate Athenarum, et missus ad tormenta, quia noluit consentire luxuriosæ voluntati (2) novercæ suæ Phædræ; ita autor justus et insons fuit pulsus florentissima civitate Florentiæ patria sua, nolens consentire libidinosæ voluntati Florentiæ, quam reperit novercam et non matrem, et missus est ad incommoda magna. Civitas namque Athenarum viguit magna sapientia et eloquentia, et tamen sæpe magna mala fecit et maxime vitio ingratitudinis laboravit contra cives suos benemeritos, sicut egregie ostendit Valerius et Justinus. Ita Florentia erga cives suos optimos, puta Dantem, Petrarcham, Boccacium etc. ut statim dicetur. — *Questo.* Hic Cacciaguida ostendit au-

---

(1) E. Athenarum patris ipsius Hippolyti, capta. (2) E. voluptati.

tori [1] expulsionem eius. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod vigente parte Blancorum in civitate Florentiæ, cuius caput erat dominus Verius [2] de Circlis, expulso domino Cursio de Donatis principe alterius partis, papa Bonifacius volens componere dictam civitatem, et pacificare partes, voluit habere duces partium. Et cum reperisset illum de Circulis durum et implacabilem, illum vero de Donatis in omnibus se subiicientem voluntati suæ, ordinavit, quod Carolus Sine-Terra veniret de Francia in Italiam sub nomine paciarii, qui sedaret lites et discordias ubique: qui veniens Florentiam, ordinavit eam ita bene, sicut scriptum est supra in Purgatorii capitulo, et alibi sæpe. Ad literam ergo dicit autor: *Questo si vuole e questo già si cerca,* idest, procuratur per dominum Cursium de Donatis et alios. Et dicit: *e tosto verrà fatto,* quia scilicet res sortietur effectum in triennium. *a chi ciò pensa,* scilicet, prædicto [3] Cursio, et domino Musatto de Francesiis de eadem parte, qui personaliter de Francia et cum magnis pecuniis et propriis expensis conduxit Carolum prædictum usque Florentiam; et sic habuit optatum; et dicit: *là dove Cristo tutto dì si merca,* idest, in curia romana, ubi tota die venditur Christus et sacra; ergo bene poterit vendi status unius civitatis terrenæ. — *La colpa.* Hic Cacciaguida ostendit quod pars perdens ultra damnum cadet in infamiam, sicut est de more; unde dicit: *La colpa seguirà la parte offensa,* quasi dicat: imputabitur parti Blancorum quæ pelletur, quia dum miseriis aliquod crimen et cætera, *in grido,* idest, fama et clamore vulgi, cuius judicium est cæcum et falsum, ut plurimum, *come suole;* ideo bene dicitur vulgariter: Deus te custodiat, ah bene stat tibi. Et subdit: *ma la vendetta,* quæ postea sequetur, *fia testimonio*

(1) E. autori causam huius expulsionis. Ad.

(2) E. Nerius de Circulis.

(3) E. prædicto domino Cursio.

al ver che la dispensa, idest, justitiæ divinæ, quæ vera est, et quæ dispensat ipsam vindictam. Et dicunt aliqui quod autor credidit per divinam vindictam redire in patriam, quod tamen non fuit. Sed certe non oportet hic facere autorem mendacem, quia nihil dicit hic de reditu, sed de vindicta; et respicit ad mortem acerbam domini Cursii de Donatis prædicti, de qua dictum est in hoc Purgatorio. — *Tu lascerai.* Hic Cacciaguida percurrit breviter incommoda et mala quæ (1) nascuntur ex exilio; et primo tangit id quod prius et gravius est, dicens: *Tu lascerai ogni cosa diletta più caramente,* sicut filios, uxorem, patriam, parentes, amicos; immo autor dimisit in patria cum recessit istud nobile opus inchoatum, quod super omnia diligebat, et tamen recuperavit, sicut scriptum est Inferni cantica. Unde dicit: *e questo è quello strale,* idest, sagitta doloris, *che l' arco dell' esilio pria saetta,* idest, primo emittit. Et nota quod autor proprie appellat exilium arcum, quia sicut arcus emittit tela vulnerantia et interficientia hominem longinquum; ita exilium emittit diversa incommoda et infortunia nunc lædentia, nunc interficientia hominem pulsum longe a patria. — *Tu proverai.* Hic Cacciaguida tangit alia incommoda, quæ deinde sequuntur ad exilium, dicens: *Tu proverai,* idest, gustabis et experieris, *sì come sa di sale lo pane altrui,* idest, quam sapidus est panis alienus; est enim valde amarus et panis doloris: nam veh illis qui ad alienum appetitum comedunt. Et ecce aliud incommodum: *e com' è duro calle lo scendere e 'l salire,* idest, quam durus est ascensus et descensus, *per l' altrui scale;* quoniam veh illis qui ad alienum gressum ambulant. — *E quel.* Hic Cacciaguida tangit unum singulare onus, quod magis aggravat (2) animum sapientis,

(1) E. quæ sequuntur ex exilio, sive nascuntur ex eo; et primo.
(2) S. gravat.

scilicet quando cadit in aliquod infortunium cum prava societate, quia statim creditur conscius culpæ, immo, quod est gravius, sæpe tota culpa retorquetur in ipsum; quia statim dicitur: ubi erat consilium magni poetæ? nec considerant ignorantes quam difficile est regere multitudinem imperitam et indisciplinabilem. Dicit ergo: *E quel che più ti graverà le spalle,* et faciet te magis impatientem fortunæ, *sarà la compagnia malvagia e scempia,* loquitur de Circulis, *con la qual tu cadrai in questa valle,* scilicet exilii et miseriæ. Ad quod sciendum, quod dominus Verius (¹) de Circlis, de quo dictum est, fuit ita protervus, rusticus et simpex, quod instante papa Bonifacio, quod ipse faceret pacem cum domino Cursio, respondit arroganter: Sancte Pater, ad quid detinetis me hic? rogo vos, permittite me redire in patriam meam. Cui Bonifacius indignatus respondit: Et quis te detinet? unde ipse recessit. Sed dominus Cursius sagacior remansit supplex et venerabundus: ex quo datus est ordo destructioni Circlorum, sicut jam dictum est. Unde dicit: *che tutta ingrata,* quia non recognoscebat beneficium tuum in consulendo et vigilando pro bono statu reipublicæ Florentiæ, *tutta matta ed empia,* stulte deserendo consilium tuum et impie reddendo supplicium pro beneficio. Aliqui dicunt quod multi interficientur ex eis, sed non invenitur verum. Et subdit quod cito sequetur vindicta de hoc; unde dicit: *ma poco appresso,* quia scilicet tertio anno a præsenti, *ella n' avrà rossa la tempia,* quia destruetur, et luet pœnas dignas, *non tu,* quasi dicat: licet tu pellaris, sicut jam dictum est, tamen melius et honorabilius pertransibis. — *Di sua.* Hic Cacciaguida damnat fatuitatem Circlorum, et justificat electionem autoris, dicens: *Il suo processo farà la pruova di sua*

(¹) E. Nerius de Circulis.

bestialità, quasi dicat: rei probabit eventus, quia bestialiter se gesserint spernentes sana consilia sapientum. Et dicit: *sì ch' a te fia bello averti fatta parte,* scilicet, recedendo ab eis, et faciendo tua facta sine illis, *per te stesso.* Unde nota, quod pulcerrima pars sapientis est nullius esse partis, sicut scriptum est in Inferno.

Lo primo tuo rifugio. Ista est tertia pars generalis, in qua dictus Cacciaguida prænarrato exilio autoris nunc ad consolationem eius prænarrat refugium eius in exilio; et dicit, quod primum refugium eius erit quidam magnificus baro lombardus. Ad cuius evidentiam est prænotandum, quod iste, de quo autor loquitur, fuit quidam dominus Bartholomæus de la Scala, qui vocatus est capitaneus Bartholomæus quia obtinuit capitaneatum Veronæ ab imperatore. Ad quem autor primo habuit recursum et recepit provisionem ab eo. Post enim mortem Eccelini de Romano Mastinus et Albertus familiares dicti Eccelini invaserunt dominium Veronæ etc. Nunc ad literam: Cacciaguida describit capitaneum Bartholomæum a liberalitate et ab armatura sua, dicens: *La cortesia,* idest liberalitas et munificentia, *del gran Lombardo,* scilicet, Bartholomæi prædicti, qui fuit magnificus dominus in Lombardia; et de rei veritate iste inter tyrannos fuit reputatus satis probus et prudens. Et dicit: *che 'n sulla scala porta il santo uccello,* quia habet scalam pro insignio, et desuper portat aquilam imperialem, quæ vocatur avis Dei, ut expositum est VI capitulo huius libri, et in Purgatorio. Et subdit veram liberalitatem præfati domini, quia præveniet eius indigentiam, nec expectabit petitionem vel precationem autoris. Unde dicit: *che,* idest, qui magnus Lombardus, *avrà sì benigno riguardo in te,* qui scilicet te respiciet oculo clementiæ et benignitatis, quod de duobus faciet primo illud quod fit posterius ab aliis; unde dicit: *che del fare,* scilicet,

donum vel servitium, *e del chiedere,* idest, petere, *tra voi due fia primo quello ch' è più tardo tra gli altri,* quia scilicet, primo dabit tibi, quam tu petas sibi; cuius oppositum communiter faciunt alii domini; immo volunt et faciunt se sæpe rogari, contra illud Salomonis: *Ne dicas amico tuo: vade* etc. — *Con lui.* Hic Cacciaguida prænuntiata liberalitate capitanei Bartholomæi, nunc prænuntiat probitatem et liberalitatem domini Canis Grandis eius filii vel nepotis, quem primo describit a strenuitate armorum, ostendens, quod fuerit vere filius Martis, audax, promptus in prœlio et victoriosus valde. Unde dicit: *Con lui,* scilicet, cum prædicto Bartholomæo, *vedrai colui,* scilicet, Canem Grandem: *che fue impresso nascendo,* scilicet, in nativitate sua, idest jam efficaciter, *sì da questa stella forte,* scilicet, Martis planeta, qui facit viros fortes et feroces in bello, *che l' opre sue fien notabili,* scilicet, in bellis, sicut jam patuit ex his, quæ scripta sunt de eo supra in hac Cantica. — *Non se ne sono.* Ad (¹) exaltationem dicti Canis dicit, quod virtus eius nondum est nota propter juvenilem eius ætatem; sed in brevi fiet celebris ubique. Unde dicit: *Le genti non se ne sono ancora accorte,* scilicet, de operibus bellicis eius, sive armorum gestis; tamen eius mira indoles prætendebat futuram virtutem in eo. Et assignat causam ex parte ætatis, non naturæ, dicens: *chè queste ruote,* scilicet, martiales, *son torte intorno di lui pur nove anni,* et intellige de annis martialibus, ita quod novem faciunt decem et octo; tamen aliquanto minus; nam Mars in duobus annis percurrit Zodiacum minus. Et sic vult dicere, quod erat adolescentulus. — *Ma pria.* Hic Cacciaguida ostendit. quod in brevi enitescet virtus dicti Canis, quæ nunc occultatur. Unde dicit: *Ma faville della sua virtute parran,*

(¹) E. Hic ad exaltationem domini Canis.

idest, initia magnorum factorum publice apparebunt, *in non curar d' argento, nè d' affanni.* Et vere autor in duobus verbis breviter colligit duo, quæ reddiderunt hominem istum gloriosum, scilicet, magnificentia in sumptibus, et audacia in bello; quæ duo fecerunt famosos multos dominos vitiosos, quorum aliquos ego novi: vide ergo quam commendabilis est virtus liberalitatis, quæ aliquando tegit multitudinem vitiorum in homine. Est ergo sciendum, quod ista virtus præluxit in isto puero. Nam dum pater eius duxisset eum semel ad videndum magnum thesaurum, iste illico levatis pannis misit super eum; ex quo omnes spectantes iudicaverunt de eius futura munificentia per istum contemptum pecuniarum etc. Et hoc dico erit: *pria che 'l Guasco,* scilicet, papa Clemens de Vasconia, *inganni l' alto Arrigo,* idest, magnanimum Henricum imperatorem de Lucimburgo. De ista deceptione dicetur infra capitulo XXX. Et subdit manifestationem magnæ liberalitatis huius Canis, dicens: *le sue magnificenze,* magnificentia enim est proprie in magnis sumptibus, *saranno ancora conosciute,* quod probat, dicens: *sì, che i suoi nemici non ne potran tener le lingue mute.* Hæc est enim proprietas virtutis, quæ reddit amabilem etiam odiosum, et laudabilem non visum. — *A lui.* Hic Cacciaguida promittit spem autori in dicto Cane Grandi, dicens: *A lui t' aspetta et a' suoi benefici;* nam de rei veritate iste Canis multum honoravit autorem, dando sibi provisionem suam, et in multis complacendo sibi; ideo autor non immemor beneficiorum, bene reddit sibi mercedem suam et ultra debitum, sicut vides. Et subdit: *per lui fia trasmutata molta gente,* quia alios exaltavit ([1]), alios humiliavit; ideo dicit: *cambiando condizion ricchi e mendici;* quia aliqui divites pauperabun-

---

([1]) E. exaltabit, alios humiliabit.

tur, aliqui pauperes ditabuntur. — *E portera'ne.* Hic Cacciaguida addit ultimo quædam tamquam secreta de eo, dicens: *E portera'ne scritto nella mente di lui, ma nol dirai;* sed exspecta eventum. Et dicit autor: *e disse cose,* scilicet, Cacciaguida, *incredibili a quei, che fia presente.* Nam prædictus Canis totam Marchiam trivisanam bellica virtute subegit. Ideo bene Raynaldus poetista veronensis bino versiculo epitaphiali eius triumphos breviter complexus est, dicens: *Si Canis hic Grandis ingentia facta peregit Marchia testis adest, quam sævo Marte subegit* etc. — *Poi giunse.* Hic autor ostendit quod Cacciaguida concludens dixit expositionem esse factam petitorum. Unde dicit: Et ille Cacciaguida, *giunse poi,* scilicet narrationi factæ fecit finem sub hac forma: *O figlio, queste son le chiose,* idest, expositiones et declarationes, *di quel che ti fu detto,* a multis in (1) inferno et purgatorio; quasi dicat: illud quod fuit tibi prænuntiatum in generali et in obscuro, nunc est particulariter declaratum; unde autor hic adimplet illud quod promisit se facturum in inferno, ubi dixit: *e serbolo a chiosare* etc. Et dicit: *ecco l'insidie,* idest, occultæ machinationes fortunæ et vicinorum tuorum nunc sunt patefactæ tibi; unde dicit, *che son nascose,* idest, occultæ, *dietro a pochi giri,* idest, post paucos annos, scilicet tres. — *Non vo'.* Hic Cacciaguida dat utile documentum servandum autori circa prædicta (2); *Non vo' però ch' a' tuoi vicini invidie,* idest, non tamen volo quod habeas invidiam vel odium contra partem Nigrorum, quæ videtur debere florere; et invidia est dolor alienæ felicitatis, et fortuna istorum videtur futura prospera et melior tua, quia vigebunt in patria. Et reddit causam quare non debeat invidere illis, dicens: *poscia che la tua vita s' infutura,* idest propagatur per famam

(1) E. scilicet in. (2) E. prædicta, dicens: *Non.*

duraturam in futurum; quasi dicat, quia fortuna servat tibi maiorem honorem et feliciorem statum; *via più là che 'l punir di lor perfidie,* quasi dicat: pœna cito sequetur ad fraudes eorum, et tua vita extendetur diu laudabiliter in magna gloria etc.

Poi che tacendo. Ista est quarta pars et ultima generalis [1], in qua autor informat et certificat se a dicto spiritu circa complementum et publicationem huius operis. Et primo ostendit suam dispositionem circa consilium petendum, dicens: *Io cominciai,* supple, dicere, *come colui che brama,* idest, affectat habere, *consiglio, dubitando, da persona che vede e vuole e ama drittamente;* homo enim audacter, fiducialiter et cum bona spe petit consilium ab eo, qui cognoscit eius indigentiam et libenter vult servire sibi, et amat cum amore sincero non fictitio [2]; et talis erat autor in proposito, ut patet ex jam dictis. Et hoc feci, *poi che l'anima santa,* scilicet, Cacciaguidæ, *si mostrò spedita di mettere la trama in quella tela, ch' io le porsi ordita,* idest, ostendit se texuisse et ordinasse thema quod ego proposueram sibi. Et est metaphora propria: est enim trama illud filum quod deducitur in telam per ordituram; immo autor noster dederat unum thema orditum, idest inchoatum tantum; et ille Cacciaguida texuit illud iterum interserendo multa verba, exponendo et declarando; et dicit: *tacendo,* quia ex taciturnitate eius perpendi quod fecerat finem suo sermoni. — *Ben veggio.* Hic autor petit suum consilium, scilicet quomodo possit providere adversitati fortunæ quæ paratur contra eum. Et primo confirmans [3] dictum Cacciaguidæ, ostendit quomodo est sibi opus remedio in tam arcto casu fortunæ, dicens: *O padre mio, ben veggio sì come lo tempo sprona verso me,* idest, properat, quia

(1) E. generalis huius capituli, in qua. (2) S. ficto. (3) S. considerans.

in brevi erit de facto, *per darmi colpo,* idest, ictum et impetum fortunæ, et non levem; unde dicit, *tal ch' è più grave,* scilicet, quanto velocius venit, quia non potest ita faciliter provideri, sicut si adhuc præstolaretur; et dicit, *a chi più s' abbandona,* supple, et bene video quod tale tempus impetuosum ruit in me; et est metaphora pulcra et propria sumpta a feriente, qui quando totus incumbit (1) in vulnus totis viribus et toto corpore, magis lædit et durius prosternit inimicum; ita a simili vult dicere autor, fortuna laxatis habenis, toto conatu incurrit in me, et intentat omnia sua arma, idest, nocumenta contra me; et tanto fortius, quanto videt me fortiorem et constantiorem, et qui non caderem de facili ad levem ictum eius. Unde subdit: *perch' è buon ch' io m' armi di providenza,* quasi dicat: propter quod utile est quod ego præmuniam me provisione contra hoc. Et ostendit de quo sit sibi maxime timendum, et arguit sic: si ego pulsus a civibus meis de patria propria faciam mihi extraneos infestos, scribendo de eis, certe non inveniam locum in terris; unde dicit: *sì che se luogo più caro m' è tolto,* scilicet, patria mea, *io non perdessi gli altri,* idest, aliena loca, *per miei carmi,* idest, propter meos versus maledicos et infamatorios; quasi dicat autor: si perdidi iniuste patriam meam, nollem juste perdere alienas dando causam indignationis et iræ multis potentibus male scribendo de eis. — *Giù per lo mondo.* Hic autor exponit suum casum et partitum perplexum, et arguit a sufficienti divisione, sive facit dilemma; et breviter vult dicere: si ego refero et describo multa, quæ audivi discurrendo (2) per infernum, purgatorium et paradisum, timeo reddere me odiosum multis; et si reticeo vel prætereo, timeo perdere famam apud posteros,

---

(1) S. incubuit. (2) E. discurrens.

et sic præmium laborum meorum. Et sic nescio quam partem eligam, quia utram ceperim, videor perdidisse; sicut dicebat bona muliercula filio suo: fili mi, ne vadas ad consilium, quia si dixeris justa, homines te oderint, si vero iniusta, dii. Ad literam ergo ordina et construe sic: *Io ho appreso quel che, s' io ridico*, idest, ego didici illud, quod si refero et propalo in scriptura, *fia sapor di forte acume*, idest, videtur acerbum, *a molti*, et præcipue magnatibus et principibus, quia scilicet pontificibus, imperatoribus, regibus, tyrannis et aliis magnis nobilibus. Et hoc dico apprehendi, *giù per lo mondo senza fine amaro*, idest, per infernum, ubi est amaritudo pœnarum et dolorum sine fine, per quem semper itur deorsum, *e per lo monte*, scilicet, purgatorii, *del cui bel cacume*, quod est paradisus deliciarum totus pulcer et amœnus, *gli occhi della mia donna mi levaro*, quia speculatio et contemplatio [1] a theologia traxerunt intellectum autoris ad cœlum; *e poscia per lo ciel di lume in lume*, idest, de spera in speram. Et subdit alteram partem divisionis, dicens: *e s' io son timido amico al vero*, idest, veritati manifestandæ, *temo di perdere vita tra coloro che questo tempo chiameranno antico*, idest, apud posteros: quasi dicat, timeo perdere famam, quæ est unum vivere gloriosum inter venturos. Quid ergo agam? — *La luce.* Hic autor ponit responsionem Cacciaguidæ ad quæsita, qui dat suum consilium sanum et acceptabile viro sapienti et virtuoso, qui non debet prætermittere veritatem propter suspicionem vel comminationem aliorum. Et primo apparat dictum spiritum ad loquendum, dicens: *La luce in che rideva il mio tesoro*, idest, in qua lætabitur [2] ille pretiosus spiritus antiquus meus, quem ideo autor appellat thesaurum metaphorice; nam

[1] E. c 4, contemplatio theologiæ. [2] E. lætabatur.

thesaurus proprie est vetus [1] æris depositio, cuius non extat memoria; et ita autor reinvenit nunc istum thesaurum suum, qui ratione antiquitatis non erat in memoria hominum. Et sic thesaurum absconditum manifestavit ut prodesset multis, quia sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Unde dicit: *ch' io trovai lì,* scilicet, in Marte, *si fe' prima corrusca,* idest, rutila et splendida, antequam loqueretur: quod declarat per simile pulcrum, dicens: *qual specchio d' oro,* supple fit rutilum, *a raggio di sole,* quasi dicat: quod ille spiritus factus lucentior et splendidior quam prius erat daturus consilium autori super famam suam illuminandam. — *Indi rispose.* Hic autor exprimit consilium Cacciaguidæ, qui accepit secundam partem pro se; et breviter vult dicere: age, fili mi, vade et dic secure malum de omnibus qui merentur, quia licet a principio displiceat tuum dicere aliquibus, tamen in fine placebit. Dicit ergo autor: et ille Cacciaguida, *rispose indi,* pro deinde, *coscienza fusca,* idest, obfuscata vel læsa, *o della vergogna propria,* scilicet, quæ oriatur a propria culpa, *o dell' altrui,* scilicet, quæ oriatur ex aliena culpa, quæ tamen tangat illum, aliquo [2] gradu, vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel amicitiæ, vel societatis, vel civitatis, vel partialitatis et similium, *pur sentirà la tua parola brusca,* quia scilicet, acerbum et molestum videbitur tali audire tuam acerbam reprehensionem; sed hoc non obstante effunde quicquid vidisti sine dissimulatione vel admixtione alicuius falsitatis. Unde dicit: *ma nondimen,* idest, nihilominus, *fa manifesta tutta tua vision,* idest, quicquid tu vidisti in isto raptu mentis, sive abstractione, quam autor habuit hora matutini, sicut dictum est primo capitulo Inferni, et in aliis multis locis per totum librum, *ri-*

(1) E. veteris æris. (2) 4, ex aliquo.

mossa ogni menzogna, idest, mendacio falsitatis; et dicit: *e lascia pur grattar dov' è la rogna,* quasi dicat: ille quem tangit doleat vel erubescat de infamia, quæ est scabies contagiosa, quia non lucrabitur aliud quam ille qui scalpit scabiem; qui quanto magis scalpit, tanto magis intenditur (1) incendium; ideo melius esset dimittere scabiem intactam. Et reddit rationem sui dicti, dicens: *chè, se la voce tua sarà molesta nel primo gusto,* scilicet, prima facie, tamen in fine faciet bonum fructum; unde dicit: *lascerà poi vital nutrimento,* idest, nutrimentum vitæ moralis, quia scilicet faciet homines recedere a vitiis, *quando sarà digesta,* idest, quando fuerit bene discussa, examinata et ruminata. Et vere autor fuit quodammodo propheta sibi; quia vidi de facto multos magnos dominos, de quorum antecessoribus autor (2) dixit magnum malum in libro isto, qui tamen summe diligunt librum istum et delectantur in eo; et licet aliquando verecundentur ex his quæ autor dicit, tamen tandem assentiunt et dicunt: verum dicit. — *Questo.* Hic Cacciaguida ultimo tradit modum servandum in opere isto; et breviter suadet quod carpat (3) solum viros maiores per similitudinem propriam et manifestam: unde dicit: *Questo tuo grido,* idest, exclamatio et increpatio vitiorum, *farà come vento che le più alte cime più percuote;* et est similitudo propria: sicut enim ventus flat indifferenter in quæcumque obvia sibi, sed magis quatit et movet altiora cacumina; ita a simili autor indifferenter carpit (4) omnia vitia, sed maxime magnatum et potentum. Et subdit, dicens: *e ciò non fa poco argomento d' onor,* quasi dicat: immo facit magnum argumentum et evidens testimonium honoris, quia magis et melius persuadet. Unde dicit: *però pur l' anime che son note di fama,* sicut animæ ma-

(1) E. incenditur; ideo.
(2) E. autor iste dixit.
(3) E. capiat.
(4) E. corripit.

gnorum principum, baronum et dominorum, *li son mostrate in queste ruote*, idest, speris planetarum, *nel monte*, scilicet, purgatorii, *e nella valle dolorosa*, scilicet, inferni. — *Chè l'animo*. Hic Cacciaguida reddit rationem sui dicti dicens: *Chè l' animo di quel ch' ode non posa*, quia non persuadetur, *nè ferma fede per esemplo*, scilicet, humilium et vilium personarum, *c' aia*, idest, quod habeat, *la sua radice incognita e nascosa*, idest, obscuritatem famæ et vilis conditionis. Et concludit narrationem, et claudit capitulum, dicens: *nè per altro argomento*, idest, per aliam rationem, *che non paia*, idest, non appareat evidenter, quia argumentum dubium non persuaderet.

CANTUS DECIMUS OCTAVUS, *in quo dominus Cacciaguida ponit illustres viros in quadam figura, et ponitur ascensus in speram Jovis.*

Già si godeva solo del suo verbo. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit Cacciaguidam antiquum suum ad prænarrandum sibi suum futurum exilium et refugium; nunc consequenter (1) in isto XVIII capitulo introducit eumdem ad ostendendum sibi viros illustres, bellicosos, apparentes in ipsa cruce Martis, et ingreditur speram Jovis. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor ponit suam dispositionem circa audita, et correctionem Beatricis. In secunda idem spiritus prædictus manifestat sibi aliquot famosos de spera Martis, ibi: *Come si vede.* In tertia describit suum ascensum ad speram Jovis, et signum aquilæ quod apparet in illo, ibi: *Io mi rivolsi.* In quarta et ultima reprehendit pastores, qui impediunt rectum regimen sæculare illius aquilæ, ibi: *O dolce stella.* Ad primum ergo dico, quod autor describit suam dispositionem circa ea quæ audiverat et eius correctionem. Et continuans dicta dicendis, dicit: *Quello spirto beato*, idest, ille Cacciaguida quem vocavit in præcedenti capitulo speculum aureum, idest, splendidum et relucens radiis solis æterni, *già si godeva solo,* scilicet, in se, *del suo verbo;* gaudebat siquidem, quia hortatus fuerat autorem ad utilitatem multorum in tollerantia (2) adversorum; sed autor ipse partim gaudebat, partim dolebat;

(1) E. consequenter idem autor noster in isto.
(2) S. e E. et tollerantia.

unde dicit: *et io gustava lo mio,* scilicet, verbum, quod tangebat me, *temprando l' acerbo col dolce,* idest, compensans dulcedinem gloriæ et honoris, vel dulcedinem vindictæ cum acerbitate exilii et incommodorum quæ sequuntur ad illud. — *E quella.* Hic autor ponit reprehensionem correctoriam (1) Beatricis circa fallum suum dicens: *E quella donna,* scilicet, Beatrix, *ch' a Dio mi menava,* quia sacra theologia est quæ recte tendit ad Deum. et ducit hominem ad Deum, *disse: muta pensier;* per hoc præsupponit quod autor cogitabat de vindicta contra cives suos. Et assignat causam, dicens: *pensa ch' io sono presso a colui ch' ogni torto disgrava,* quasi dicat: sum penes Jovem (2) qui est gubernator justitiæ, ut statim dicetur, et (3) tamen intelligere debes de omnipotenti Deo, qui dicit: mihi vindictam, et ego retribuam. — *Io mi.* Hic autor ponit effectum verborum Beatricis, et excusat a descriptione exaltatæ pulcritudinis, dicens: *Io mi rivolsi all' amoroso suono,* scilicet, verborum Beatricis, quæ tota ardebat sacro amore divinorum calcatis terrenis; et dicit, *del mio conforto,* quia bene hortatur hominem et consolatur contra adversa, quæ nunc expectabat contra se. Et subdit excellentiam pulcritudinis, dicens: *e quale amor io vidi allora negli occhi santi,* in quibus maxime relucent pulcritudo et amor istius formosissimæ dominæ, *qui l' abbandono,* quia scilicet non describo nunc. Et assignat causam quare dimittit descriptionem huius amoris hic; et dicit, quod hoc facit tam ex defectu eloquentiæ, quam ex defectu memoriæ. Unde dicit: *non perchè io diffidi pur del mio parlare,* quasi dicat: non ideo dimitto descriptionem hanc solum quia non confidam in eloquentia mea, sed etiam quia defido (4) debili me-

(1) E. correctivam.

(2) E. penes Deum qui.

(3) E. et licet in litera dicatur hic de Jove, intelligere debes.

(4) E. diffido.

moria mea; unde dicit: *ma per la mente che non può reddire tanto sovra sè,* quia memoria non potest referre quæ intellectus videt supra vires suas, cum sit alligata organo corporali, ut patuit circa principium huius Paradisi, quasi dicat: loquela non sufficit, et memoria est defectiva; et dicit: *s' altri non la guidi,* sicut divina gratia. — *Tanto.* Hic autor describit effectum illius inspectionis; et breviter dicit: quamvis non possum [1] describere amorem ineffabilem huius dominæ, tamen bene possum referre unum, quod eius inspectio removit me ab omni inordinata affectione. Unde dicit: *Tanto poss' io di quel punto ridire,* cum veritate, *che, rimirando lei,* idest, eius tam amorosum visum, *lo mio affetto,* idest, affectio mea, quæ prius erat capta ab appetitu vindictæ, *libero fu da ogni altro disire,* idest ab omni alio desiderio ultionis. Et nota quod autor merito hoc fingit, quia sacra scriptura removet animum speculantis in ea ab omni appetitu vindictæ, probans quod nihil remanet inultum apud Deum. Et vere si quis non esset impatiens moræ, Deus facit justissime vindictam de omnibus, licet oculus humanus aliquando non possit penetrare ad fundum divinæ justitiæ. Et subdit quod fuit ita liber ab omni alio desiderio, donec vidit radium æternum, qui radiabat in oculis eius, descendere ad se per medium visus illius Beatricis. Unde dicit: *fin che 'l piacer eterno,* scilicet, Deus, *che raggiava diretto,* idest, relucebat sicut in speculo, *in Beatrice dal bel viso,* idest, in Beatrice quæ habet pulcrum visum, quia in oculis eius maxime consistit pulcritudo eius, ut tantum nunc dictum est. Et est communis modus loquendi, sicut tota die dicimus: *Sotto alle treccie bionde; e la tal dagli occhi vaghi;* ita a simili dicit autor: *in Beatrice dal bel viso,* quia mediante

---

[1] E. possim.

visu Beatricis radius æternæ lucis venit ad hominem, *mi contentava col secondo aspetto.* Et hic nota quod homo non potest videre immediate divinam lucem, sed mediante Beatrice, sicut gratia exempli homo non potest videre lumen solis in ipso sole, sed videt ipsum per refractionem radiorum, et reverberationem in superficie terræ vel muri; ita a simili intellectus humanus non potest comprehendere lumen divinum in ipso Deo, sed in sacra scriptura, ubi relucet et repræsentatur; ideo ad intelligendam bene præsentem literam, quæ fortis est, debes ad mentem reducere illud quod scriptum est primo capitulo Paradisi, ubi autor fingit quod Beatrix respiciebat solem, et ipse in oculis eius. Ergo nunc potes clare intelligere quid intelligat autor cum dicit, *col secondo aspetto.* — *Vincendo.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix converterit eum ad se, ad illum spiritum antiquum Cacciaguidæ, ut iterum loqueretur secum. Unde dicit: *Ella,* scilicet, Beatrix, *vincendo me col lume d' un sorriso,* quia scilicet, visus meus sustinere non poterat (¹) excellentiam luminis lætitiæ eius, *mi disse: volgiti,* scilicet, ad primum patrem tuum, *et ascolta,* quia scilicet, vult adhuc loqui tecum, et dicit: *chè paradiso non è pur nei miei occhi;* quasi dicat: felicitas non tantum consistit in exemplis virorum illustrium, qui sæculariter vixerunt in mundo, et tamen fecerunt opera præclara accendentia animum viri christiani ad amorem fidei, pro qua isti certaverunt usque ad mortem cum sanguinis effusione.

Come si vede. Ista est secunda pars generalis (²), in qua autor introducit spiritum Cacciaguidæ qui manifestat sibi singulariter quosdam viros illustres de spera Martis. Et primo describit dispositionem illius ad loquendum per unam comparationem pulcram et propriam; et

---

(¹) E. potuit.

(²) E. generalis huius capituli, in qua.

breviter vult dicere, quod ipse cognovit per evidens signum exterius immensam affectionem interiorem (1) illius spiritus, sicut sæpe videmus in homine, quando aliqua passio occupat hominem totum. Ordina sic literam: *Io conobbi la voglia in lui,* idest, voluntatem interiorem Cacciaguidæ, *di ragionarmi ancor alquanto,* quia enim multa dixerat Cacciaguida de prosapia sua, de statu patriæ et (2) cursu fortunæ autoris; ideo volebat adhuc propalare utiliter et delectabiliter certos spiritus martistas, *nel fiammeggiar del folgor santo,* idest, in scintillare splendoris illius beati spiritus, *a cui mi volsi,* scilicet, de mandato Beatricis. Et declarat hoc per simile dicens: *così come l' affetto,* idest, aliqua passio animi interior, *si vede qui,* scilicet, in aliquo homine vivente in isto mundo mortali; et dicit: *se ello,* scilicet, affectus, *è tanto,* idest, tam intensus et vehemens, *che tutta l' anima sia tolta da lui,* idest, occupata et capta ab ipso tali affectu, ita quod trahat omnes vires animæ ad se, ita quod nihil aliud operetur; sicut verbi gratia, homo aliquando propter nimium gaudium efficitur totus tremens, et ita propter nimium timorem efficitur totus pallidus, et propter nimiam iram vel verecundiam efficitur totus rubeus et ardens. Et hic nota quod autor vult dicere a simili propter tremulam radiationem illius spiritus, perpendit magnum gaudium illius, qui volebat sibi dicere aliqua gesta nobilium paritura gaudium et ipsi dicenti, et autori audienti; tum quia sunt in se pulcra et magnifica delectantia lectorem suum, tum quia ipse Cacciaguida erat nobilis, et fuerat strenuus bellator et armiger, qui pugnans pro fide Christi (3) feliciter ceciderat, et autor nobilis; et tales spiritus strenui armorum ut plurimum sunt nobiles. — *E cominciò.* Hic autor ponit

(1) S. interius. (2) E. et de cursu.
(3) E. Jesu Christi benedicti feliciter ceciderat, et autor etiam nobilis.

narrationem ipsius Cacciaguidæ, qui primo prætangit in generali altam materiam sequentem, commendans spiritus describendos. Unde dicit: *E cominciò,* supple, ille spiritus Cacciaguidæ cœpit dicere in hac forma: *spiriti beati son,* idest, martiales, *in questa quinta soglia,* idest, spera Martis, quæ est quintus gradus regionis æthereæ; unde dicit: *dell' albero,* scilicet, cœli, quod autor metaphorice vocat arborem, quia tamquam arbor altissima habet multos et maximos ramos, scilicet, novem speras, quibus obumbrat et claudit totam terram; quam arborem cœli autor explicat per contrarium arborum terrenarum, dicens: *che,* idest, quæ arbor, *vive della cima,* idest, recipit vitam desuper a Deo ex paradiso, ubi nostræ arbores trahunt alimentum a radicibus, veluti ore in terram demerso, *e frutta sempre,* idest, non solum ad certum tempus, sicut arbores nostræ, quia cœlum nunquam stat otiosum, immo continuo parit mirabiles fructus, quia innumerabiles effectus et omnes ad bonum finem, *e mai non perde foglia,* sicut nostræ arbores, quæ communiter perdunt folia in autumno, postea renovant ea in vere; et per hoc innuit quod cœlum nullam recipit alterationem, quia est ingenitum et incorruptibile. Et subdit excellentem gloriam istorum spirituum, dicens: *che,* idest, qui spiritus, *fur di gran voce,* idest, magnæ famæ et nominis in mundo vestro, *prima che venissero al ciel,* petituri gloriose triumphum de eorum victoriis partis in multo sanguine et sudore; et dicit ad confirmandam laudem egregiam istorum, *sì ch' ogni musa ne sarebbe opima,* idest, fertilis et copiosa, quasi dicat: omnis poeta posset sibi assumere thema poetice describendum ex gestis singulorum, nedum omnium. Et verum dicit, quia posset fieri magnum poema de gestis Caroli Magni et ita de aliis [1]. —

---

[1] E. aliis similibus. — *Però.*

Però mira. Hic Cacciaguida reddit autorem attentum ad considerandum istos singulariter dando sibi signum indicans unumquemque, dicens: et quia isti sunt tales, *però mira*, idest, cum admiratione inspice, *nei corni della croce,* istos enim collocat in superiori parte crucis tamquam excellentiores, quia *quel ch' io or nomerò farà lì,* scilicet, in illo cornu, *l' atto, che fa il suo fuoco veloce in nube,* quasi dicat: quicumque spiritus fuerit nominatus a me emittet jaculum rubeum splendoris ardentis sicut facit fulgur in nube, ex qua excutitur. Et recte isti emittunt jaculum igneum, quia fuerunt viri fortes animosi, quorum virtus est ardens. Habent enim choleram acutam; ideo bene reponuntur in Marte, qui est calidus et siccus, et coloris rubei sicut ignis; jaculum autem igneum est radius gloriæ istorum. — *Io vidi.* Hic Cacciaguida incipit nominare dictos viros fortes et famosos in strenuitate armorum tam veteres quam novos; et primo nominat unum principem veteris testamenti. Ad cuius cognitionem est præsciendum quod Josue fuit dux populi Dei, mortuo Moyse, ut scribitur libro Josue, qui conquisivit Terram Sanctam; de quo dictum est supra in alio capitulo. Hic ergo fuit fortissimus etc. et mortuus est etc. Ad literam ergo dicit autor: *Io vidi un lume tratto per la croce,* scilicet, per lineam radialem, *dal nomar Josuè com' ei si feo,* idest, statim cum factum fuit illud lumen; unde dicit: *nè mi fu noto prima il dir che il fatto,* quasi dicat: in instanti vidit lumen fieri, et spiritum audivit nominari, ita quod dum nominaretur factum est, et dum fieret factum est vel nominatum est; ita quod unum non fuit prius altero, sed simul et semel audivit (¹) nomen et vidit lumen. Et nota quod bene fingit autor quod statim cum nominatur aliquis istorum

---

(¹) E. audivi nomen, et vidi lumen.

proborum emittit ex se lumen claritatis et gloriæ, quia præmium inseparabiliter comitatur virtutem, et statim cum virtus est nota est clara et gloriosa; ideo bene per nominationem istorum intellige notificationem eorum. — *Et al nome.* Hic autor nominat alium virum fortem veteris testamenti, scilicet Judam Machabæum. Ad cuius intelligentiam est præsciendum, quod Juda iste fuit fortissimus, qui pugnavit, ut legitur libro Machabæorum, pro defensionem templi etc., qui die qua cecidit in prœlio mille milites interfecit, si scriptura non mentitur, quod bene credi potest de amico Dei, quando hoc narratur et creditur de pagano, sicut de Hectore. Ad literam ergo, dicit autor: *E vidi un altro,* scilicet, lumen, *muoversi roteando,* idest, circulando, *al nome dell'alto Maccabeo,* qui fuit tam altus et magnanimus, ut dictum est. Et declarat causam moventem ipsum circulariter et velociter per unam comparationem domesticam et (1) propriam ad propositum suum. Ad cuius comparationis intelligentiam oportet præscire, quod paleum est instrumentum quoddam ligneum, quo pueri ludunt Florentiæ; et est quasi dimidius trochus, sive semitrochus; est enim in superiori parte amplus et planus, in inferiori rotundus, tendens in acutum. Modo pueri habent unam cordulam vel cingulum alligatum uni virgæ (2), et tenentes virgam in manu, percutiunt paleum cum cordula vel cingulo, cum jam cœperit moveri in gyrum; et ex tali percussione continuant diu talem motum circularem (3), sive circulationem. Modo ad propositum vult dicere autor, quod sicut virga est quæ causat motum circularem in illo paleo, ita a simili lætitia tamquam virga faciebat motum circularem in illo spiritu. Dicit ergo: *e letizia era ferza,* idest, virga, *del paleo,* idest, illius spiritus

---

(1) E. e S. sed propriam. (2) S. virgulæ. (3) S. circularem in paleo.

qui movebatur circulariter et velociter sicut paleum. — *Così.* Hic autor nominat duos spiritus illustres, scilicet, Carolum Magnum et Orlandum: de Carolo scriptum est VI capitulo Paradisi, quomodo pugnavit pro ecclesia contra Desiderium regem longobardorum. Iste siquidem, sicut scribit Alcuinus qui fuit nutritor eius et archiepiscopus Tricipinus, fuit staturæ etc. et recuperavit Hispaniam de manibus saracenorum etc. Multa tamen vana de isto vulgantur in libris gallicorum, et linguis vulgi. Nunc ad literam, dicit autor: *Lo mio sguardo attento,* idest, oculus intellectualis attente respiciens, *ne seguì duo così,* idest, sicut illos duos primos Josue et Judam, *per Carlo Magno,* et nota quod iste vocatus est magnus etc. *e per Orlando;* iste fuit filius comitis Melonis et sororis Caroli, et fuit unus ex duodecim palatinis quos creavit Carolus in partes Franciæ, qui mortuus est pugnando pro fide in Hispania etc. Et declarat suam sequutionem visualem per quoddam simile manifestum, dicens: *com' occhio segue suo falcon volando;* et est comparatio propria. Sicut enim oculus attente sequitur altum volatum falconis, qui est avis nobilis, peregrina, quando gyratur in aere; ita a simili oculus autoris sequebatur attente utrumque dictorum spirituum nobilium alte volantium, quando movebantur circulariter in cruce. — *Poscia.* Hic autor nominat simul quatuor alios spiritus illustres, scilicet Guilelmum, Renoardum, Gutifredum et Robertum Guiscardum. Guilelmus fuit comes Orengæ sive filius comitis Narbonæ etc. Renoardus fuit dux fortissimus qui pugnavit contra saracenos; fuit cognatus dicti Guilelmi etc. Ad cognitionem Gutifredi est præsciendum, quod iste factus fuit dux Terræ Sanctæ recuperatæ, tamen noluit coronari ob reverentiam coronæ spinarum. Quo mortuo rex Baldovinus frater eius factus est rex Jerusalem, qui dominio ecclesiæ magnam par-

tem Asiæ subiugavit, vel ponam [1] ibi: de Roberto Guiscardo et eius gestis dictum est in Inferno, quomodo vicit Apuliam et Siciliam. Hic siquidem postea fuit amicus et defensor ecclesiæ et succurrit illi etc. Nunc ad literam dicit autor: *Poscia,* scilicet, post Carolum et Orlandum, *la mia vista,* idest, visio intellectualis, *trasse Guiglielmo,* de Orenga, quæ est civitas in Provincia, antonomasice debet intelligi, non longe a Rhodano, cuius fames ore vulgi celebratur ibi: vidi unam arcem vetustissimam totam fuscam velut si fuisset in inferno fabricata, *e Rinoardo,* bene stat juxta Guilelmum, quia fuit affinis eius et contemporaneus, et in eisdem bellis se exercuit etc. *e 'l duca Gottifredo,* qui fuit dux Terræ Sanctæ et cognominatus est Gutifredus del Buglione, *e Roberto Guiscardo,* qui fuit dux Normandiæ etc. — *Indi tra l' altre.* Hic autor describit recessum prædicti Cacciaguidæ; et breviter vult dicere quod Cacciaguida sua narratione completa immiscuit se turbæ illarum animarum nobilium in signo crucis, et cœpit dulcissime cantare et Deum laudare. Unde dicit: *Indi,* idest, nominatis illis viris illustribus, *l' alma che m' avea parlato,* scilicet, Cacciaguida [2] qui longam orationem habuerat secum, *mota,* scilicet, a loco ubi primo fuerat loquuta sibi, *e mista,* idest, coniuncta, *tra l'altre luci,* idest, inter alias animas lucentes, igneas, *mostrommi qual era artista fra i cantor del cielo,* idest, quam bonus cantor erat inter alios cantores cœli. Et in hoc patet expresse error quorumdam, qui ignoranter dixerunt, quod autor hic nominat spiritum David, tum quia David reponetur infra in spera Jovis, tum quia ista litera non recipit [3] talem expositionem.

Io mi rivolsi. Ista est tertia pars generalis [4], in qua autor describit suum ascensum ad speram Jovis, et si-

[1] E. ponam in linea: de Roberto.
[2] E. Cacciaguidæ.
[3] E. recipit etiam talem.
[4] E. generalis huius capituli, in qua.

gnum aquilæ quod apparet in eo. Et primo præmittit superexaltationem [1] Beatricis, ostendens quomodo conversus ad Beatricem ut reciperet informationem ab ea circa agenda, vidit eam pulcriorem quam unquam vidisset eam [2]. Dicit ergo: *Io mi rivolsi dal mio destro lato per veder in Beatrice il mio dovere,* scilicet, quid facere deberem; et dicit: *o per parole o per atto segnato,* quia aliquando Beatrix monebat eum viva voce; aliquando conniventia oculorum, sicut jam sæpe patuit. Et subdit: *e vidi le sue luci,* idest, oculos, quia pulcritudo eius maxime notatur in oculis, *tanto mere,* idest, puras, sine lippitudine vel macula, *tanto gioconde,* quia docet felicitatem, quæ jocunditatem affert animo, *che la sua sembianza vincea gli altri,* supple soleri, *e l' ultimo solere,* ultimum intelligas per respectum ad præterita non ad futura, quia adhuc efficitur pulcrior; quasi dicat, vincebat omnem supremum gradum luciditatis quem hucusque demonstrasset; nam Beatrix, sæpe [3] ostensum est, quanto magis ascendit et appropinquat ad primam causam, magis lucescit, et invenit spiritus excellentiores [4] et capaciores gloriæ. — *E come.* Hic autor describit effectum illius inspectionis quam fecit in Beatrice; et breviter dicit, quod virtute eius crescente cum pulcritudine Beatricis ipse transivit ad maius corpus; et hoc ostendit per nobilem comparationem et propriam. Ordina sic literam: *E sì m' accors' io che 'l mio girar intorno insieme col ciel,* quod continuo volvitur circulariter, *avea cresciuto l' arco,* nam amplior est circulus Jovis quam Martis; et per hoc innuit quod ascendit ad superiorem speram; unde dicit: *veggendo quel miracolo più adorno,* idest, mirabilem planetam Jovis, qui erat ornatior Marte, et aliis inferioribus planetis,

---

(1) E. exaltationem.
(2) E. esse.
(3) E. ut sæpe.
(4) S. intelligentiores.

quia habebat in se gemmas pretiosiores, scilicet, reges justos, ut statim patebit; vel dic et melius, quod perpendit se ascendisse ad maiorem circulum, quia vidit illud miraculum, idest, Beatricem lucidiorem; nam manifestum indicium ascensionis Beatricis ad altiorem speram erat quando fiebat lucidior; et ista est intentio literæ. Et (1) dicit: *come l' uom s' accorge che la sua virtute avanza,* idest excellit, *di giorno in giorno,* idest, de die in diem per evidens signum, scilicet, *per sentir più dilettanza ben operando,* quia operans virtuose recipit maiorem delectationem in dies; signum enim generati habitus est delectatio. — *E quale.* Hic autor describit suum transitum a planeta Martis ad planetam Jovis quem intraverat, per comparationem pulcram et propriam; quæ stat in hoc, quod sicut domina alba facta rubea accidentaliter præ pudore in parva mora deposito rubore efficitur alba; ita a simili autor in parvo momento transivit a stella Martis, quæ est rubicunda (2), ad stellam Jovis, quæ est candida. Ad literam ergo dicit autor: *E 'l trasmutar fu tal negli occhi miei,* idest, occurrit talem intellectui meo, *qual donna imbianca in piccol varco di tempo,* idest, in brevi transitu, quasi in instanti, idest, qualis mutatio fit in domina de rubedine in albedinem, *quando il volto suo si discarchi il carco di vergogna,* idest, deponat ruborem verecundiæ, quæ ita gravat faciem, quod ipsam trahit et inclinat violenter ad terram. Et hoc dico fuit, *quando fui volto,* scilicet, ad speram Jovis, qui est albi coloris; unde dicit: *per lo candor della temprata stella sesta,* idest, per album splendorem Jovis, qui est sextus planeta et est temperatus, quia non est ita flammeus sicut Mars, sed magis trahit ad candorem; vel est *temperata stella,* idest a Saturno et Marte mediata, quorum malitiam tem-

(1) E. literæ, quæ dicit. (2) E. rubea.

perat, vel quia facit temperatas; et dicit: *che dentro a sè m' avea ricolto,* quasi dicat: sic fui subito transmutatus a Marte rubeo ad Jovem candidum. Et per hunc subitum transitum dat intelligi quod non est vacuum inter speram et speram, ut totiens dictum est. — *Io vidi.* Hic autor describit figurationem quam faciebant animæ beatæ in corpore Jovis; et primo tangit in generali quod (1) signabant humanam loquelam. Ad cuius evidentiam est prænotandum quod autor collocat in planeta Jovis * animas quæ beatificatæ sunt virtute influentiæ Jovis * (2) juste regendo et gubernando imperia et regna mundi. Est enim Jupiter, ut dicit Albumasar, et Alchabitus, significator regum et principum, et cætera (3) talia. Ad literam ergo dicit autor: *Io vidi in quella facella Gioviale,* idest, in stella Jovis splendida, *lo sfavillare,* scilicet, per diversa lumina, *dell' amor che lì era,* idest, amorosarum (4) animarum quæ erant ibi, quæ dilexerunt justitiam in terris, et nunc amant justitiam divinam, *segnar,* idest, designare et figurare, *nostra favella,* idest, nostra verba, scilicet, quæ subscribuntur, *agli occhi miei,* scilicet, intellectualibus. — *E come.* Hic autor describit in particulari loquelam quam figurabant istæ animæ in Jove per unam comparationem propriam ad propositum. Ad quod est prænotandum quod autor fingit pulcre quod animæ justorum principum et regum et rectorum aggregatæ ibi, movebantur nunc in longum, nunc in gyrum diversimode, et ita transmutabantur inter se et (5) confirmabantur quod formant diversas figuras literarum, sicut aves volantes per aerem faciunt nunc longam lineam, nunc rotundam. Ad literam ergo dicit autor: *E creature sante,* idest, animæ sanctorum regnatorum, *vo-*

---

(1) 4, quæ signabant.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
(3) E. et cæterorum talium. (4) E. animosarum. (5) E. et conformabantur.

litando, idest, frequenter volando, *cantavano dentro ai lumi,* idest, intra lumina propria, quibus erant fasciatæ; et dicit: *e faciensi,* scilicet, de se ipsis constituebant (1) diversas literas, scilicet, *or D,* idest, nunc faciebant de se literam quæ dicitur *D, or I, or L, in sue figure,* quasi dicat, figurabant tot literas, ex quibus resultabant ista verba: Diligite justitiam qui judicatis terram. Et hoc faciebant a simili, *sì come augelli surti di rivera,* idest, quæ surrexerunt de riperia in qua moram trahunt, *quasi congratulando a lor pasture,* idest, simul lætantes de eorum pabulis inventis, *fanno di sè or lunga schiera or tonda;* nam aliquando faciunt de se unam lineam ordinatam in modum literarum alphabeti, ut dicit Lucanus; aliquando faciunt de se coronam. Et nota quod comparatio est proprie de gruibus, et est propria. Istæ (2) animæ volantes et lætantes merito comparantur gruibus, et est propria volantibus et lætantibus de eorum pabulo; nam animæ istæ volaverunt altum (3) et late, quia habuerunt principatum super alios et fuerunt maiores aliis, sicut et grues. Et sicut grues sunt aves pacificæ et solicitæ, ita et isti soliciti circa pacificum statum et justam gubernationem regnorum. Et subdit autor modum formandi cantum et literas, dicens: *prima cantando,* idest, illæ animæ cantantes, *moviensi,* idest, moverunt se, *a sua nota,* quasi dicat: conformaverunt motum suum cantui, ita quod verba quæ dicebant cantando, scribebant volando, formando figuras literarum, quæ componebant illa verba (4), scilicet, *Diligite* etc. Unde dicit: *poi diventando l' un di questi segni,* idest, figura alicuius prædictarum literarum, scilicet *D,* vel *I,* vel *L, s' arrestavano un poco,* idest, quod figurata et formata una litera, parum cessabant a motu et volatu interponentes modicam

(1) E. faciebant.
(2) E. Istæ autem animæ.
(3) E. in altum.
(4) E. verba suprascripta, scilicet.

quietem, *et taciensi,* idest, et ita cessabant pariter a cantu. sicut a motu, facientes parvam pausam. — *O diva.* Hic descripturus altam et arduam materiam facit suam invocationem pro subsidio implorando, sicut est de more poetarum invocare non solum in principiis (1) suorum poematum, sed etiam in fine, quando perveniunt ad difficilem materiam; quem morem autor iste servavit egregie in toto poemate suo; invocavit enim circa principium Inferni et in fine, ita in principio Purgatorii et in fine; multo melius in principio huius Paradisi, et nunc versus finem. Invocat ergo hic musam in genere, quam vocat Pegaseam ab equo Pegaso, cuius percussione pedis natus est fons in Parnaso. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod Perseus filius Jovis magna virtute sua superavit Medusam, de qua dictum est plene Inferni capitulo, cuius abscisso capite de sanguine eius subito natus est equus alatus dictus Pegaseus; et allegorice Perseus filius Jovis est vir virtuosus filius Dei: Pegasus fama etc. Modo ad propositum autor vocat musam Pegaseam a dicto equo, dicens: *O, Pegasea,* idest, musa. *diva,* idest, divina, quia divinas (2) mentes exigit etc. Et describit ipsam musam ab eius virtute et proprietate mirabili, dicens: *che fai gloriosi gl' ingegni,* quia poetæ inter cæteros artium professores maximam gloriam consequuntur, cuius rei dignissimum testimonium est ipse autor; nam licet et per multa sæcula ante, et post eum fuerint aliqui magni philosophi, theologi, astrologi, nullus tamen gloriosior extat eo. Unde dicit: *e rendigli longevi,* idest per longum ævum viventia; et dicit: *et essi,* scilicet, ingenia reddunt gloriosa, *le cittadi e i regni,* quia civitates et regna extincta et deleta fiunt rediviva carminibus poetarum. Poetæ enim canunt Troiam, Romam,

---

(1) E. in principio. (2) E. divas mentes.

Assyriam, Græciam etc., *illustrami di te,* idest, illumina intellectum meum, ut possim dictas literas intelligere et explicare; unde dicit: *sì ch' io rilevi,* idest repræsentare possim, *le lor figure,* scilicet, dictarum literarum, *com' io l' ho concette,* scilicet, in mente mea. Et dicit: *e tua possa,* idest, potens virtus, *paia,* idest, pateat et appareat, *in questi versi brevi;* quasi dicat: præsta mihi tantam gratiam, ut possim propalare ordinationem et significationem dictarum literarum in paucis rhythmis vulgaribus. — *Mostrarsi.* Hic autor invocatione facta exprimit ordinationem ipsarum literarum, scilicet, orationem quæ fit ex eis; et breviter dicit, quod oratio dictorum spirituum erat contexta ex triginta quinque literis inter vocales et consonantes. Dicit ergo: *Sette vocali e consonanti mostrarsi dunque in cinque volte,* quia quinquies septem, si res ad calculum deducatur, faciunt triginta quinque; et tot literæ constituunt istam orationem: *diligite justitiam qui judicatis terram;* quarum literarum aliquæ sunt vocales, aliæ (¹) consonantes. Literæ vocales sunt tantum quinque, quæ sic appellantur, quia per se vocem faciunt, idest, dictionem; reliquæ vero appellantur consonantes, idest (²), simul cum aliis sonantes, quia per se non faciunt vocem, sed coniunctæ cum vocalibus sic. Et dicit: *et io notai le parti,* scilicet, distincte consideravi unamquamque literam per se, *sì come parver dette,* idest, secundum quod formabantur in ore illorum canentium, et figurabantur in motu illarum (³) volantium. Unde subdit formam supradictæ orationis per dictiones constituentes eam, dicens: *Diligite justitiam, primai,* idest, istæ duæ dictiones primæ, diligite justitiam, *fur verbo et nome,* quasi dicat: quod duæ primæ partes orationis fuerunt istud verbum, *diligite,* quod est optimum verbum quod

(¹) S. aliquæ. (²) S. quasi simul. (³) E. illarum avium volantium.

felicitat hominem; et istud nomen *justitiam,* quod est optimum nomen, quod felicitat mundum. Et dicit: *di tutto 'l dipinto,* idest, totius orationis, quæ effigiabatur et repræsentabatur per figuras illas: et dicit: *qui judicatis terram fur sezzai,* idest, quod istæ dictiones fuerunt ultimæ partes dictæ orationis. Et hic nota quod autor elegantissime fingit istas animas cantare et figurare istam orationem ad persuasionem juste regnantium; hæc enim oratio scribitur Sapientiæ primo capitulo etc. Et merito autor facit hic istam persuasionem, quia ista est præclarissima virtus secundum philosophum et necessarissima. Unde Augustinus: quid enim sunt regna sine justitia? — *Poscia nell' M.* Hic autor describit quietationem vel finitionem dictarum animarum; et breviter dicit, quod remanserunt vel finiverunt in ultima dictione orationis ordinatæ. Dicit ergo: *Poscia rimasero ordinate,* scilicet, omnes prædictæ literæ præcedentes, *nell' M del vocabol quinto,* idest, in ultima litera ultimæ dictionis, scilicet *terram,* quæ est quinta dictio orationis. Ista enim oratio constat ex quinque dictionibus. Et dicit quod istæ literæ habebant colorem aureum, velut si literæ de enclaustro aureo essent descriptæ in charta de argento albo. Unde dicit: *sì che Giove,* qui est albus sive candidus, ut dictum est, *pareva argento,* scilicet, in colore, *lì distinto d' oro,* scilicet, propter sfavillationem illorum spirituum ardentium. Et hic nota, quod animæ constituentes dictam orationem sunt sex animæ illustrissimorum [1] regum, quæ sigillatim describuntur in sequenti capitulo. — *E vidi.* Hic autor describit apparitionem aliarum animarum, quæ supervenientes supposuerunt se ad *M,* dicens: *E vidi altre luci,* idest, alias animas lucentes præter prædictas, *scender dov' era il colmo dell' M, e lì quetarsi,*

---

[1] E. illustrium.

idest, pausare ibi, ubi primæ animæ quietaverant (1); et dicit: *cantando, credo, il ben,* idest, laudantes divinam justitiam, *che a sè le muove,* idest, quæ dirigit eas in contemplationem sui. Et hic nota, quod autor ideo fingit (2) prædictas animas quievisse in ultimo vocabulo, *terram* (3): ut per hoc det intelligi, quod omnis justitia istorum et justa operatio ordinata est ad finem bene et beate gubernandi terram. — *Poi come.* Hic autor ostendit quomodo ex dicto loco innumerabiles animæ surrexerunt ad formandam figuram unius aquilæ; et hoc per unam comparationem domesticam et communem, quæ tamen proprie (4) applicabilis ad suum propositum; et finaliter (5) vult dicere quod maxima multitudo splendentium animarum surgens ab illo *M,* cœpit volare sicut a simili magna copia ardentium favillarum resultat ex stipite accenso, quando totus ignitus fricatur super ipsum. Ordina sic literam: *Poi più di mille,* idest, multæ lucentes animæ, *parver risurger quindi,* idest, ab isto *M,* ubi se collocaverant, *e salir,* scilicet, sursum, *qual assai,* idest, aliqua (6) multum, *qual poco,* secundum capacitatem gloriæ; unde dicit: *sì come il sol che l' accende sortille,* idest, sicut Deus, qui (7) sol justitiæ illustrat eas, prædestinavit eas; et hoc fecerunt, *come innumerabili faville surgon nel percuoter de' ciocchi arsi,* scilicet, ex confricatione vel percussione titionis in ipsum. Et tangit autor incidenter unam puerilem et ridiculosam consuetudinem, dicens: *onde gli stolti sogliono augurarsi.* Est enim de more in partibus Italiæ, quod pueri stantes in hyeme de sero juxta ignem percutientes stipitem augurantur sibi, dicentes: tot civitates, tot castella, tot agnelli, tot porcelli;

(1) E. e S. quieverant.
(2) E. fingit hic dictas animas.
(3) E. scilicet, *terram.*
(4) S. est proprie. — E. proprie applicabitur.
(5) S. sententialiter. — E. similiter.
(6) E. aliquæ multum.
(7) E. qui est sol justitiæ illustravit.

et ita transeunt tempus. Et adverte, lector, quod ista comparatio non est inepta ad hanc materiam; sicut enim ex stipite firmo, ignito, rubenti surgunt innumerabiles favillæ ardentes; ita ex illo *M*, firmo, ignito, rubeo surrexerunt infinitæ animæ splendentes similes primis in colore; et sicut favillæ volantes ex stipite surgunt in aerem aliquæ altius, aliquæ minus, ita et animæ istæ. — *E quietata.* Hic autor exprimit figuram quam formaverunt dictæ animæ sic volantes, dicens: *E vidi rappresentare,* scilicet, in figura, *la testa e 'l collo d' una aguglia, a quel distinto fuoco,* idest, ab illis animabus igneis distinctis ibi supra *M*, et hoc dico, *ciascuna,* scilicet, illarum animarum, *quietata in suo loco,* quasi dicat: cum unaquæque cepisset sedem suam sibi destinatam ad hanc figuram formandam [1]. Et hic nota quod autor fingit subtiliter quod multæ animæ justorum regum et rectorum hic constituunt unum corpus aquilæ, per hoc figuraliter ostendens quod omnia regna mundi de jure dependent a romano [2], in quo maxime viguit justitia, ut probari potest multipliciter, et omnes reges sunt subiecti romano principi, sicut diversa membra humana uni capiti. Est enim aquila signum ducum romanorum, sicut diffuse pertractatum est VI capitulo huius Paradisi. — *Quei.* Hic autor describit autorem huius mirabilis figuræ sive picturæ, dicens: *Quei che dipinge lì,* scilicet, Deus creator, *non ha chi 'l guidi,* quia non facit sicut nostri pictores ad exemplar alterius, immo ab ipsius exemplari natura recipit quicquid agit. Unde dicit: *ma esso guida, e quella virtù,* idest ordo naturalis, de quo dictum est supra primo capitulo huius Paradisi, *ch' è forma per li nidi,* idest, per omnes materias recipientes formam. Unde dictum est ibi de isto ordine naturali: *e questo è forma*

---

(1) E. confirmandam. (2) S. romano imperio, in quo.

che l' universo a Dio fa simigliante, si rammenta da lui, idest, memoratur ab illo pictore æterno, sicut animal monstruosum est habens multa capita. Adverte hic. — *L' altra.* Hic autor ostendit quomodo primi spiritus incorporaverunt se prædicto signo aquilæ; unde dicit: *L' altra beatitudo*, idest, primæ animæ beatæ, quæ, designant *M*, sive quæ steterant super *M*; unde dicit: *che pareva contenta d' ingigliarsi all' emme*, idest, formandi [1] de se literam *M*, quæ habet figuram lilii, *seguitò l' imprenta*, idest, impressionem illius [2] aquilæ, et fecit residuum aquilæ, scilicet, alas, pedes, et caudam, ut patet hic et in principio sequentis capituli, *con poco moto*, scilicet, deorsum se conformans superiori parti aquilæ.

O dolce stella. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua autor reprehendit illos qui impediunt justum regimen sæculare, et facit precationem ad justitiam omnipotentis Jovis, quæ administratur per Jovem, idest, per influentiam Jovis [3], ut provideat genti quæ vetat justum regimen in mundo; et primo præmittit quod justitia procedat ab influentia Jovis. Unde dicit exclamans: *O dolce stella*, idest, planeta Jovis benevole, qui appellatur ab astrologis fortuna maior, *quali e quante gemme*, idest, quales et quot animæ pretiosæ, idest, quam lucidæ et quam multæ, *mi dimostraron*, scilicet, per vocem cantus et per scripturam literarum, quam designabant ibi, vel per figuram aquilæ corpus componebant ibi, *che nostra giustizia*, scilicet, mundana, *sia effetto del cielo che tu ingemme!* idest, speræ Jovialis quam tu exornas. — *Perch' io.* Hic autor ostensa virtute Jovis facit suam deprecationem dicens: *Perch' io*, idest, quia sic justitiam causas, ideo, *prego la mente*, scilicet, divinam, *in che tuo moto s' inizia*, idest, capit initium, *e tua virtute* vel *sua*, scilicet,

(1) S. informandi. — E. formam dicentem de se.
(2) E. istius.
(3) E. ipsius Jovis.

justitiam, *che rimiri,* idest, dignetur respicere deorsum, *ond' esce il fumo che vizia il tuo raggio,* idest, cupiditas et ambitio pastorum ecclesiæ, quæ offuscat tuam præclaram justitiam, sicut fumus radium solis. Et invocat iram Dei super pastores ad extinguendam (1) justam vindictam de ipsis iniuste vendentibus et ementibus sacra, sicut olim fecit, quando irate expulit negotiantes de templo. Unde subdit: *sì che un'altra fiata omai s' adiri,* idest (2), ita miretur ipsa divina mens quod iterum amodo irascatur, quia tempus est, *del comperare e vender dentro al templo,* quando (3) dixit: *Domus mea* etc. Et dicit: *che si murò di sangue e di martiri,* quia ecclesia Dei fundata et firmata fuit (4) sancto sanguine Christi et aliorum sanctorum martyrum. Et in hoc arguit prælatos ecclesiæ qui simoniace (5) dant et accipiunt sacra. Et hic notandum quod Christus solus expulit tantam turbam ex templo, quia emittebat ex facie sua terribilem flammam etc. Nota etiam quod (6) Christus aliqua fecit sæculariter.— *O milizia.* Hic autor convertit suam orationem ad illos beatos, qui apparent in spera Jovis, quorum gloria consistit in justitia quam habuerunt in terra, dicens: *O milizia,* quia isti fuerunt viri militares (7) laborantes et certantes pro justitia, pro libertate, pro communi bono reipublicæ, pro ampliatione et conservatione imperii et regnorum; et dicit: *del ciel cu' io contemplo,* idest, speræ Jovis quam nunc considero speculabiliter ut illam de-

(1) S. e E. ad exigendam justam.

(2) E. idest, turbetur, aliter miretur ita divina mens.

(3) E. quando ipse idem Dominus noster Jesus Christus dixit.

(4) E. fuit pretiosissimo sanguine ipsius Domini Jesu Christi Salvatoris nostri et aliorum.

(5) E. simoniace aliquando dant et accipiunt sacramenta eiusdem ecclesiæ. Et hic nota quod ipse solus Dominus noster Jesus Christus expulit.

(6) E. quod ipse Salvator noster pretiosissimus Dominus noster Jesus Christus ultra spiritualia ipsius gesta magnifica fecit etiam sæculariter alia aliqua. — *O milizia.*

(7) S. militantes.

scribam et manifestem, *adora per color che sono in terra,* idest, pro his qui sunt in vita mortali in terris; et dicit, *tutti sviati,* scilicet, a via (1) veræ virtutis et justitiæ iniuste occupantes unus jura alterius, et intendentes ad cumulandum seducti malo exemplo prælatorum; unde dicit: *dietro al mal esempio,* malorum pastorum. Sumunt enim subditi (2) argumentum a vita pastorum, et arguunt quidam sic: cum videamus oculanter (3) et ubique, quod pontifices, cardinales, archiepiscopi, episcopi, priores, abbates et magni magistri in sacra theologia intendunt (4) circa delicias, mollities, pecunias, dignitates et cætera delectabilia; et nos subditi sedentes in barcha sequi debemus exemplum gubernantium navim: probatio consequentiæ, quia isti noverunt jura humana et divina, et leges veteris et novi testamenti et omnem sacram scripturam. Unde de duobus alterum est; vel sciunt se bene agere, vel cognoscunt tantam esse misericordiam Dei quod nollet perdere humanam naturam tam fragilem et infirmam; sed certe sic dicentes deberent potius attendere (5) dictum Christi dicentis: *secundum autem opera eorum nolite facere;* dicunt enim, et non faciunt; et certe ego potius credo sic epicuree viventes nihil credere de fide, quia si crederent timerent, abstinerent (6) ab his quæ faciunt. Et tamen autor in hoc non mentitur, quod homines sequuntur (7) malum exemplum pastorum; sicut enim legimus olim cum apostoli et imitatores apostolorum spernebant mundum cum suis pompis et divitiis, reperta sunt millia hominum qui abrenuntiantes propriis, sponte facti sunt pauperes et humiles, nec timuerunt incommoda naturæ, nec minas, nec tor-

(1) E. a via veritatis, sive veræ virtutis et scientiæ iniuste.
(2) E. seducti. (3) E. oculariter et quasi ubique.
(4) E. intendunt, ut plurimum, circa.
(5) E. attendere verba ipsius Domini nostri Jesu Christi dicentis.
(6) E. et se abstinerent. (7) E. sequantur mala exempla pastorum.

menta, immo nec mortes a principibus; ita nunc e converso videmus quasi omnes exemplo pastorum sequi divitias, prælationes, et omnes delicias et commoda; ergo male.— *Già si solea.* Hic autor probat quod malum exemplum pastorum sit deviatio subditorum per effectum. quia auferunt proximo gratiam [1] quam donant sacramenta, excommunicando et privando dictis sacramentis, quæ data sunt nobis ab illo pio Patre, qui semetipsum dedit [2] sine aliquo pretio, sicut dictum est: *gratis accepistis et gratis date.* Dicit ergo: *Già si solea con le spade far guerra,* sicut tempore antiquorum romanorum, *ma or si fa,* scilicet, per pastores ecclesiæ romanæ, *togliendo,* scilicet, per excommunicationem, *or qui or quivi,* idest, nunc ab isto nunc ab illo, *lo pan,* scilicet, sacramentalem per interdictum, *che 'l pio padre,* idest, misericors Deus, *a nessun serra,* idest, nemini denegat. Hic tamen nota quod pastores ecclesiæ possunt [3] licite et juste agere per excommunicationem et etiam per ensem. Unde Ambrosius et Augustinus etc. — *Ma tu.* Hic gratia prædictorum autor invehit contra pastorem [4] in generali, dicens: *Ma tu che scrivi sol per cancellare,* idest, vos prælati ecclesiæ qui excommunicatis et condemnatis solum pro habendo pecuniam, cum cancellabitis postea excommunicationes vestras. Nam sæpe officiales [5] ecclesiæ lucrantur magnas pecunias pro absolutione excommunicatorum, sicut ego vidi non est diu in una civitate Romandiolæ; *pensa che Pietro e Paolo che moriro,* quia alter decapitatus, alter crucifixus, *per la vigna che gua-*

---

(1) E. gratiam, scilicet quando per excommunicationem vel interdictum vel aliam censuram privant proximum dictis sacramentis.

(2) E. dedit pro nobis sine aliquo pretio; contra illud eiusdem Salvatoris documentum dicentis: *gratis accepistis, gratis date.*

(3) E. possunt juste et licite contra inobedientes per excommunicationem agere, et censuræ ecclesiasticæ ensem vibrare, licet autor hoc non subiunxerit dictis suis hic nimium generalibus. Unde Ambrosius.

(4) E. pastores ecclesiæ in generali. (5) E. aliqui officiales.

sti, idest, propter ecclesiam Dei fundandam, quam tu subvertis, *ancor son vivi;* et potentes in cœlo, ita quod possent interficere et non interfici; quasi dicat: deberes timere iram et indignationem Petri et Pauli, quam tu minaris excommunicatis tuis. — *Ben puoi.* Hic autor per improperium assignat causam quare pastor non timet vindictam apostolorum; et dicit: tu potes respondere: ego habeo ita totum studium et intentum ad eum qui voluit vivere solus et qui per saltus fuit tractus ad martyrium, quod ego non timeo Petrum nec Paulum. Et ad intelligentiam huius literæ est solerter advertendum, quod multi multa frivola et vana dixerunt circa istum passum. Aliqui enim dicunt quod autor loquitur de diabolo, qui fuit præcipitatus de cœlo ad infernum ad martyrium: sed ista expositio est penitus falsa, quia iste noluit vivere solus, sed voluit fieri similis altissimo; et maximam multitudinem habuit sociorum in cœlo, et habet in inferno. Aliqui vero exponunt, quod autor loquitur de Simone Mago, qui cadens ex aere portatus a dæmoniis conquassatus est in terra; sed et ista expositio est aliena, quia Simon Magus etiam noluit vivere solus, immo cum hominibus et dæmoniis, et Nerone pessimo omnium dæmoniorum. Alii autem volunt quod autor intelligat de Sardanapalo rege assyriorum, de quo dictum est supra capitulo huius Paradisi, qui fuit totus delitiosus, et demum se præcitavit in ignem; sed nec ista opinio vera est, quia Sardanapalus noluit vivere solus, immo continuo erat circumvallatus magna turba meretricum. Sunt etiam quidam exponentes subtilius et dicentes, quod autor intelligit de Johanne Baptista; et vult dicere: ego habeo ita firmum desiderium meum ad vitam contemplativam, qualis fuit vita Baptistæ, quod non (¹)

(¹) E. quod ego non curo.

curo de vita activa Petri et Pauli. Ista expositio autem licet videatur subtilis et consona, tamen non haberet hic locum, quia (1) clare patet ex dictis, quod autor quam peius potest loquitur hic de pastore (2), nunc autem commendaret eum: potest tamen ista expositio verificari, si suppleatur et addatur sic: tu pastor potes respondere: ego vivo ita contemplative, quod non curo de vita activa; sed si hoc esset, esses aliqualiter excusandus; sed neutrum facis, quia non vivis in contemplatione ut Baptista, nec in actione ut Petrus et Paulus; isto modo supplendo, expositio potest stare (3); sed demum, omissis omnibus prædictis tamquam superfluis, dicit (4), quod autor loquitur de floreno, in quo est sculpta imago Johannis Baptistæ. Vult ergo dicere: tu pastor potes dicere: ego habeo ita fixam voluntatem floreno acquirendo, quod non cognosco Petrum et (5) Paulum, qui fuerunt ita pauperes, spernentes omnino pecuniam. His ergo prænotatis nunc ad literam veniatur, quæ exponatur sic: *Ben puoi tu dire*, scilicet, tu pastor vel papa; nam potest intelligi hic principaliter de Bonifacio qui tunc sedebat, et qui fuit simoniacus valde, ut dictum est Inferni XIX capitulo, de quo autor simile dixit supra capitulo Paradisi: *io ho fermo il disiro,* idest, totum desiderium et conatum meum, *sì a colui*, scilicet, Baptistæ; et ponitur signum pro signato, scilicet, Baptista pro floreno, in quo designatus est; simili schemate autor usus est Inferni capitulo contra Florentiam; et ita hic loquitur multum caute et velate; et dicit: *che volle viver solo,* scilicet, in deserto, ad quod ivit (6) in ætate septem annorum; sed certe si nunc iret ad curiam romanam forte efficeretur

(1) E. quia, ut clare patet ex dictis, autor.
(2) E. de pastoribus ecclesiæ, nunc autem commendaret eos.
(3) E. stare tunc; sed.
(4) E. dic quod.
(5) E. nec Paulum, quia.
(6) E. ipse Baptista ivit.

baratarius, *e che fu tratto a martìro per salti,* quia postea decollatus fuit propter saltus filiæ Herodis, *ch' io non conosco il Pescator,* scilicet, Petrum, *nè Polo,* qui gratis dederunt, quod gratis acceperant. De hac materia plene scribit novissimus poeta Petrarcha libro Bucolicorum et cætera.

CANTUS DECIMUS NONUS, *in quo movetur quæstio ardua de baptismo, et solvitur.*

PAREA *dinanzi a me la bella image.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et descripsit qualitatem et virtutem Jovialium, qui constituunt signum aquilæ in corpore Jovis; nunc consequenter in isto XIX capitulo autor introducit ipsum signum aquilæ ad loquendum et propalandum se; et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor describit inauditum modum loquendi ipsius aquilæ. In secunda proponit, licet non expresse, unam arduam quæstionem (1), scilicet, utrum ignorans fidem catholicam juste vivens sine baptismo salvetur; et illud signum respondens percurrit quædam necessaria ad solutionem, ibi: *Ond' io.* In tertia dictum signum exprimit ipsam quæstionem, et solvit in speciali, ibi: *Assai.* In quarta et ultima autor invehit contra reges christianos moderni temporis, qui iniuste regunt et dominantur deviantes a regibus, qui sunt in dicto signo aquilæ, ibi: *Ma vedi.* Ad primum ergo dico quod autor in prima parte generali introducit dictum signum aquilæ, et describit novum genus loquendi. In prima ergo continuans dicta dicendis, dicit: *La bella image,* idest, pulcra imago aquilæ, qua nullum est pulcrius signum, quia altius volat, quia acutius videt, quia pulcris victoriis et pulcerrimis triumphis decorata. Et dicit: *che,* idest, quam imaginem, *l' anime conserte,* idest, contextæ (2) et colligatæ in ordine in ipso

(1) E. quæstionem, quæ est utrum.
(2) E. consertæ et colligatæ per ordinem.

signo, *liete nel dolce frui,* idest, fruitione summi boni, sive participatione beatitudinis, *facieno,* idest, constituebant; vel secundum aliam literam, *che,* idest, quæ imago, *facea l'anime conserte,* scilicet, quæ componebant ipsam aquilam, *liete nel dolce frui;* est enim *frui* proprie æternorum, sicut uti terrenorum, quamvis sæpe [1] abutamur isto vocabulo, ut scribit Augustinus de Civitate Dei; *parea dinanzi a me con l'ali aperte.* Per hoc innuit autor quod aquila volebat se manifestare, ut statim ostendetur; vel dic quod autor innuit quod justitia imperialis ostendebatur hic læte et aperte qualis fuit in justis principibus, sicut in Traiano, de quo dicetur paulo infra, in Tito Vespasiano, in Alexandro, in Antonino Pio. Iniusti autem principes et tyranni stant tristes et occulti sub custodia sanguinosorum armorum, timidi et soliciti, sicut patuit in Nerone, Gaio Domitiano [2], Caracalla etc. qui tristes fecerunt subditos, et tristiter vixerunt, et tristius mortui sunt; ille proprio pugione, ille veneno, alius trucidatus, alius strangulatus. — *Parea.* Hic autor describit qualitatem illarum animarum constituentium aquilam per unam nobilem comparationem et propriam, quæ talis est; videlicet, quod sicut quando radius solis ferit supra rubinum, ita quod radii refranguntur ad illum qui respicit, ita radii illarum animarum refrangebantur in oculo autoris; et per illam visionem manifestabatur sibi de beatitudine illarum. Dicit ergo: *Parea ciascuna,* scilicet, anima, *rubinetto,* idest, gemma pretiosa rubens; est enim rubinus lapis pretiosus, qui etc. Et dicit: *in cui raggio di sole ardesse,* idest, coruscaret, *sì acceso, che rifrangesse lui,* idest illum radium, *ne' miei occhi.* Et hic nota quomodo comparatio servit proprie proposito. Illæ enim animæ pretiosæ et splendentes rubeæ, recte com-

---

(1) E. sæpius abutamur ipso vocabulo. (2) E. Caio Domitio.

parantur rubinis; et sicut radius solis accendit rubinum, ita radius gloriæ solis justitiæ inflammat istos spiritus justos in planeta Jovis autore [1] justitiæ. — *E quel.* Hic autor descripturus inauditum modum loquendi illius aquilæ, extollit subtilitatem suæ [2] phantasiæ, commendans suam artificialem fictionem; et dicit quod nunquam fuit dictum vel excogitatum illud quod nunc habet describere, quod [3] mille linguæ loquerentur per unam. Unde dicit: *E voce non portò mai,* idest, nunquam fuit sermone explicatum, *nè inchiostro scrisse,* idest, nunquam fuit per literam descriptum, *quel che mi convien ritrar,* idest poetice repræsentare et propalare, *testeso,* idest, nunc de præsenti. Et subdit: *nè fu giammai compreso per fantasia,* quasi dicat: similis fictio nunquam facta fuit per aliquem poetam. Et certe istud potest dici vere de generali fictione totius istius operis.—*Ch' io vidi,* nunc autor exprimit ipsam fictionem, dicens, *Ch' io vidi et anco udi' parlar lo rostro,* scilicet, os illius aquilæ, *e sonar nella voce Io e Mio,* idest, loqui in singulari, *quando Noi e Nostro,* scilicet, loquela pluralis, *era nel concetto,* scilicet, in conceptione mentali interiore. Et per hoc innuit autor quod unum erat, sed loquebatur in persona omnium animarum, quæ erant in illo signo aquilæ. — *E cominciò.* Hic autor describit ipsam loquelam aquilæ, quæ primo assignat causam suæ beatificationis [4] dicens: et illud rostrum, *cominciò,* supple dicere: *io son qui esaltato a quella gloria,* in aula justissimi imperatoris et regis æterni; et dicit: *che non si lascia vincere a disio,* idest, quæ est maior quam desiderari possit, quia nullus posset unquam desiderare maiorem gloriam illa: ergo bene vincit omne desiderium humanum, et a nullo vincitur. Et assignat causam dicens: *per esser giusto e pio,*

---

(1) E. autoris.
(2) S. illius phantasiæ.
(3) E. quod scilicet mille.
(4) E. beatitudinis.

idest, propter gloriosam virtutem justitiæ junctam cum clementia; quia justitia sine clementia crudelitas est; nam impia est justitia, quæ humanæ fragilitati non novit ignoscere. Et adverte quod cum rostrum aquilæ diceret suum exaltatum ad gloriam quia fui (1) justum et pium, in conceptu interiori erat, nos sumus exaltati ad istam gloriam, quia fuimus justi et pii; et ita intelligas de omni sermone sequenti, quod erat pluralis intus, quamvis foris singulariter resonaret (2). — *Et in terra.* Hic aquila exaltat suam virtutem justitiæ, dicens: *Et io lasciai la mia memoria,* scilicet, meæ justitiæ, *in terra,* scilicet, in mundo terreno, quia (3) in universo est vulgata et celebrata justitia romana. Unde dicit: *sì fatta,* idest, tam inclitam et famosam, *che le genti lì malvage,* idest, tam pravæ et iniquæ sicut sunt hodie, *commendan lei,* idest, laudant et prædicant verbis, *ma non seguon la storia,* idest, tamen non imitantur vestigia justorum principum et ducum romanorum. Et hic nota quod autor in hoc verissimam dat sententiam; quia, sicut videmus de facto, hodie reges iniusti et tyranni crudeles summe commendant justitiam et clementiam romanam (4), libentissime legunt, conferunt, audiunt de justitia Traiani, Camilli, Scipionis, Catonis, de clementia Titi, Antonini Pii et aliorum multorum, et tamen non sequuntur exempla eorum. — *Così.* Hic autor declarat illam singularem loquutionem procedentem ex plurali per unam comparationem pulcram et propriam, quæ stat in hoc; quod sicut ab uno igne facto ex multis prunis procedit unus calor solus; ita ex illo signo aquilæ formato ex multis animabus procedebat unus solus sermo. Dicit ergo: *Un sol calor di molte brage si fa sentir così come un sol,* supple, amor, *di molti amori usciva di quella image,* idest, imagine

(1) S. e E. fuit justum.
(2) E. sonaret.
(3) E. quia universaliter.
(4) S. romanorum.

aquilæ; et hoc dicit autor propter loquutionem in singulari numero. Et sic vide, quomodo comparatio est propria. Sicut enim ex multis prunis (1) ardentibus resultat unus calor, ita ex multis spiritibus splendentibus ignitis exibat unus amor caritatis, qui ubique figuratur per ignem.

Ond' io appresso. Ista est secunda pars generalis in qua autor movet arduam quæstionem dicto (2) signo aquilæ: utrum salvatio infidelium (3) sit possibilis. Et aquila respondens percurrit quædam evidentialia ad solutionem dubii. Et primo autor facit exordium, secundo petitionem, tertio confirmationem. Dicit ergo primo: *Ond' io appresso,* supple dixi: *o perpetui fiori,* spiritus florentissimi, qui floruistis in vita mortali in terra, et nunc floretis in vita perpetua in cœlo; unde dicit: *dell' eterna letizia,* quia lætati fuistis temporaliter, nunc lætamini æternaliter; et dicit: *che mi fate sentir tutti i vostri odori pur uno.* Hoc dicit propter uniformitatem signi, quia multi odores famæ resultant ex istis, et tamen videtur unum caput, scilicet romanus princeps. — *Solvetemi.* Hic autor facit suam petitionem dicens: *Solvetemi, spirando,* idest, loquendo, *il gran digiuno,* idest, dubium, ut ibi patebit, *che lungamente m' ha tenuto in fame,* idest, in desiderio sciendi veritatem; et dicit, *non trovandoli cibo alcuno in terra,* idest, solutionem quæ satiaverit (4) animum meum satisfaciendo dicto dubio. Et hic nota quod per hoc autor innuit quod dubium proponendum non potest solvi ratione naturali; et quia talis consideratio est super naturam, ideo petit ab iis qui vident secreta Dei. — *Ben so io.* Hic autor facit confirmationem sui dicti probans quod juste movet quæstionem istis de justitia Dei. Et ad intelligentiam huius literæ est prænotandum, quod autor merito petit ab istis de justitia Dei,

---

(1) E. prunis pariter ardentibus. (2) S. de dicto signo.
(3) S. infidelis. (4) E. saturaverit.

tum quia isti qui fuerunt justi in terra debent scire de justitia divina; tum quia hic (1) tangit Traianum imperatorem, qui est de numero istorum; et similiter Ripheum troianum, qui etiam est ex istis qui fuerunt virtuosissimi et maxime justissimi in vita, tamen sine fide. Nunc ordina et expone literam sic: *Ben so io che, se la divina giustizia fa altro reame,* idest, aliam speram, *suo specchio in cielo,* idest, si divina justitia manifestat se in aliqua regione cœli maxime hoc facit in regione Jovis (2), *che il vostro non l'apprende con velame,* immo aperte et clare, quia planeta Jovis est maxime justus, et vos estis filii Jovis; quasi dicat: vos habetis talem gradum beatitudinis, quod bene discernitis in Deo veritatem justitiæ, quæ per spiritum beatum possit apprehendi. — *Sapete.* Hic autor ostendit suam attentionem (3) et tacite tangit quæstionem intentam (4), dicens: *Sapete come attento io m'apparecchio ad ascoltar,* quia tam diu expectavi (5) solutionem. Et subdit: *sapete qual è quel dubbio che m' è digiun cotanto vecchio,* ut jam dictum est, quasi dicat: non expedit quod exprimam verbo dubitationem quam diu portavi in animo, quia vos videtis voluntatem meam in eo qui omnia videt, sicut ego jam expertus sum in multis spiritibus beatis. — *Qual.* Hic autor intendit describere responsionem aquilæ; et primo describit apparationem ipsius ad loquendum per unam comparationem claram et propriam. Ordina sic literam: *Vid' io quel segno,* scilicet, aquilam, *ch' era contesto,* idest, coordinatum, *di laude della divina grazia,* idest, laudabilibus spiritibus gratia divina, *farsi,* idest, effici, *tal,* supple, *qual il falcon ch' uscendo del cappello,* detracto a domino suo, *muove*

(1) E. hoc.

(2) S. Jovis, unde dicit: *che il vostro,* scilicet regnum Jovis, *non.* — E. Jovis, unde dicit: *che 'l vostro,* scilicet regnum Jovis, *non l' apprende con velame,* idest copertura, immo aperte. (3) E. intentionem. (4) E. intentatam.

(5) E. expectavi adhuc solutionem.

la testa, e si plaude, idest, lætatur, *con l' ali mostrando voglia,* idest, voluntatem volandi, vel pascendi, *e facendosi bello,* scilicet, ex lætitia. Et hic nota quod comparatio proprie repræsentat actus aquilæ; primo quia est de nobili ave, scilicet, aquila, ad nobilem avem falconem: secundo, quia sicut falco movet caput, ita aquila ad loquendum; tertio, sicut falco movet alas gratulando, ita aquila gaudendo de quæstione justitiæ sibi proposita, quæ tangebat specialiter illos; quarto, sicut falco efficitur pulcer in tali apparatu ostendens voluntatem suam, ita aquila facta pulcrior in suo apparatu loquendi ostendit aviditatem quam habebat pascendi se de tali materia, quæ spectat ad profunditatem [1] divinæ justitiæ; et sic exivit de capello, idest, velamine dubitationis, detracto sibi a domino Deo suo. Et subdit, quod vidit illud signum, *con canti quai si sa chi lassù gaude,* quasi ineffabilibus, qui non possunt trahi de cœlo; sed qui fruitur illa beatitudine æterna gustat et cognoscit summam dulcedinem illorum cantuum. — *Poi cominciò.* Hic autor ostendit quomodo aquila cœperit respondere percurrens aliquas propositiones evidentiales ad solutionem quæstionis. Et primo ponit causas, quare autor non poterat invenire solutionem suæ quæstionis, quæ non solvitur nisi ratione fidei. Unde tangit primo infinitam et incomprehensibilem potentiam Dei, dicens: *Poi cominciò,* scilicet, aquila dicere: *colui,* scilicet, Deus pater, *che volse il sesto,* idest, fecit rotunditatem mundo; sextum enim est instrumentum quo figuratur circulus, et dicitur sic, quia etc. Unde dicit: *allo stremo del mondo,* idest, circumferentiæ. Fecit enim Deus mundum rotundum et finitum, quia sicut probatur primo cœli et mundi, extra mundum non est dare aliquid, quia non est dare

---

(1) E. divinitatem.

vacuum; et in forma sperica, sicut totiens dictum est. Et dicit: *e distinse tanto occulto*, scilicet, per varias formas et species, scilicet, nobis, quia multa sunt secreta naturæ, quæ non novimus, *e manifesto*. omnia sunt manifesta sibi, et aliqua nobis: *non poteo*, scilicet, in principio creationis mundi, *far suo valor sì impresso*, idest, ita imprimere virtutem et potentiam suam, *in tutto l'universo*, idest, in universitate creaturarum, *che 'l suo verbo*, idest, sapientia, quæ attribuitur verbo, *non rimanesse in infinito eccesso*, idest, non remaneret infinitum (1) excessive. Et hic nota quod sunt aliqua quæ dicitur (2) Deum facere non posse; quia posse illa cederet ad diminutionem potentiæ eius; sicut facere alium maiorem vel similem sibi; vel ita effundere suam virtutem in creaturam, quod non remaneret in se infinita; vel facere malum etc. — *E ciò*. Hic probat dictum suum exemplo primæ creaturæ, scilicet angeli primi, qui licet esset creatus perfectissimus creaturarum, tamen non potuit comprehendere valorem divinum, idest, credidit posse fieri similis illi, quod non præsumpsisset, si cognovisset Deum infinitum. Dicit ergo: *E ciò*, scilicet, hoc quod dixi de infinitate sapientiæ Dei, *fa certo*, et manifestum, *che 'l primo superbo*, scilicet, Lucifer, *che fu la somma d'ogni creatura*, idest, illud, quomodo etc., *cadde acerbo*, idest, intempestive ante totalem perfectionem sui. Unde dicit: *per non aspettar lume*, scilicet, ut cognosceret filium Dei; tanta fuit in eo ignorantia cum superbia mixta. — *E quinci*. Hic aquila ex dictis arguit quod nulla creatura est capax summi boni, dicens: *E quinci*, scilicet, ex dictis, *appar ch' ogni minor natura*, idest, omnis creatura minor Deo, sive sit angelica sive humana, *è corto recettacolo*, idest, est inefficax ad recipiendum et comprehendendum, *a*

(1) E. in infinitum excessisse. Et. (2) E. dicuntur.

quel bene, scilicet, Deum, *che non ha fine*, quia infinitus est; ideo creatura finita non valet ipsum comprehendere: et dicit; *e misura sè con sè*, quia ipse est mensura sui, quia nihil habet ab extra, vel quia solus se comprehendit; scientia enim nostra mensuratur a rebus; scientia vero divina etc. — *Dunque*. Hic aquila concludit quod humanus intellectus non potest se profundare ad videndum profunditatem divinæ justitiæ; unde dicit: *Dunque vostra veduta*, idest, cognitio humana, *che conviene esser alcun de' raggi della mente*, scilicet, divina, quia veritas a quocumque est etc. Et dicit: *di che tutte le cose son ripiene*, quia Deus omnia implet etc., *non può di sua natura*, scilicet, humana, quia [1] debilis est, *esser possente tanto, che non discerna suo principio*, idest, Deum esse, *molto di là*, idest, ultra terminum eius quod videt: unde dicit: *da quel ch' egli è parvente*, idest, eius quod apparet sibi cognitioni humanæ, quia nostra cognitio humana cognoscit usque ad aliquem certum terminum, plus et minus secundum naturam vel gratiam; et perpendit et cognoscit quod multum restat semper cognoscendum, quod non est cognoscibile intellectui humano. Aliqui tamen dicunt: *nostra veduta*, scilicet, animarum beatarum, et non bene; quia aquila proprie respondet ad id quod autor dixerat: non inveniebat solutionem in terris. — *Però*. Hic autor exprimit debilitatem sive qualitatem cognitionis humanæ circa justitiam divinam, per unam comparationem pulcerrimam et propriissimam. Construe sic literam: *Però la vista*, idest, cognitio, *che*, idest, quam, *il vostro mondo riceve*, idest, vos homines mundani recipitis, *s' interna*, idest, intrat, *nella giustizia sempiterna*, scilicet divinam, a simili, *com' occhio per lo mare*, supple se internat sive profundat. Et subdit quo-

---

(1) S. quæ debilis est.

modo oculus hominis profundet se in mari, dicens: *che*, idest, qui oculus, *ben che veggia,* idest, quamvis videat, *il fondo*, scilicet, maris, *dalla proda,* idest, de extremo litore, tamen, *nol vede,* scilicet, ipsum fundum, *in pelago*, ubi mare est profundum. Et dicit: *e nondimeno,* idest, nihilominus, *egli è,* idest, est ibi fundum in pelago, sicut juxta litus, *ma l'esser profondo cela lui,* idest, abscondit ipsum fundum oculo. Et hic nota quomodo comparatio facit utiliter ad propositum; nam infinita justitia Dei comparatur profundo mari, et cognitio intellectualis figuratur per oculum, quia intellectus est oculus animæ, sicut patet in toto libro isto, in quo autor scribit se vidisse tot cœlestia, terrestria et inferna, et semper loquitur de oculo mentali. Sicut ergo oculus humanus non videt fundum maris, nisi in parva parte sui, scilicet ad ripam; ita intellectus eius non comprehendit profunditatem justitiæ Dei, nisi in aliqua particula; et quamvis non videat totam vel magnam partem, nihilominus est in se vera et perfecta justitia divina. Videmus enim continuo multa evenire quæ videntur nobis justissima, cum tamen non sint. — *Lume.* Hic aquila ex dictis elicit unam conclusionem, scilicet, quod cognitio non est vera, nisi quæ procedit a Deo. Unde dicit: *Lume,* idest, cognitio vel visio nostra sive (1) scientia, *non è,* clara vel vera, *se non vien dal sereno,* idest, ab illo sereno Domino, scilicet, Deo, *che non si turba mai,* quia Deus numquam turbatur, sicut homo; ideo (2) non habet claritatem veritatis nisi a Deo (3), et ideo si venit aliunde quam a Deo, non est verum lumen. Unde dicit: *anzi è tenebra,* sicut sæpe accidit de astutia mundana et scientia vana multorum; et dicit: *od ombra della carne,* sicut cognitio sensitiva, *o suo veneno,* scilicet, illius veracis luminis quod (4) sci-

(1) E. sine.
(2) E. et ideo homo non habet.
(3) E. a Deo, et si lumen venit.
(4) E. quia scilicet.

licet ottenebrat ipsum nobis perniciose. Unde videtur concludere, quod sine illo lumine, quod gratia contulit nobis per articulos fidei et sacramenta ecclesiæ, est impossibile alicui salvari. Ideo dicendum est cum Augustino: omnis infidelium vita peccatum est etc.

Assai t' è mo. Ista est tertia pars generalis [1], in qua dictum signum aquilæ exprimit quæstionem nondum expressam per autorem, et ipsam solvit in speciali. Et primo continuans dicta dicendis exprimit defectum cognitionis humanæ erga divinam justitiam, dicens: *La latebra,* idest, obscuritas ignorantiæ humanæ, *che t' ascondeva la giustizia viva,* scilicet, divinam, *di che facei question cotanto crebra,* idest, tam frequentem [2] et sæpe, *t' è mo assai aperta,* quasi dicat: per ea quæ ego præmisi potes facile comprehendere impotentiam scientiæ humanæ in cognoscendo de divina justitia. — *Chè tu diceri.* Hic aquila clare exprimit quæstionem quæ diu fatigaverat mentem autoris; et ponit casum in terminis, dicens: *Chè tu diceri,* scilicet, dubitando: *un uom nasce alla riva dell' Indo,* quasi dicat. in extremo orientis. Nam Indus est fluvius Indiæ, a quo ipsa India suscipit denominationem; et signanter deducit exemplum de homine nato in India, quia talis potest minus scire de fide christiana et propter longinquitatem, et propter difficultatem locorum; nam christiani ut plurimum sunt in occidente et septemtrione. Unde dicit: *e quivi,* scilicet, in ripa Indi, *non è chi ragioni di Cristo,* idest, prædicet vel disputet publice vel privatim, *nè chi legga,* sicut magni magistri publice legunt Sacram Scripturam inter christianos, per quod fides multum confirmatur et roboratur, *nè chi scriva,* sicut sancti doctores, qui scripserunt infinita volumina librorum de hac materia, sicut Augustinus qui

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua. (2) E. frequenter.

scripsit ultra mille volumina, ita ut ætas hominis non sufficiat ad legendum quantum scripsit, per quod fides catholica multum est ampliata et dilatata; et dicit: *e tutti i suoi voleri,* idest, omnes voluntates eius, in quibus maxime consistit meritum vel demeritum, *et atti,* idest, operationes procedentes a voluntatis arbitrio, *sono buoni senza peccato in vita o in sermoni,* quantum est possibile homini ex puris naturalibus. Unde dicit: *quanto ragione umana vede.* Et format dubium, dicens: et ille talis Indus, *muore non battezzato e senza fede,* scilicet, christiana, *ov' è questa giustizia che 'l condanna?* idest, quomodo iste tam juste vivens, hic juste damnatur, cum hoc videatur iniustissimum? *ov' è la colpa sua s' egli non crede?* quasi dicat: non videtur in culpa si non credit fideliter; et per consequens justa ignorantia non debet damno affici, cum dicat apostolus de se, qui in simili casu erat paganus: veniam merui, quia ignorans feci. — *Or tu.* Hic aquila explicata (1) quæstione incipit respondere; et primo invehit contra præsumptuosam ignorantiam quorumdam, qui temere volunt judicare de justitia Dei, quia (2) excedit rationem humanam; et talem increpat per similitudinem propriam, dicens, quod talis quærens rationem horum est similis habenti visum brevissimum, qui non videt longius uno palmo, et tamen tentat videre a longe per mille milliaria. Dicit ergo irrisive: *Or tu chi se' che vuoi sedere a scranna,* idest, qui vis esse doctor et legere in cathedra, *per giudicar,* scilicet, de justitia Dei, *da lungi mille miglia con la veduta corta d' una spanna,* idest, cum scientia paucissima et cognitione brevissima? quod est valde stultum. — *Certo.* Hic aquila ne quis se excuset per ignorantiam, excludit ignorantiam, dicens: *Certo sarebbe da dubitare a meraviglia,* idest, certe esset

---

(1) E. explicans quæstionem incipit. (2) E. quæ excedit.

dubitabile et mirabile, *a colui che s' assottiglia meco,* idest, illi qui subtiliter conatur investigare rationem meæ justitiæ, scilicet divinæ, quæ maxime relucet in me, *se la scrittura sopra voi non fosse,* quasi dicat: si non haberetis Sanctam [1] Scripturam, quæ docet vos quomodo voluntas Dei est semper justa, et quod non est investiganda ratio eius, et bene; nam audivi aliquando famulum unius domini parvi dicentem alteri: non petas rationem quando dominus vult; immo communiter dicimus: domini bene sciunt quid faciunt: nobis non licet quærere rationem. Sufficiat ergo quod voluntas Dei justa est, et quod non potest esse non justa. — *O terreni.* Hic aquila arguens humanam ignorantiam, ostendit quod est impossibile Deum non esse semper justum, dicens exclamanter: *O terreni animali,* idest, o homines terrenis dediti, *o menti grosse,* quæ [2] quæritis rationem in divinis, nec scitis reperire ipsam in terrenis. Et ecce quomodo vane quæritis, quia *la prima volontà ch' è per sè buona,* scilicet, voluntas divina, quæ est ex se bona non ab alio, sicut cæteræ voluntates, *mai non si mosse da sè ch' è sommo bene,* et per consequens numquam fuit nec esse potest nisi bona et justa. Unde subdit: *cotanto è giusto, quanto a lei consuona;* et ideo nullus habet causam justæ querelæ, quamvis videatur aliquando iniuste pati; cuius rationem assignat, dicens: *nullo creato bene a sè la tira,* quia Deus tamquam creditor nihil debet creaturæ, sed potius e converso omnis creatura est sibi debitrix, quia recepit ab eo gratis quicquid est, vel habet; unde dicit: *ma essa,* scilicet, voluntas divina, *cagiona lui,* idest, causat ipsum bonum creatum, dando sibi esse. Est enim sicut figulus qui facit unum vas ad balsamum, unum ad oleum, aliud ad stercus, urinam et sputum. Et sic collige quod ex

---

(1) E. Sacram. (2) E. quæ scilicet quæritis.

dictis justitia Dei vult talem infidelem damnari: si Deus vellet tenere alium modum, hoc esset de misericordia eius, quamvis tam justitia quam misericordia, quam Deus habeat erga creaturam, sit tota misericordia et clementia; unde maxima justitia Dei est esse summe misericordem. Et ideo non potest acquirere per se sine gratia vitam æternam, sive consideretur natura in statu innocentiæ, sicut fuit Adam ante peccatum, sive in statu supposito peccato. — *Quale.* Hic autor describit actum illius aquilæ et sui per comparationem propriam ciconiæ et filii (1); et dicit, quod sicut ciconia porrecto cibo filiis regirat se supra nidum, et filius cibatus respicit eam et miratur; ita illa aquila, propinato sermone quo cibaverat jeiunium autoris famescentis, giravit se super ipsum, et ipse cibatus mirabatur eam. Nunc construe literam, quæ est aliqualiter intricata et catenata, et redde singula singulis, sic: *La benedetta immagine,* scilicet, aquila facta ex tot spiritibus benedictis, *che movea l'ali,* scilicet, girando se circulariter, *sospinte,* idest, impulsas, *da tanti consigli,* dictorum spirituum, de quorum communi consilio et consensu loquebatur, *si fece cotal qual la cicogna si rigira sovresso il nido poi c' ha pasciuto i figli, e sì levai li cigli,* idest, oculos ad respiciendum et mirandum (2) aquilam, *come quel,* scilicet, ciconiolus, *ch' è pasto,* idest, cibatus, *la rimira,* quasi factus lætus ex accepto cibo; ita autor ex audito sermone aquilæ. Et sic vide quomodo comparatio est propria quoad omnes partes sui. — *Roteando.* Hic autor descripto motu aquilæ, nunc describit eius cantum, dicens: et illa aquila, *roteando,* idest, movens se circulariter, *cantava e dicea: il giudicio eterno,* scilicet Dei, *è tal a voi mortali,* idest, tam occultum et absconditum vobis hominibus, *quali son le*

---

(1) S. filiorum. (2) S. e E. mirandum ipsam aquilam.

mie note, scilicet, mei cantus, *a te che non le intendi,* quia ita est altus cantus meus, quod non [1] est intelligibilis, sicut dictum est jam sæpe supra de cantu aliorum spirituum. Et adverte quod per istam comparationem claram aquila significat profunditatem divini judicii, quod tamen est semper justum, licet non cognoscatur ab homine, sicut patebit sequenti capitulo de pagano salvato. — *Poi.* Hic autor ostendit quietationem motus et cantus illarum animarum constituentium aquilam, ut darent sibi spatium iterum loquendi cum autore. Dicit ergo: *Quei lucenti incendi,* idest, illi spiritus [2] splendentes et ardentes amore caritatis, *dello Spirito Santo poi si quietaro,* idest, quieverunt cessantes a motu et cantu, *ancor,* idest, iterum, quia primo quieverant, dum signum [3] fuerat loquutum autori, *nel segno,* idest, aquila signo romanorum; unde dicit: *che fe i romani reverendi al mondo,* quia scilicet sub illo signo triumphaverunt et vicerunt omnes nationes, sicut pulcre autor deduxit VI capitulo Paradisi. Et facti sunt [4] enim tam timendi quam reverendi virtute. Unde Quintilianus libro de causis et Policratus etc. — *Esso.* Hic autor describit loquutionem aliam aquilæ, dicens: *Esso,* scilicet, signum loquens in persona cæterorum, *ricominciò,* supple loqui et dicere istam generalem conclusionem, corollariam, ut credo: *chi,* idest, quicumque, *non credette in Cristo non salì mai a questo regno,* idest, nunquam ascendit regnum cœleste. Et declarat modum credendi necessarium ad salutem, dicens: *nè pria, nè poi che'l si chiavasse al legno,* idest, nec ante eius passionem, nec post. Ad quod sciendum, quod ante adventum Christi [5] si quis debebat salvari habebat necessario credere in Christum ven-

---

(1) E. non potest intelligi, sicut.
(2) E. illi lucentes seu splendentes spiritus et ardentes.
(3) S. dum per signum. (4) E. sunt non tam. (5) E. Jesu Christi.

turum: post adventum vero habet credere quod jam venit et redemit mundum. Unde omnes extracti de limbo supra crediderunt in Christum venturum; alii qui sunt salvati ab incarnatione citra crediderunt in Christum profectum, de quibus scribitur capitulo XXXII huius Paradisi.

Ma vedi. Ista (1) est quarta et ultima pars generalis, in qua dictum signum aquilæ redarguit reges christianos moderni temporis, qui iniuste regentes (2) deviant a regibus justis, qui sunt in ipso signo. Et primo vituperat in generali eos qui sunt christiani nomine et pagani re. dicens: *Ma vedi, molti gridan Cristo, Cristo* qui quotidie conferunt et disputant subtiliter de fide christiana, *che saranno in giudicio assai men prope,* idest. propinqui, *a lui,* scilicet Christo, *che tal che non conobbe Cristo,* sicut Indus de quo mota est quæstio. — *E tai.* Hic aquila confirmat dictum in speciali in regibus christianis, qui sunt hodie omnes vitiosi. Unde dicit: *E l' Etiope,* idest, illi de Æthiopia qui sunt in extremo meridiei, ita quod sunt nigri præ nimio calore, *danneran,* idest, damnare poterunt, *tai cristiani,* scilicet, falsos, *quando si partiranno in due collegi,* scilicet, salvandorum, et damnandorum; *l' uno,* scilicet, bonorum (3), *ricco in eterno,* beatitudine æterna, *l' altro,* scilicet, malorum, *inope,* idest, egenum æternaliter privatum visione Dei. Et subdit quod reges pagani merito poterunt improperare regibus christianis in die judicii, quando omnia peccata omnium erunt manifesta. Unde dicit interrogative: *li Persi,* idest, reges persarum qui sunt in oriente pagani, *che potran dire ai vostri regi,* quasi dicat: certe dicere poterunt, nos respectu vestri fecimus opera christiana, et vos pagana; et hoc dicere poterunt, *com' e' vedranno quel vo-*

(1) E. Hæc est. (2) S. viventes. (3) E. beatorum.

lume aperto, scilicet, librum Dei, in quo descripta sunt omnia delicta [1] hominum; unde dicit: *nel qual si scrivon tutti suoi dispregi*, idest, in quo volumine magno scribuntur omnes transgressiones hominum [2] qui spernunt mandata Dei. — *Lì si vedrà.* Hic aquila probat quod dixit inductive in singulis regibus christianis regnantibus tempore illo. Et primo servans debitum ordinem incipit a primo principe, scilicet Alberto imperatore qui tunc imperabat, contra quem autor fecit invectivam, supra VI capitulo Purgatorii; et describit ipsum a singulari malo quod fecit. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod Albertus prædictus induxit bellum contra regem Bohemiæ etc. ex quo regnum fuit destructum etc. Nunc ad literam dicit aquila: *Lì si vedrà*, scilicet, in illo libro Dei descriptum, *tra l' opere d'Alberto*, idest, inter alia opera iniusta Alberti, *quella*, scilicet, opus, *che tosto moverà la penna*, idest, aquilam signum imperii, *perchè il regno di Praga*, idest, regnum Bohemiæ, quod describit a principali civitate regali, scilicet Praga, ubi hodie imperator residentiam facit, *fia deserto*. — *Lì si vedrà.* Hic aquila describit primum magnificum regem christianitatis, scilicet regem Franciæ. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod iste fuit rex Philippus dictus Pulcer, qui multa impia fecit; de quo, quia maxima scelera scripsit in Purgatorio, ideo nunc describit eum ab uno solo scelere, scilicet ab eius avarissima vilitate, ad augendam eius infamiam, et ab eius morte crudeli. Construe sic literam et expone: *Lì si vedrà*, scilicet, in dicto libro, *il duolo*, idest, dolor, *che*, idest, quem dolorem, *quei che morrà di colpo di cotenna*, idest, Philippus rex Franciæ qui interficietur ab apro, *induce sopra Senna*, idest, Parisius, quam denominat a flumine suo. Est enim

---

(1) S. peccata vel delicta. (2) E. hominum spernentium mandata.

Senna fluvius qui labitur per Parisius, qui etc. Et dicit: *falseggiando la moneta,* quia Philippus faciebat fabricari monetam falsam. Et hic nota quod Philippus prædictus fuit interfectus ab apro in venatione; ideo dicit: *di colpo di cotenna,* idest, dente apri. Nam in vulgari florentino cotenna solum appellatur cutis porci grossa et setolosa: et per similitudinem cutis capitis hominis etiam, quia est grossa et pilosa. Ergo per cutim dat intelligi aprum, qui ipsum Philippum interfecit; et merito ab apro, animali feroci et superbo, occisus est homo tam ferox et superbus. — *Lì si vedrà.* Hic aquila describit secundum regem, scilicet Angliæ, quem, quia magnanimus erat, ut tetigit Purgatorii capitulo, nunc describit solum a superbia, dicens: *Lì si vedrà,* scilicet, in prædicto libro Dei, *la superbia ch' asseta,* idest, sitibundum facit; unde dicit: *che fa lo Scotto,* idest, regem Scotiæ, *e l' Inghilese folle,* idest, regem Angliæ Odoardum temerarium, qui, ut credo, erat rex utriusque insulæ; est enim Anglia insularum maxima in Oceano occidentali etc. Scotia vero etc. Et dicit: *sì che non può soffrir dentro a sua meta,* idest, intra terminos et litora suæ insulæ; quia scilicet non contentus proprio regno, invadit aliena regna. Et certe istud dictum est maxime verificatum diebus nostris, quia rex Angliæ invasit regnum Franciæ, et rege capto, totam fere regionem vastavit. — *Vedrassi.* Hic aquila describit duos alios reges potentes simul, quia ambo laborabant eodem morbo vitiorum, scilicet luxuria et mollitie, et ambo erant sine aliqua virtute. Dicit ergo: *Vedrassi,* scilicet, in eodem libro Dei, *la lussuria e il viver molle,* idest, vita voluptuosa, unde otiositas (¹) et voluptas etc., *di quel di Spagna,* scilicet, regis Alphonsi, qui tunc regnabat, qui etc., *e di quel di Buemme,* idest, Vincislai

(¹) E. animositas.

regis Bohemiæ, de quo dictum est Purgatorii capitulo VII: *cui lussuria et ozio pasce;* et dicit de utroque, *che mai non conobbe nè volle,* supple. cognoscere. *valor,* idest, virtutem. Peius enim est nolle cognoscere virtutem, quam simpliciter non cognoscere. — *Vedrassi.* Hic aquila describit alium regem, scilicet, Carolum regem Apuliæ, qui dictus est Claudus, cui adscribit unam virtutem, scilicet liberalitatem. Unde dictum est supra, quod rex Robertus avarus natus est ex patre liberali. Dicit ergo: *Vedrassi,* scilicet, in eodem libro Dei, *la sua,* idest, propria, *bontate segnata con un I,* quia habuit solum unam virtutem, scilicet, largitatis; et tamen per avaritiam vendidit filiam propriam Marchioni Estensi, de qua re scriptum est Purgatorii capitulo, *al Ciotto di Gerusalemme,* idest, Carolo Ciotto, qui intitulatur rex Jerusalem; qui titulus datus fuit patri eius Carolo duci Andagaviæ qui recuperavit Apuliam de manibus Manfredi. Et dicit: *quando un emme,* quod importat mille, *segnerà il contrario,* scilicet, mille vitia, quasi dicat: quod pro una virtute Carolus prædictus habuit mille vitia. Aliqui tamen exponunt aliter et sic: *quando un M,* scilicet, mille vitia, *segnerà 'l contrario,* idest, Soldani Babyloniæ, qui tenet Jerusalem. Sed ista expositio est aliena a mente autoris; sed sic colorant, qui volunt eum defendere et excusare. — *Vedrassi.* Hic aquila describit alium regem, scilicet, regem Siciliæ; regem quidem a vitiis, insulam vero a monte famoso, et ab una sepultura famosa. Hic autem fuit (1) dominus Fridericus filius Petri probissimi regis Aragonum, de quibus dictum est Purgatorii capitulo VII. Expone ergo sic literam: *Vedrassi,* scilicet, in præfato libro Dei, *l' avarizia e la viltate;* bene (2) vilitas concomitatur (3) avaritiam; nam omnis avarus vilis (4) et

(1) E. fuit Fridericus.
(2) E. unde vilitas.
(3) S. comitatur.
(4) E. est vilis et pusillanimis.

pusillanimus; *di quel*, scilicet, Friderici prædicti, *che guarda l' isola del fuoco*, idest, Siciliam, cuius mons est Ætna ardens, de quo dictum est supra, et alibi sæpe, et Inferni capitulo. Et nota, quod notanter dicit: *guarda*, quia tenet eam cum timore et solicitudine, quia ipse vilis et avarus male gubernat intra, et reddit se odibilem regnicolis; extra autem habebat guerram cum Carolo Ciotto prædicto. Et dicit: *dove Anchise finì la lunga etate*. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod sicut scribit Virgilius Eneidos, dum proficisceretur Eneas a Troia in Italiam, perdidit patrem suum Anchisem antiquissimum, cuius consilio omnia gerebat in illa longa peregrinatione sua; cui struxit pulcerrimum tumulum et instituit diversos ludos, qui annuatim celebrarentur in eius memoriam etc. Et subdit ad cumulum maioris verecundiæ (1): *e fien lettere mozze*, scilicet, singulæ pro partibus, *che noteranno molto*, scilicet suorum vitiorum, *in parvo loco*, idest, in modico spatio chartæ; et hoc *a dar ad intender quanto è poco la sua scrittura*, scilicet, per contrarium, quia multa mala dici possunt de eo in paucis verbis. Vel intelligas simpliciter, quod pauca (2) scriptura potest fieri de eo, quia habet paucas virtutes, quæ possunt notari per paucas literas truncas, scilicet I, quod importat unum, ut jam dictum est paullo supra. Sed prima expositio videtur melior, quia litera dicit: *che noteranno molto*; et ita non videtur posse pati talem intellectum. — *E parranno*. Hic aquila vituperat duos alios reges eiusdem sanguinis, scilicet, dominum Jacobum regem Aragoniæ fratrem dicti Friderici, et alium Jacobum regem Maioricæ patruum utriusque fratris, Friderici scilicet et Jacobi prædictorum. Unde dicit: *E l' opere sozze*, idest, opera vilia, *del Barba*, scilicet, domini Jacobi regis

(1) S. reverentiæ. (2) E. quia parva.

Maioricæ, *e del fratello,* scilicet, domini Jacobi regis Aragoniæ. Et dicunt aliqui, quod primus renuntiavit regno Siciliæ; alter vero permisit sibi auferri suam insulam a fratre suo Petro, qui tamen postea restituit eam sibi. Unde dicit: *che han fatto bozze,* idest, bastardas, *tanta egregia nazione,* idest, generosam prosapiam, de qua fuit ille Petrus armorum strenuissimus, *e due corone,* scilicet, scripta et manifestata in præmemorato libro Dei, scilicet regnum Aragoniæ et Maioricæ, *parranno a ciascuno.* — *E quel.* Hic aquila colligit tres reges simul, quorum duos describit simpliciter, tertium vero describit ab infami vilitate quadam; unde dicit: *E quel di Portogallo,* scilicet, rex; est enim Portus gallus unum de quinque regnis Hispaniæ, *e di Norvegia,* idest, rex Norvegiæ: est enim Norvegia regio in septemtrione in parte frigidissima vicina tramontanæ, ubi sunt dies brevissimi; et inde veniunt boni falcones, *si conosceranno lì,* idest, in præmemorato libro Dei; quasi dicat: etiam apparebunt vilitas et avaritia eorum, ibi. Et subdit: *e quel di Rascia,* supple, bene cognoscetur in illo libro, tamquam vilior et avarior prædictis; quod probat per evidentissimum signum extremæ vilitatis avaritiæ, dicens: *che male aggiustò 'l conio di Vinegia.* Hoc dicit quia falsificabat ducatos, quos cudit [1] nobilissima civitas Venetiarum. — *O beata.* Hic aquila describit duo regna, scilicet Hungariæ et Navarræ, quorum primum vacabat per mortem Andreæ, qui fuit filius Caroli Martelli, de quo multa dicta sunt supra capitulo IX huius Paradisi; ideo dicit: *O,* idest, dico, *beata Ungheria,* respectu aliorum regnorum, *se non si lascia più malmenare,* scilicet, a rege novo, quasi dicat: si non peiorat; et dicit: *o beata Navarra,* quia tunc carebat rege; sed quia recidebat tunc regnum

---

(1) S. condit.

in regem Franciæ, dicit: *se s' armasse del monte che la fascia,* idest, qui cingit eam, et a Gallia dividit, idest, fortilitiis suis. Quasi dicat: si præmuniret ita se, et provideret sibi, resistendo, quod non veniret sub manu francorum; et sic tacite prædicit quod perventura est ad [1] subiectionem eorum, quorum superbia vana est intolerabilis. — *E creder.* Hic ultimo aquila infamat regem cyprium, quem dicit vivere voluptuose tamquam bestiam. Unde dicit: *E creder dee ciascun che già per arra di questo,* idest, per signum huius vaticinii vel libri, *Nicosia e Famagosta,* per quas dat intelligi regnum Cypri. Est enim Nicosia civitas in Cypro quæ etc. Famagosta alia civitas maior et ditior, ad quam est communis concursus mercatorum; *si lamenti e garra,* idest, rixetur, *per la lor bestia,* idest, propter regem suum bestialiter viventem. Unde dicit: *che,* idest, qui rex, *non si scosta dal fianco dell' altre,* idest, non discordat, nec recedit a latere aliarum bestiarum, idest aliorum regum vitiosorum. Et vere non discohæret, et non dissociatur a vivere bestiali aliorum, immo vincit et excedit cum sua gente Cypri omnes reges et gentes regnorum christianitatis in superfluitate luxuriæ, gulæ, mollitiei, et in omni genere voluptatum. Sed velle describere genera epularum, sumptuositatem, varietatem, et nimietatem, fastidiosum esset narrare, et tædiosum scribere et perniciosum audire. Ideo viri sobrie et temperanter viventes debent [2] avertere oculos a videndo, et aures ab audiendo mores meretricales lubricos et fœtidos insulæ illius, quam permittente Deo nunc januenses invaserunt, expugnaverunt et male [3] mulctaverunt.

(1) E. ad manus eorum. (2) S. e E. deberent.
(3) E. male tractaverunt et mulctaverunt.

CANTUS VIGESIMUS, *in quo movetur altera quæstio et solvitur, et tangit de prædestinatione.*

Quando *colui che tutto 'l mondo alluma.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit aquilam signum justitiæ in corpore Jovis, quæ pertractavit unam quæstionem de profunda justitia Dei, et redarguit reges iniustos contrariantes regibus qui sunt in ipsa aquila; nunc consequenter in isto XX capitulo introducit dictam aquilam ad nominandum aliquot spiritus famosiores inter alios, ex quibus est composita ipsa aquila. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor describit dispositionem aquilæ et illarum animarum. In secunda aquila nominat quinque spiritus illustres, ibi: *La parte in me.* In tertia dictum signum solvit unum dubium quod nascitur pro duabus illarum animarum, ibi: *Et avvegna.* In quarta et ultima describit immensam profunditatem prædestinationis divinæ, ibi: *O predestinazion.* Ad primum ergo dico quod autor describit dispositionem aquilæ et ipsarum animarum; et primo exprimit manifestationem illarum animarum pro apparitione stellarum. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod autor volens ostendere quomodo animæ beatæ illius signi aquilæ manifestabantur singulæ, binæ, ternæ (1) in suis pusillis, facit comparationem nobilem et propriam de hoc; et fingit quod in mentem (2) suam venit ille actus quem facit cœlum quando sol tendit ad occasum, quia scilicet tunc ostendit stellas quæ sunt in eo. Ad propo-

(1) E. trinæ. (2) S. mente sua venit.

situm ergo autor vult sententialiter dicere, quod sicut sole vergente ad occasum propalantur stellæ in cœlo, ita aquila tacente omnes illæ (1) animæ se propalaverunt in ipso signo. Et præmittit autor actum ipsum, de quo facit comparationem, dicens: *Lo ciel che prima sol s' accende di lui,* idest (2), ista quo solo sole primo illuminatur de die, *subitamente si rifà parvente,* idest, apparens et illuminatum adveniente nocte, *per molte luci,* idest, lucidas stellas, *in che una risplende,* idest, in quibus stellis, *una stella,* scilicet, sol, resplendet, quia scilicet, omnes stellæ recipiunt splendorem a sole. Et hoc fit, *quando colui,* scilicet sol, *che alluma tutto 'l mondo,* quia sol illuminat omnia corpora superiora et inferiora, *si discende del nostro emisperio,* idest, facit suum occasum, quia tunc descendit a nostro hemisperio superiori ad alium hemisperium inferius, *che 'l giorno si consuma d' ogni parte,* quia scilicet, ubique fit nox. Et hic nota quomodo comparatio est propria; primo, quia sicut omnia sidera recipiunt lumen a sole, ita omnes istæ animæ ab aquila; secundo, quia sicut sole lucente in hemisperio nostro omnes stellæ latent, et (3) ipso recedente omnes apparent, ita aquila loquente, omnes animæ tacuerunt, et illa tacente omnes cœperunt canere et scintillare. — *E questo.* Hic autor applicat dictam comparationem ad suum propositum, dicens; *E questo atto del ciel mi venne a mente,* idest, occurrit meæ speculationi mentali, *come il segno del mondo,* idest, cum aquila quæ est universale signum mundi, *e de' suoi duci,* idest, principium mundi, ut totiens dictum est, *fu tacente nel benedetto rostro,* idest, imposuit finem suo sermoni, quem fecerat de vitiosis regibus christianis, loquens uno ore, vice, et nomine omnium aggregatorum in ipso corpore aquilæ ad con-

(1) S. aliæ.

(2) E. idest, quo solo sole.

(3) E. et occidente eo omnes.

silium. Et explicat ipsum actum animarum, dum subdit: *però che tutte quelle vive luci,* idest, vivaces et lucentes animæ, quæ repræsentabant ipsum signum aquilæ, *vie più lucendo,* scilicet, magis quam primo, *cominciaron canti,* et tangit excellentiam ipsorum cantuum, dicens: *labili e caduci da mia memoria,* quia non possem eos ad memoriam revocare, nec per consequens propalare, propter eorum altitudinem, sicut jam patuit sæpe de aliis cantibus. — *O dolce amore.* Hic autor quia non potest repræsentare altitudinem cantus illarum animarum, extollit vocem caritatis quæ resonabat in illis; unde exclamat cum admiratione et devotione, dicens: *O dolce amore,* scilicet, ardentis caritatis, *che t' ammanti di riso,* idest, velaris lætitia, *quanto parevi ardente,* quasi dicat, superexcellenter (1), *in quei favilli,* idest, sibilis, scilicet, in vocibus canoris illorum spirituum: unde dicit: *che aveano spirto solo di pensier santi,* idest, qui cantus movebantur solum a sanctis curis, non vanis, a quibus moventur cantus hominum amorosorum (2) in mundo isto. — *Poscia.* Hic autor descripto cantu illarum animarum, nunc describit apparatum aquilæ ad loquendum iterum, tacentibus illis; et primo describit discursum vocis per collum aquilæ per unam comparationem claram et propriam (3), et dicit: quod visum fuit sibi quod aquila faceret per gulam illud murmur, quod facit flumen bassum, cuius aqua clara labitur per mundas petras. Ordina et construe sic literam: *Udir mi parve un mormorar di fiume che scende chiaro giù di petra in petra,* indeficienter; unde dicit, *mostrando l' ubertà del suo cacume,* idest, copiosam venam montis a quo descendit, quia nunquam deficit sibi aqua. Et nota quod comparatio est propria ad propositum, quia sicut aqua pura

---

(1) S. superexcellentem. (2) E. vagabundorum.
(3) E. propriam, dicens, quod visum.

labitur cum levi murmure per flumen copiosum de lapide in lapidem pulcros et politos, ita vox clara discurrebat cum dulci resonamine per gulam abundantem aquilæ de spiritu in spiritum pulcros et lucidos, quos autor merito assimilat petris, quia fuerunt velut petra firmi et constantes in justitia, et fuerunt sicut lapides splendidi, pretiosi. Unde subdit: *poscia ch' i cari e lucidi lapilli,* idest, illi spiritus clari et gloriosi, *ond' io vidi ingemmato il sesto lume,* idest, ex quibus lapillis ego vidi adornatum planetam Jovis, qui est sextus planeta pulcer et luminosus, *poser silenzio agli angelici squilli,* idest, cantibus sive sonis, quasi dicat: postquam cessaverunt ab eorum angelico cantu; nam ab angelis recipiunt formam sui cantus. — *E come.* Hic autor describit formationem vocis illius aquilæ per duas comparationes proprias; et breviter vult dicere quod sicut cithara capit suum sonum in tastis, et symphonia in foraminibus, ita aquila cepit suam vocem per cannam gutturis, quasi vacuam. Construe sic literam et expone: *E quel mormorar,* idest, resonamen vocis, *rimosso d'aspettare indugio* quasi dicat, sine interpositione moræ, *salissi dell' aquila,* ab illis spiritibus componentibus corpus eius (1), *su per lo collo come fosse bugio,* idest, perforatum, *così come suono prende sua forma al collo della cetra;* et est propria comparatio, quia sicut in cithara colligitur dulcis sonus ex multis chordis qui formatur in collo, ita dulcis vox in aquila colligebatur ex multis vocibus animarum et formabatur in collo (2). Et adducit aliam comparationem, dicens: *e sì come vento che penetra,* idest, pertransit per foramina collectus primo intra pellem inflatam, supple et repete, prendit suam formam, *al pertugio della sampogna,* idest, ad formam symphoniæ in collo; et est

(1) E. illius. (2) E. in collo aquilæ. Et.

etiam hæc propria comparatio; quia sicut in symphonia exit dulcis sonus ex aere collecto intra pellem, et erumpit per foramen fistulæ, ita a simili in aquila ex spiritu concepto inter ipsam exalabat vox dulcis per collum et emittebatur per os. Et subdit emissionem ipsius vocis, dicens: et illud murmur prædictum, *fecesi voce quivi,* scilicet, in dicto collo, *e quindi,* scilicet, in dicto collo, *uscissi per lo suo becco,* et dicit: *in forma di parole, quali aspettava il cuore ov' io le scrissi,* quasi dicat: et dixit mihi verba desiderata, quæ ego bene notavi, et postea descripsi. Desiderabat autor habere notitiam aliquorum spirituum excellentiorum de illa spera joviali sicut supra in aliis speris.

La parte in me. Ista est secunda pars generalis [1], in qua autor describit quosdam spiritus illustriores in dicto signo aquilæ. Et primo reddit auditorem attentum ad videndum et notandum spiritus illustres [2] nominandos; et ad evidentiam dicendorum volo [3] præconsiderare quod autor in præcedenti capitulo vituperavit principes præsentis temporis, quibus est commissum et permissum gubernaculum regni christiani, qui dicunt eorum vitam fundatam vitiis, quia [4] deberet esse lucida virtutibus, ut præstarent bonum exemplum subditis. Hic e contra intendit glorificare principes [5] qui propter bonam et justam gubernationem regnorum meruerunt summam gloriam in terris, et æternam felicitatem in cœlis; ideo introducit in oculo aquilæ, tamquam in organo nobiliori et vivatiori, sex principes excellentes in virtute justitiæ. Ad propositum ergo dicit autor: et illa aquila, *incominciommi,* idest, incœpit, supple dicere mihi: *la parte,* scilicet, oculus, *che vede e pate il sole nell' aquile*

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) E. illustriores.
(3) E. volo te præconsiderare.
(4) E. quæ.
(5) E. quosdam principes.

mortali, quia visus aquilæ in mundo isto est tam potens et fortis, quod solus videt et pati potest radios solares; ergo multo fortius illa aquila immortalis videt et videre potest radios solis justitiæ, scilicet Dei, *or si vuol riguardar fisamente in me;* et subdit causam quare præcipue oculus sit inspiciendus in ea; quia constitutus est ex excellentioribus spiritibus; unde dicit: *perchè de' fuochi ond' io figura fommi,* idest, ex spiritibus ardentibus ex quibus sum figurata et confirmata, *quelli, onde l' occhio mi scintilla in testa,* idest, illi spiritus splendidiores, ex quibus oculus compositus est, *son li sommi di tutti i loro gradi,* quasi dicat: sunt viri summi et maximi. — *Colui.* Hic aquila incipit numerare singulariter sex spiritus in oculo suo. Et primus quem nominat est David, quem tamquam dignissimum collocat in medio pro pupilla, quia fuit rex justus, propheta maximus et bellator fortissimus; dicit ergo: *Colui che luce in mezzo,* scilicet oculi, *per pupilla,* idest, tamquam pupilla, *fu il cantor dello Spirito Santo,* idest, David qui Spiritu Sancto inspiratus cecinit, idest, prophetavit futuram incarnationem, passionem etc. Potest etiam dici cantor, quia descripsit psalmos suos in stilo metrico, sed ex translatione non fuit servata lex metri; tamen evidens signum huius extat, quod psalmi adhuc retinent quamdam formam metri: sunt enim distincti per versiculos etc., ideo bene appellat eum cantorem, quia carmina cantantur, et habent in se legem musicæ. Et describit [1] ipsum specialiter a quodam actu humilitatis, dicens: *che translatò l' arca,* idest, arcam fœderis, de qua translatione scriptum est Purgatorii decimo capitulo, *di villa in villa,* scilicet, de domo Aminadab, qui erat in Gabaon, usque ad civitatem David. Et subdit quod nunc gaudet in præmio sui la-

---

[1] E. describit eum.

boris, dicens: *ora conosce il merto del suo canto in quanto affetto fu,* idest, in quanta affectione et quam ferventi fuit, *del suo consiglio,* scilicet, æterni consilii, *per lo remunerar ch' è altrettanto,* idest, propter condignum præmium quod correspondet ipsi merito; quasi dicat: cognoscit quantitatem sui meriti per quantitatem præmii quo nunc fruitur. — *De' cinque.* Hic aquila nominat secundum spiritum sive principem justum, scilicet Traianum imperatorem, quem describit a singulari virtute justitiæ, dicens: *Colui de' cinque che mi fan cerchio per ciglio,* idest, qui faciunt mihi circulum circa oculum, *che più mi s' accosta al becco;* in extremo angulo oculi, *consolò la vedovella del figlio,* de ista satisfactione justitiæ dictum est diffuse capitulo decimo Purgatorii. Et quia Traianus fuit paganus, ideo subdit quantum periculum sit animæ non credere Christum, dicens: *ora conosce quanto costa caro non seguir Cristo,* quia scilicet, stetit in infernali angustia per quingentos annos, scilicet, a die mortis usque ad tempus Gregorii. Unde dicit: *per la esperienza di questa dolce vita, e della opposta,* idest, contraria, scilicet, infernali, in qua stetit antequam resurgeret; quia Traianus habuit experientiam de qualitate inferni et felicitate paradisi; quasi dicat: nunc videt, quod nisi fuissent preces Gregorii esset alibi et extra tantam gloriam; nec mireris, lector, si autor iterum repetit laudes Traiani, de quo tam prolixe fecerat tractatum in Purgatorio, quia iste fuit optimus omnium Augustorum etc. — *E quel.* Hic aquila nominat alium regem justum, scilicet Ezechiam prophetam, de quo scribitur libro Isaiæ et libro Regum, qui nuntiata sibi morte ab angelo prorupit in planctum et lacrymas, dicens: *Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi;* cuius lacrymis et precibus Deus prolongavit spatium quindecim annorum. Dicit ergo: *e quel che*

segue in la circonferenza, scilicet, dicti circuli post Traianum, *di che ragiono,* idest, de quo circulo nunc loquor, *per l' arco superno,* idest, per supercilium, *indugiò morte per vera penitenza.* Et quia visa est revocari sententia divina in isto, ideo subdit: *ora conosce che il giudicio eterno non si trasmuta, perchè degno preco fa crastino laggiù dell' odierno,* idest, differtur tempus faciendo de die hodierna crastinam. Idem dixit autor Purgatorii capitulo primo, ubi dixit: *che cima di giudicio non s' avvalla,* etc. Quomodo autem hoc fit, considera; tamen dici potest quod sententia data in Ezechiam non erat diffinitiva, sed interloquutoria. — *L' altro.* Hic aquila nominat alium principem justum scilicet Constantinum, quem describit ab editione legum et damnabili dotatione ecclesiæ, dicens: *L' altro,* scilicet, Constantinus, *che segue con le leggi,* vel quia fecit leges imperiales, quibus contulit omnes imperiales dignitates papæ; de compositione et reformatione legum dictum est VI capitulo huius Paradisi, et dicatur hic de origine juris; et dicit: *e meco,* quia ipse fuit qui transtulit aquilam in orientem, ut habes VI capitulo huius Paradisi, ubi dicitur: *Poscia che Constantin l' aquila volse, si fece greco,* quia ivit ad standum in Græciam, ut dictum est, *per cedere al pastor,* idest, ut locum daret papæ; et dicit: *sotto buona intenzion che fe' mal frutto,* quia, scilicet, sequuta est inde depravatio prælatorum ecclesiæ, sicut autor dicit Inferni capitulo: *Ahi Constantin* etc. Et quia talis donatio facta per Constantinum ecclesiæ fuit destructio mundi, secundum opinionem autoris et multorum, ideo ne crederetur ex hoc diminui præmium Constantini, subdit, quod malus effectus, qui sequitur ad bonam mentem, vel intentionem et operationem, non meretur pœnam: unde dicit: *ora conosce come il mal dedutto dal suo ben operar non gli è nocivo,* quia, scilicet, non præiudicat gloriæ eius, *avvegna che il*

mondo sia distrutto indi, sicut autor scripsit finali capitulo Purgatorii; ad quod novissimus Petrarcha: æternum (¹) gemat ille miser etc. — *E quel.* Hic aquila nominat alium regem, scilicet Guilelmum, qui fuit ultimus rex Siciliæ de successoribus Roberti Guiscardi; qui Guilelmus fuit avus Constantiæ, de qua dictum est Purgatorii capitulo, et Paradisi capitulo. Iste siquidem fuit optimus regum sui temporis in justitia, liberalitate, clementia, et omni virtute heroica. Regnavit in Sicilia in MCLIIII etc. Dicit ergo: *E quel che vedi nell' arco declivo,* idest, in inferiori parte circuli, *fu Guiglielmo cui,* idest, cuius mortem, *quella terra plora,* idest, Sicilia plangit; et dicit: *che piange Carlo e Federico vivo,* quia scilicet Carolus Ciottus qui tunc regnabat, faciebat sibi de foris guerram, et dominus Fridericus intus gravabat ipsam cum sua vilissima avaritia; vel dic quod plorat Carolum mortuum patrem dicti Ciotti, qui perdidit ipsam Siciliam, quam oppresserat per iniustitiam et tyrannicam avaritiam, ut scriptum est supra capitulo huius Paradisi. Et quia hic Guilelmus fuit justissimus, ideo subdit bonum effectum ipsius justitiæ. Et hic nota de justitia mirabili in pulcro Zerbino filio suo, dicens: *ora conosce come lo ciel s' innamora del giusto rege,* idest, quantum in cœlo amatur justitia regalis. Et dicit quod ostendit per evidens signum fulgentem gloriam quam recipit pro sua justitia, dicens: *et ancora il fa vedere,* idest, facit hoc manifestum videri, *al sembiante,* idest, apparentiam, *del suo fulgore,* idest, eius præclari splendoris (²). — *Chi crederebbe.* Hic aquila ultimo nominat ultimum spiritum in dicto oculo (³), scilicet quemdam Ripheum troianum. Ad cuius evidentiam est præsciendum, quod, sicut scribit Virgilius in Eneidis, capta Troia a græcis Eneas, armata manu succurrit

(¹) E. dicit: æternum. (²) E. splendoris prædicti. — *Chi.* (³) E. circulo.

regi Priamo ad palatium suum, qui occurrens hostibus pugnavit acriter cum illis; in qua pugna multi ceciderunt, inter quos fuit iste Ripheus miles troianus, quem singulariter Virgilius laudibus extollit, dicens: *cadit et Ripheus justissimus armis* etc. Nunc ad literam: quia aquila videtur dictura rem incredibilem, ideo petit cum admiratione: *Chi crederebbe?* quasi dicat, nullus, *giù nel mondo errante,* idest, in mundo mortali ignorantia et errore pleno, *fosse la quinta delle luci sante Rifeo troiano,* quia quinque animæ illustrium virorum et sanctorum faciunt oculum, et sexta, scilicet, David, ponitur pro pupilla. Unde dicit: *in questo tondo,* idest, circulo vel cilio dicti oculi aquilæ. Et quia iste Ripheus videtur habuisse singularissimam gratiam a Deo, occultissimam hominibus quia infidelis, paganus per longa sæcula ante adventum Christi, videtur salvatus; ideo subdit: et ille Ripheus: *ora conosce assai di quel della divina grazia che 'l mondo veder non può,* idest, homines mundani videre non possunt. Et hic nota quod multos damnamus quos Deus justificat etc., et multa corpora sanctorum celebrantur in terris (1) et cætera, sicut patuit in Zapelecto de Burgundia etc., et hodie in Urbano V. Et dicit: *benchè sua vista,* idest, quamvis sua visio, *non discerna il fondo,* idest, profunditatem divinæ (2) gratiæ; quasi dicat: quamvis dixerim quod multum videat nunc de divina gratia, non tamen credas quod videat totum, ita quod attingat fundum; et hoc forte voluit dicere in præcedenti capitulo: *dunque nostra veduta;* et hic nota quod autor profunde facit istam fictionem de salvatione Riphei, per quam subtiliter dat intelligi profunditatem divinæ gratiæ, quæ interdum se extendit ad hominem infidelem et paganum,

(1) 4, terris quorum animæ cruciantur in inferno etc., sicut patuit.
(2) E. dictæ.

et inspirat illi veram credulitatem fidei per quam salvatur. Unde ista fictio est quædam responsio ad id quod dicebatur supra de justo et virtuoso qui nascitur ad ripam Indi; ideo bene autor introducit unum infidelem paganum Ripheum, de quo minus videtur quod debuerit salvari ratione temporis, quia fuit per multa annorum sæcula ante adventum Christi; ratione loci, quia fuit de Troia in oriente, ubi viguit tempore illo alta superbia; ratione sectæ, quia fuit gentilis paganus non hebræus. Breviter ergo autor vult dicere ex ista fictione talem conclusionem, quod talis vir paganus, de cuius salvatione non sperabatur, est salvabilis. Quod ista autem sit intentio autoris satis declaratur infra, ubi dicit: *o predestinazion.* Verumtamen autor elegit potius istum nominatim quam alium, quia Virgilius fecerat singularem commendationem de justitia eius, ut jam patuit ex dictis. — *Qual lodoletta.* Hic autor describit quietationem aquilæ per unam comparationem claram; et dicit, quod illa aquila habuit se tamquam alauda, idest, a cantu suo, quia alauda primo cantando aliquandiu spatiatur per aerem, deinde tacet quasi satiata ultima dulcedine; ita a simili aquila aliquantum loquuta est cum autore, deinde fecit silentium, quasi contenta ultima loquutione sua. Nunc construe sic literam: *L' imago della imprenta,* scilicet aquila ibi impressa et figurata, *dell' eterno piacere,* scilicet divinæ voluntatis quæ imprimit justitiam in illo planeta Jovis, *al cui disio,* scilicet prædictæ voluntatis divinæ, *ciascuna cosa diventa qual ella è,* quia secundum placitum (1) divinæ voluntatis efficitur talis qualis est, quia quicquid est ab eo est, *mi sembrò tal,* idest, est visa mihi talis, *qual lodoletta,* supple, videtur, *che in aere si spazia,* idest, quæ vagatur aliquantulum per aerem, *e*

---

(1) E. beneplacitum.

poi tace contenta dell' ultima dolcezza che la sazia, quia scilicet non vult amplius canere, etc.

Et avvegna. Ista est tertia pars generalis [1], in qua dictum signum aquilæ pertractat et solvit quæstionem, quæ nascitur de duobus prænominatorum spirituum, et primo describit suam ardentem affectionem; et breviter vult dicere quod quamvis illæ animæ clare viderint dubitationem suam in mente eius, tamen non potuit expectare quod illæ tangerent ipsum dubium; immo festine prævenit eas. Dicit ergo: *Et io non patio,* idest, non passus fui, non sustinui, *aspettar tempo,* quo ipsæ animæ loquerentur, *tacendo, avvegna che io fossi lì al dubbiar mio,* idest, quamvis essem talis ad dubium meum ostendendum, *quasi vetro,* idest, transparens velut vitrum vel speculum, *allo color che 'l veste,* quasi dicat: sicut color apparet in vitro, ita dubium meum apparebat in me illis animabus; quasi dicat, quod illæ animæ beatæ clare videre poterant et videbant in eo quæstionem, quam movere volebat circa animas duorum, et tamen non potuit expectare. Unde dicit: *ma,* illud dubium meum, *mi pinse della bocca: che cose son queste?* scilicet, quod pagani viri sint in cœlo? Videbatur enim autori audire contradictionem expressam, quia supra dictum erat in præcedenti capitulo a prædicta aquila: *a questo regno non salì mai chi non credette in Cristo:* ergo quomodo ista se invicem compatiuntur? Ideo bene dicit: *con la forza del suo peso,* quia istud dubium visum est sibi valde ponderosum. Et subdit quod ad ista verba illæ animæ fecerunt magnum festum in splendore suo. Unde dicit: *perch' io vidi gran feste di corruscare,* idest, scintillare, quia dubium istud tangebat profunditatem divinæ justitiæ, propter quod animæ justorum sic lætantur. — *Poi.* Hic

---

[1] E. generalis huius capituli, in qua autor exponit suum dubium et dictum.

autor intendit ponere responsionem aquilæ et introducit eam, quæ primo tangit bonam intentionem autoris. Unde dicit: *Poi appresso,* quasi dicat, paullo post, *lo benedetto segno,* scilicet, ipsius aquilæ beatæ, *mi rispose con l' occhio più acceso,* idest, oculo eius magis illuminato, quia scilicet creverat splendor eius, *per non tenermi sospeso in ammirare,* idest, ne teneret me pendulum in admiratione dicti dubii [1]. — *Io veggio.* Hic aquila exprimit bonam intentionem autoris, dicens: *Io veggio che tu credi queste cose perch' io le dico,* et bene facis tamquam bonus christianus, non durus ad credendum ea quæ sunt fidei, *ma non vedi come,* quasi dicat: non vides rationem quomodo hoc esse possit, *sì che sono ascose,* idest, latentes tibi. *se son credute,* et declarat dispositionem autoris per comparationem notam, subdens: *fui come quei che apprende bene la cosa per nome, ma non puote vedere la sua quiditade,* idest, non potest cognoscere suam essentiam, *per sè s' altri non la prome,* idest, explicet et pandat sibi. — *Regnum.* Hic aquila intendens ad solutionem quæstionis facit unam præsuppositionem, quæ facit ad declarationem dubii; et sententialiter vult dicere in effectu, quod duo sunt quæ vincunt Deum, scilicet caritas et spes, quæ duæ virtutes vincunt divinam [2] voluntatem; quomodo autem hoc fiat declarat in litera. Adducit ergo verba evangelii, quæ scribuntur Matthæi XI capitulo dicens: *Regnum cœlorum pate,* idest, patitur, *violenzia,* idest, vincitur, superatur, *da caldo amore,* idest, ab ardenti amore caritatis, *e da viva speranza, che vince la divina volontate,* quia scilicet, Deus vult quod paganus damnetur, et tamen ista voluntas permisit se vinci a caritate Gregorii et spe Riphei; et quia istud dictum videbatur absurdum, restringit ipsum et declarat quomodo debeat

(1) E. dubii mei. — *Io.* (2) E. dominicam.

intelligi, subdens et respondens tacitæ quæstioni, *non a guisa che l' uom sovranza all' uomo,* idest, non eo modo quo unus homo superat et facit vim alteri, *ma vince lei,* idest, sed illa caritas et spes vincit ipsam divinam voluntatem, *perchè vuole esser vinta,* idest, et divina voluntas sic victa, *vince con sua beninanza,* idest, sua benignitate. Et ad intelligendum plene talem modum vincendi consideretur exemplum in nobis. Aliquando enim accidit, sicut [1] Aristoteles scribit nono Ethicorum, et in me aliquando sum expertus, quod unus amicus aliquando habet contentionem et disputationem cum amico super aliqua re, et vincit et convincit ipsum ratione; tamen ex curialitate et placibilitate ne ille rubore confundatur, conceditur [2] sibi victoriam causæ, et sic victor vult vinci, et tamen de rei veritate vincit; ita est in proposito [3]. — *La prima.* Hic aquila facta ista positione explicat ipsam quæstionem autoris, dicens: *La prima vita del ciglio,* idest, anima Traiani quæ est prima cilii, nam David est in medio pro pupilla, *e la quinta,* idest, anima Riphei, *ti fan maravigliare,* idest, dant tibi causam mirandi et dubitandi, *perchè ne vedi la region degli angeli dipinta,* idest, quia vides eos adornantes cœlum, quod est patria angelorum; quasi dicat: quia vides eos in ista cœlesti beatitudine. — *De' corpi.* Hic aquila respondet quæstioni propositæ, et dicit breviter: certe tu non debes mirari de salvatione istorum, quia animæ eorum *non uscir di corpi gentili,* idest, non mortui sunt pagani, *come credi, ma cristiani in ferma fede,* scilicet, christiana. Et dicit: *quel,* scilicet, Ripheus in fide, *de' piedi passuri,* idest, quia credidit adventum Christi qui debebat pati, *e quel,* scilicet, Traianus, in fide, *de' piedi passi,* quia credidit

---

(1) E. prout. (2) E. e S. concedit.

(3) E. proposito nunc nostro quomodo vincatur Deus caritate et spe. — *La prima.*

Christum jam venisse et passum fuisse. — *Chè l' una.* Hic aquila declarat dictum suum in utroque, et primo in Traiano, dicens: *Chè l' una,* scilicet, anima Traiani, *tornò all' ossa,* idest, suscitata est, *dall' Inferno u' non si riede,* idest, in quo inferno non reditur, *giammai a buon voler,* quia ibi non est amplius pœnitentiæ locus, ut sæpe dictum est in libro Inferni; et quia anima semper in inferno stat obstinata in ea dispositione qua moritur. Et reddit causam huius suscitationis, dicens: *et ciò fu mercede di viva speme;* unde exponens sic repetit: *di viva speme,* idest, vivæ spei, dico, *che mise sua possa nei prieghi fatti a Dio per suscitarla,* idest, quæ viva spes Gregorii fecit, cuius preces efficaces ad suscitandum ipsum [1], ut ageret pœnitentiam de commissis et salvaretur. Unde dicit: *sì che sua voglia potesse esser mossa,* ut tandem moveretur, quia dictum est in Inferno nunquam reditur ad bonum velle. Ideo Traianus quandiu fuisset in inferno non poterat moveri ad bonam voluntatem, sed suscitatus ad preces Gregorii redivit ad bonum velle; et sic qui fuerat justus paganus factus est bonus christianus. — *L' anima.* Hic aquila describit conversionem et emendationem Traiani, dicens: *l' anima gloriosa,* idest, gloriosi principis Traiani, *tornata onde si parla,* idest, reversa ab inferno, de quo hic loquor, *nella carne,* quasi dicat, suscitata a morte ad vitam, *in che fu poco,* quia parum stetit in vita, *credette in lui,* scilicet, in Christum, *che potea aiutarla.* Et subdit: et illa anima Traiani, *credendo, s' accese in tanto fuoco,* idest, tanto ardore, *di vero amore ch' alla morte seconda,* quia si suscitata necessario mortua est bis, *fu degna di venire a questo giuoco,* idest, ad cœlestem beatitudinem in isto signo justitiæ, sub quo feliciter trium-

---

(1) 4, eum.

phaverat in prima vita. — *L' altra.* Hic aquila describit salvationem alterius animæ, scilicet Riphei; et breviter dicit, quod ex singulari infusione divinæ gratiæ et dono Dei posuit totum suum studium ad justitiam in mundo; et propter hoc Deus immisit in eius intellectum quod debebat mittere suum filium ad incarnandum propter redemptionem humani generis. Dicit ergo: *L' altra,* scilicet, anima Riphei, *pose tutto suo amore laggiù,* scilicet, dum viveret in mundo mortali, *a drittura,* idest, ad æquitatem justitiæ, *per grazia,* scilicet, divina, *che stilla,* idest, derivat, *da sì profonda fontana,* scilicet, a bonitate Dei, *che mai creatura non pinse l'occhio insin alla prima onda,* idest, quod nunquam intellectus creatus sive angelicus, sive humanus potuit penetrare usque ad fundum talis fontis. Et subdit quomodo ex prima gratia quæ concesserat sibi tantum amorem ad justitiam devenit ad secundam gratiam cognoscendi redemptionem futuram. Unde dicit: *perchè Dio di grazia in grazia gli aperse l' occhio,* idest, illuminavit intellectum clausum sibi et aliis paganis, *alla nostra redenzion futura,* quam Christus (1) facturus erat. Et subdit ipsam credulitatem, dicens: *onde credette in quella,* scilicet, redemptionem. Unde dicit: *e non sofferse più da indi,* idest, post quam habuit talem illuminationem, *il puzzo del paganesmo,* idest, infidelitatis, quæ inficit animam. Et hic nota quod illi infideles gentiles de rei veritate faciebant in honore (2) deorum suorum multa fœda non solum offendentia Deum verum, sed etiam corrumpentia bonos mores hominum; et non solum illi pagani orientales, sed etiam græci et romani qui fuerunt civiliores, sicut multipliciter Augustinus de Civitate Dei, de arcadibus apud græcos, et de ludis scenicis apud romanos et de muliere coronante veretrum apud Lavinium.

(1) E. Jesus Christus. (2) S. e E. honorem.

Et dicit: *e riprendeane le genti perverse,* idest, paganos perverse colentes illos deos suos. — *Quelle.* Hic aquila facit antiphoram: poterat enim autor obiicere: quomodo iste salvatus est sine baptismo? respondet: *quelle tre donne,* scilicet, fides, spes et caritas, *che tu vedesti dalle destra ruota,* scilicet in paradiso deliciarum, ut scriptum est Purgatorii capitulo, *gli fur per battesmo.* Ad cuius intelligentiam est notandum, quod triplex est baptismus, scilicet flaminis, sanguinis et aquæ etc. Et dicit: *dinanzi al battezzar più d' un millesmo.* Et bene dicit, quia ab excidio Troiæ usque ad ædificationem Romæ fuerunt anni quadrinquenti quatuordecim, et ab ædificatione Romæ ad nativitatem Christi anni septingenti quinquaginta duo; postea a nativitate Christi usque ad eius baptismum anni secundum Orosium tres.

O predestinazion. Ista est quarta et ultima pars generalis (1), in qua autor describit profunditatem divinæ justitiæ. Unde fingit quod aquila finita narratione sua de Ripheo, qui ita (2) salvatus est, prorumpat in unam exclamationem admirativam, dicens: *O predestinazion,* scilicet, divina, *quanto la tua radice,* idest, profunditas, *è rimota da quegli aspetti,* idest, a consideratione hominum, quia a nobis non potest fieri ratiocinatio de ipsa; unde dicit: *che non veggion tutta la prima cagion,* quia scilicet prima causa, unde prædestinatio movetur, non videtur tota. — *E voi.* Hic aquila dat optimum consilium circa judicationem; et assignat rationem arguens a minori, quia quod non possunt beati immortales, multo fortius non possunt miseri mortales; unde dicit: *E voi mortali,* idest, tu Dantes et alii homines, qui estis ita prompti ad judicandum, *tenetevi stretti a giudicare,* ne relaxetis ita frænum, *chè noi che Dio vedemo non co-*

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) E. e 4, ita occulte salvatus est.

nosciamo ancor tutti gli eletti, idest, numerum prædestinatorum, quia Deus reservat [1] sibi hoc. Et subdit removens dubitationem, quod talis diminutio non videtur eis gravis, immo suavis, dicens: *e così fatto scemo,* quale est non videre numerum electorum, *ènne dolce,* idest, est nobis gratum; sed assignat causam, dicens: *perchè 'l ben nostro,* idest, beatitudo nostra, *s' affina in questo bene,* idest, perficitur in hoc bono, scilicet, *che e noi volemo quel che vuole Dio,* idest, quod voluntas nostra conformatur voluntati divinæ, sicut ostensum est tertio et septimo capitulo Paradisi. — *Così.* Hic autor concludit narrationem, dicens: *soave medicina,* idest, dulcis persuasio quæ habuit medicare vel curare temeritatem judicandi, quæ est magna infirmitas mentium humanarum; *così data mi fu,* scilicet, sicut dictum est, *da quella imagine divina,* idest, ab aquila, quæ poetice loquendo est avis Jovis, vel anagogice, quia facta est ex illis divinis spiritibus; et dicit: *per farmi chiara la mia corta vista,* idest, meam cognitionem intellectualem quæ non videbat tantum de judicio divino. — *E come.* Hic autor volens finire capitulum describit magnam festivitatem, quam fecerant illæ duæ animæ, de quibus habitus fuit longus sermo, per unam comparationem claram et propriam. Et breviter dicit quod sicut bonus citharista concordat cum bono cantore, ita quod qualitas cantus correspondet qualitati soni consonanter ad maiorem delectationem; ita a simili illæ duæ animæ, scilicet Traiani et Riphei, concordanter scintillabant, donec aquila loquuta fuit de eis, et conformabant proportionaliter scintillationes eorum cum verbis ipsius aquilæ. Construe sic literam: *e mi ricorda ch' io vidi le duo luci benedette,* scilicet primam et quintam, *muover le fiammette,* idest, scintillationes, *con le parole,*

---

[1] E. reservavit.

scilicet, ipsius aquilæ, a simili, *pur come batter d' occhi*, quia similes æqualiter clauduntur et aperiuntur, sicut dictum est de hoc supra, *mentre che parlò,* idest, donec illa aquila loquuta fuit; et hæc vidi facere dictas duas animas, *sì come buon citarista fa seguitar lo guizzo della corda a buon cantore,* quasi dicat: sicut bonus citharedus conformat sonum suum perite cantui boni cantoris: et dicit: *in che lo canto acquista più di piacere*, quia sicut patet ad sensum magis delectat audientes cantus mixtus cum sono, quam solus cantus et solus sonus per se. Et ita in proposito plus gaudii recipiebat autor ex loquutione aquilæ sociata cum scintillatione illarum animarum, quam fecisset ex loquutione sola et scintillatione sola; et sic perpendere potes quomodo dicta comparatio apte ancillatur huic proposito. Deo gratias. Amen.

CANTUS VIGESIMUS PRIMUS, *in quo ponitur ascensus ad speram Saturni, in qua introducuntur spiritus contemplativi.*

Già eran gli occhi miei rifissi al volto. Postquam in superiori capitulo præcedenti autor noster descripsit spiritus illustres de spera Jovis, qui meruerunt felicitatem æternam per vitam activam civiliter et politice, et juste administrantes regna et dominia mundi; nunc consequenter in isto XXI capitulo intendit tractare de animabus quæ servierunt (1) Deo per vitam contemplativam remotæ ab omni strepitu sæculi: quæ quidem animæ virtuosæ sequutæ sunt influentiam Saturni. Et præsens capitulum breviter potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor describit ascensum suum ad speram Saturni et signum scalæ, et spiritus qui apparent ibi in generali. In secunda introducit unum spiritum contemplativum, cui movet aliqua dubia quæ ille solvit, ibi: *E quel che presso.* In tertia movet sibi aliam (2) quæstionem quæ nascitur ex solutione unius dubii, ibi: *Io veggio ben.* In quarta et ultima dictus spiritus ad petitionem autoris propalat se, et vituperat incidenter pastores modernos ecclesiæ, ibi: *Sì mi prescrisser.* Ad primum veniens dico, quod autor describit suum ascensum ad speram Saturni; et primo continuans dicta dicendis prætangit excellentiam istius septimæ speræ, dicens: *Gli occhi miei,* scilicet, intellectus et ratio, *già eran rifissi,* idest, reversi et revoluti, *al volto della mia donna, e l' animo con essi,* quasi dicat: toto animo

---

(1) E. quæ surrexerunt Deo. (2) E. aliquam.

converteram me ad ipsam; unde dicit: *e da ogni altro intento s'era tolto,* quasi dicat: sufficienter erat tractatum de spera Jovis et Jovialibus quantum patitur præsens materia huius operis; ideo converti me ad Beatricem ut scirem quid facere deberem. — *Ed ella.* Hic autor describit superexaltationem Beatricis; et ad ostendendam eius pulcritudinem immensam pulcre fingit, se non vidisse eius lætitiam et luciditatem superexaltari, sicut erat solitus semper videre in ascensu aliarum sperarum; de qua re Beatrix se excusat, assignans causam huius ex parte debilitatis autoris, qui deficeret sub nimio pondere lætitiæ et luciditatis immensæ; quod declarat per similitudinem propriam de Semele. Ad cuius intelligentiam est breviter præsciendum quod Semele, de qua facta est mentio Inferni capitulo, fuit filia Cadmi ducis thebani (1), cum qua Jupiter concubuit; quæ prægnans ex Baccho petivit ab Jove etc. Nunc ad literam autor (2): *Ed ella,* scilicet Beatrix, *non ridea,* idest, non ostendebat mihi risum, idest, lætitiam suam modo solito, *ma incominciò,* idest, sed illa Beatrix cœpit, supple, dicere mihi: *s'io ridessi,* idest, si propalarem tibi excellentem lætitiam meam, *tu ti faresti,* idest, deficeres, *qual fu Semele,* scilicet, ex fulminatione Jovis; unde dicit: *quando fessi di cenere,* quasi dicat: non posses aliter sustinere radios mei splendoris sine morte quam potuerit Semele sustinere fulgur Jovis. Et ut magis clareat ista similitudo Semelis consideretur exemplum naturale; sicut videmus de facto, quod sæpe mulier prægnans propter terribilem sonum tonitrui emittit vel eiicit filium abortum; sicut etiam aliquando accidit, quod tonitruus bombardæ excussit cerebrum de capite hominis, et reddit ipsum immemorem et (3) inde mortuum. — *Chè la bel-*

---

(1) S. Thebarum. (2) E. dicit autor. (3) S. e E. deinde mortuum.

lezza. Hic Beatrix assignat causam sui dicti, dicens breviter, quod potentia intellectiva esset insufficiens ad tantam excellentiam sustinendam, a simili frons arboris sustinere non valet impetum fulminis, a quo tota subito obruitur. Dicit ergo: *Chè la bellezza mia che più s' accende,* idest, magis et magis invalescit et elucescit. *per le scale,* idest, per speras planetarum et orbes, *dell' eterno palazzo,* idest, cœli, quod æternaliter durat numquam ruiturum, *quanto più si sale,* idest, ascenditur. *com' hai veduto,* scilicet, in omnibus speris inferioribus, in quarum singula descripta fuit superexaltatio Beatricis, *tanto splende,* idest, tam supereminenter et excessive, *che il tuo mortal podere,* idest, tua virtus intellectiva, *sarebbe al suo fulgore fronda che tuono scoscende,* idest, quasi ramus arboris quem tonitrui (1) scindunt. Et hic nota quod similitudo est propria, quia scrutator maiestatis opprimetur a gloria; vult ergo autor per hoc dare intelligi quod intellectus, quando appropinquat ad primam causam in sua speculatione non debet præsumere temere cognoscere pulcritudinem æternorum, sicut fecit in aliis magis remotis a Deo. — *Noi.* Hic Beatrix præmissa ista positione describit ascensionem suam ad septimam speram Saturni, dicens: *Noi sem levati al settimo splendore,* scilicet, Saturnum; et dicit: *che misto,* idest coniunctus et temperatus, *del suo valore,* idest, calore leonis, *raggia mo giù,* idest, influit in inferiora, *sotto il petto del lione ardente.* Vult (2) dicere quod Saturnus qui est naturæ frigidæ et siccæ erat nunc in leone, quod signum est calidum et siccum. Et hic nota quod anno Domini MCCC quando autor noster fecit suam mirabilem et nobilem visionem, Saturnus erat in leone septem gradibus, Juppiter in ariete gradibus viginti quatuor, Mars

(1) E. tonitruus scindit. (2) E. Vult effectualiter dicere.

in pisce gradibus vinginti quatuor, Sol in ariete in principio, Venus in pisce, Mercurius in virgine, Luna in libra. — *Ficca.* Hic Beatrix reddit autorem attentum ad videndum et notandum signum figuratum in corpore Saturni, dicens: *Ficca la mente dirietro agli occhi tuoi,* idest, firma virtutem memorativam post intellectivam; et dicit: *e fa di quelli,* scilicet oculis, *specchio alla figura,* scilicet, * scalam, *che ti sarà parvente,* idest, quæ apparebit tibi, *in questo specchio,* scilicet, * [1] Saturno, in quo ista figura relucet, sicut in speculo, quasi dicat: attente speculare figuram, quæ ostendetur tibi in isto corpore Saturni. — *Chi sapesse.* Hic autor descripturus altam scalam contemplationis, primo præmittit suam delectationem inspectione illius, dicens cum admiratione, ut reddat auditorem avidum et attentum ad istam contemplationem: *Chi sapesse,* idest, quicumque sciret, *qual era la pastura del viso mio,* idest, qualis erat delectatio visionis meæ, *nell' aspetto beato,* idest, inspectione illius beatæ figuræ, *quand' io mi trasmutai ad altra cura,* scilicet, ad respiciendum id quod Beatrix dixerat, *conoscerebbe quanto m' era a grato, ubbidire alla mia celeste scorta,* idest, Beatrici, quæ scortabat me per iter cœli, quasi dicat: si quis consideraret quanta delectatio consistit in dulci otio sanctæ contemplationis, cognosceret quod non gravabat me labor iste considerandi nunc contemplationem. Unde dicit: *contrappesando l' un con l' altro lato,* scilicet, compensando laborem contemplationis cum delectatione; sicut a simili videmus de facto in uno viro religioso contemplativo, qui videtur ex uno latere gravari ab obedientia quam præcipit sancta scriptura vel regula eius; et tamen, si bene disponit se, recipit ex alia parte magnam consolationem, et talis labor videtur sibi levis; et de rei veritate jugum est

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.

suave, si quis bene advertat, non seductus vana pumpa mundi, quia *tales contemplativi* (1) cum mundo non sunt et cum hominibus non flagellabuntur. — *Dentro.* Hic autor describit signum nobile quod apparet in Saturno, scilicet, unam scalam auream. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod autor noster (2) nobiliter et eleganter fingit figuram scalæ, quoniam isti Saturnini ascenderunt in cœlum in prima vita per contemplationem quæ merito figuratur per scalam. Scala siquidem est instrumentum quo quis ascendit ab infimis ad alta, et per contemplationem a terra ad cœlum; immo et a cœlo usque ad Deum tamquam per scalam altissimam; est enim cœlum ad modum scalæ distinctum per plures gradus, idest, speras et orbes, ut dictum est in principio huius capituli. Hoc notato, est ad literam descendendum, quam construe et expone sic: *Vid'io uno scaleo eretto in suso,* idest, unam scalam erectam in altum; unde dicit: *tanto che nol seguiva la mia luce,* idest, quod oculus intellectualis non poterat attingere ad apicem huius scalæ, quia, ut dictum est, pertingit usque ad Deum. Et dicit: *di color d'oro,* ad denotandum perfectionem vitæ contemplativæ, quæ excedit omnem aliam, sicut aurum metalla (3) sine rubigine aliqua; et dicit: *in che raggio traluce,* quia radius gratiæ solis æterni magis resplendet super istas quam super cæteras inferiores, sicut patet de Johanne Baptista; et dico, *vidi dentro al cristallo,* idest, planetam Saturni translucentem, *che cerchiando il mondo,* idest, qui Saturnus circumdans mundum, circa quem movetur circulariter et amplectitur intra se cæteras speras planetarum, *porta il vocabol,* idest, nomen, *del suo caro duce,* scilicet, Saturni, qui fuit carus dux ipsius

(1) Le due parole fra asterischi son supplite dal Codice Estense.
(2) E. noster notanter et eleganter decribit seu fingit.
(3) E. aurum omnia metalla.

mundi, quasi dicat, quod iste septimus planeta vocatur sive denominatur Saturnus a Saturno rege. Fuit enim Saturnus de rei veritate rex insulæ Cretæ, quo regnante multum viguit justitia, et insula illa floruit omnibus bonis; ideo poetæ finxerunt, quod ætas aurea fuit sub illo; de qua jam sæpe dictum est, sed præcipue Purgatori capitulo; ideo dicit: *sotto cui giacque ogni malizia morta,* quia in illa ætate homines vixerunt innocenter et sine vitio; quod debet intelligi sicut exposui præallegato capitulo. — *Vidi anche.* Hic autor, descripto signo aureæ scalæ, nunc describit spiritus splendidissimos apparentes in ea, dicens: *Vidi anche,* vidi etiam in prædicta scala, *tanti splendori,* idest, splendidos spiritus, *scender giuso,* scilicet, versus nos, *per li gradi,* prædictæ scalæ, *ch' io pensai ch' ogni lume, che par nel cielo,* per diversos orbes distributum et distinctum, *fosse diffuso quindi,* scilicet, per illam scalam: per (1) hoc innuit autor quod isti tenebant summum gradum beatitudinis, et per consequens luminis et splendoris. Est ergo hic notandum, quod Saturnus, inter alia opera multa quæ fecit, fecit viros contemplativos, solitarios, abstractos, melancholicos. Unde Aristoteles libro Problematum movet unam quæstionem, quare omnes sapientes mundi fuerint (2) melancholici, licet non e converso, quia tunc essent superflui sapientes etc. Talia hic vide. — *E come.* Hic autor describit actum, modum et discursum illarum animarum per comparationem claram polarum, quæ per se est satis manifesta; ideo construe et expone literam sic: *E parve a me che tal modo,* scilicet, motus et cursus, *fosse quivi,* scilicet, in scala aurea, *in quello sfavillar,* idest, in splendore illorum sanctorum contemplativorum, *che insieme venne,* quasi (3), scilicet, magna multitudo spirituum aggregato-

(1) E. et per hoc innuit autor noster quod.
(2) 4, fuerunt. (3) E. quia scilicet.

rum, quasi nubes, vel involucrum subito simul præsentaverunt se primo impetu; et dicit: *sì come si percosse in certo grado,* idest, postquam divisum et distinctum fuit cum pervenisset ad certum gradum scalæ. Et hoc fecit, *come le pole,* quæ sunt de genere picarum, *si muovono,* scilicet, de loco ubi pernoctaverunt, vel arbore, *insieme a scaldar le fredde piume,* quas, scilicet frigus nocturnum infrigidaverat, *al cominciar del giorno,* idest, in principio calescentis diei de mane propter adventum solis. Aliqui tament exponunt, quod autor loquitur de tempore veris, quia polæ recedunt a nobis tempore autumni; sed litera non patitur istam expositionem, ideo prior teneatur pro meliori. Et dicit: *per lo natural costume,* idest, instinctu naturæ, non assuefactione hominis, *poi altre vanno via,* scilicet, volant a longe, *senza ritorno,* quia scilicet non revertuntur pro tunc; *altre rivolgon sè onde son mosse,* quia scilicet revertuntur versus locum unde recesserunt, *et altre fan soggiorno,* idest, faciunt residentiam ibi, *roteando,* idest, circulariter volando per aerem, sicut aliquando notavi istum actum in multis partibus itinerando. Et sic vide quomodo autor repræsentat diversos discursus animarum per diversos volatus polarum, quarum comparatio non videatur alicui aliena; primo, quia omnes animæ separatæ ubique figurantur in avibus volantibus propter earum levitatem et velocitatem; et inter cæteras animas animæ contemplativorum sunt veloces, leves et expeditæ, non gravatæ a carne, non impeditæ ab occupaminibus [1] mundi. Secundo, quia polæ amant solitudinem, similiter et contemplativi. Unde eligunt heremum pro habitatione sui. Tertio, sicut polæ primo apparent simul glomeratæ, postea dividuntur et tendunt ad diversas partes, ita hic

---

(1) E. occupationibus.

istæ animæ: polæ etiam sunt aves humiles et planæ et ita animæ contemplantium (¹) etc.

E quel che presso. Ista est secunda pars generalis (²), in qua autor introducit unum spiritum singularem contemplativum, cui movet aliqua dubia. Ad cuius evidentiam est præsciendum quod iste spiritus fuit quidam Petrus Damianus vir totus contemplativus et speculativus, qui primo duxit vitam sanctissimam in heremo, et in senectute factus est cardinalis etc. Fuit autem dictus Petrus de Romandiola de civitate Ravennæ (³) vel Faventiæ, cuius corpus jacet in civitate Faventiæ, ubi habetur in magna devotione, in extremo civitatis in ecclesia quæ dicitur Sancta Maria. Ideo bene autor introducit eum hic in spera Saturnalium; et primo describit eius accessum et singularem gratulationem, dicens: *E quel,* scilicet, lumen, *che ci si ritenne più presso si fe' sì chiaro ch' io dicea pensando,* scilicet, in mente mea: *io veggio ben l' amor che tu m' accenne,* quasi dicat: bene perpendo specialem affectionem quam ostendis mihi, quia scilicet vis ut quæram. — *Ma quella.* Hic autor ostendit suspensionem desiderii sui, quia ex una parte ille spiritus per signum invitabat eum ad petendum, ex alia parte Beatrix non licentiabat ipsum; unde dicit: *Ma quella,* scilicet, Beatrix, *ond' io il come e il quando,* idest, modum et tempus, *del dire e del tacere si sta,* scilicet, media, inter affirmare et negare, *ond' io fo ben ch' io non dimando,* quia eram positus sub eius obedientia, *contra 'l disio,* idest, contra desiderium meum, qui multum desiderabam loqui illi animæ, quæ videbatur sponte se offerre mihi non rogata, non requisita. — *Perch' ella.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix licentiaverit (⁴) eum sic

(¹) E. contemplativæ.
(²) E. generalis huius capituli, in qua.
(³) E. Ravennæ, cuius corpus.
(⁴) E. licentiavit. — S. licentiaverat.

suspensum, quia videbat (1) voluntatem eius: unde dicit: *Perch' ella,* scilicet, Beatrix, *che vedeva il tacer mio,* scilicet, invitum, *nel veder di colui,* scilicet, Dei, *che tutto vede,* et cogitatus et actus, *mi disse: solvi il tuo caldo disio,* idest, libera tuum ardens desiderium, quod tenes carceratum (2) in mente contra velle tuum et inclusum. — *Et io.* Hic autor describit suam orationem ad prædictum, et facit exordium cum petitione. Dicit ergo primo persuasive: *Et io,* ita licentiatus, *incominciai,* supple, dicere: *la mia mercede,* idest, meritum meum in te, *non mi fa degno della tua risposta,* quasi dicat: quamvis ego non merear responsionem tuam aliquo merito meo, quia vivens in carne contemplabaris Deum abstractus a consortio hominum, tamen ex quo Deus concedit mihi gratiam loquendi non dedignaberis me audire. Et persuasione facta facit petitionem; et primo petit causam suæ proximæ accessionis ad eum, dicens: *ma, o vita beata,* idest, anima contemplativa adepta summum gradum (3) beatitudinis, *che ti stai nascosta dentro alla tua letizia,* idest, intra lucem, qua fasciaris et velaris, *fammi nota la cagion,* idest, manifesta mihi causam, *che mi t' accosta sì presso,* idest, quæ fecit te venire magis quam alius prope me; et dicit: *per colui,* idest (4), amore Dei, *che il chieder mi concede,* idest, qui dat mihi gratiam petendi: quia, ut patet ubique per totum librum, autor ex speciali gratia Dei fecit istud iter per infernum, purgatorium, et paradisum. Aliqui tamen textus habent: *per colei,* et tunc exponatur sic, idest, contemplatione Beatricis, quæ concedit mihi licentiam quærendi, ut paullo ante dictum est: tamen prior litera est melior. Et subdit secundam petitionem, et petit quare cantus

(1) S. viderat.
(2) E. incarceratum in mentem.
(3) E. bonum beatitudinis.
(4) E. scilicet Dei et eius amore, *che.*

non auditur in illa spera Saturni, sicut audivit in omnibus aliis speris inferioribus. Dicit ergo: *e di'*, idest, etiam manifesta mihi causam, *perchè la dolce sinfonia,* idest, suavis harmonia (1), *di paradiso si tace in questa ruota,* idest, circulo Saturni, qui est amplior et altior cæteris circulis planetarum, et per consequens hic deberet esse dulcior harmonia et melodia; et dicit: *che suona sì devota giù per l' altre,* idest, quæ symphonia auditur ita suaviter in aliis speris inferioribus. — *Tu hai.* Hic autor ponit responsionem Petri Damiani ad quæsita, qui primo respondet ad secundam petitionem, dicens: et illa anima beata, *rispose a me: tu hai l' udir,* idest, auditum, *mortale,* et per consequens impotentem, *sì come 'l riso; però qui non si canta per quel che Beatrice non ha riso;* quasi dicat, eadem ratione qua non potuisti videre lætitiam et pulcritudinem Beatricis, non potes audire melodiam cantus; quæ causa est assignata supra in principio capituli, quasi dicat: sicut non vidisti supra in introitu speræ superexaltationem Beatricis, quæ tamen erat lucidior et pulcrior quam umquam vidisses eam; ita nunc non audis cantum sicut in aliis speris, et tamen hic est excellentior quam audiveris umquam, ne sub nimia dulcedine confundaris, sicut per risum Beatricis fuisses confusus. — *Giù.* Hic Petrus Damianus respondet ad primam petitionem, scilicet, quam ob causam locavit se tam prope autorem; quæ responsio clara est. Unde dicit: *io discesi tanto giù* (2) *per farti festa,* idest, ut facerem tibi gratulationem qua tu invitaveris ad petendum; et dicit: *col dire e con la luce che mi ammanta,* idest, qua ego sum ornatus et velatus tamquam sub mantello, et non cum cantu. — *Nè più.* Hic Petrus Damianus respondet quæ-

---

(1) E. harmonia, scilicet cantilena, *di paradiso.*

(2) S. *giù della scala santa per farti festa,* idest. — E. *giù per li gradi della scala santa sol per farti festa,* idest.

stioni tacitæ; poterat enim autor quærere: Nonne fecisti tu hoc ex maiori dilectione quam haberes ad me? respondet et dicit: *nè più amor mi fece esser più presta,* quasi dicat, non veni ad te citius aliis ex maiori amore, quem haberem ad te; et reddit rationem, dicens: *chè più e tanto amor quinci su ferve,* idest, ardet per istam scalam supra me, quasi dicat, quod unaquæque illarum animarum habet plus et tantumdem caritatis ad eum; unde dicit: *sì come il fiammeggiar ti manifesta,* quia secundum qualitatem splendoris cognoscitur ibi ardor amoris. Et ideo subdit veram causam huius, dicens, quod Deo placuit potius mittere eam quam aliam animam. Unde dicit: *ma l' alta carità che ci fa serve pronte al consiglio,* idest, providentiæ divinæ, *che governa il mondo sorteggia qui,* idest, destinat et vult, quod sors veniat ad me, *sì come tu osserve,* idest, vides et perpendis etc.

Io veggio. Ista est tertia pars generalis (¹), in qua autor movet aliam quæstionem Petro Damiano, quæ nascitur ex solutione prædictæ quæstionis: quia enim Petrus dixerat quod fuerat solus prædestinatus ad veniendum ad eum, ideo merito petit quod videtur sibi durum cognoscere cur potius ipse quam alius (²). Dicit ergo: *Diss' io, io veggio ben, sacra lucerna,* idest, o sacrosancta lucida anima, *come libero amore basta a seguire la provvidenza eterna in questa corte,* quia hic paretur libere, non serviliter sicut in curiis terrenis, *ma questo è quel che mi par forte a cernere,* idest, videtur mihi difficile ad discernendum, scilicet, *perchè fosti predestinata sola a questo ufficio,* scilicet, veniendi ad me, *tra le tue consorte,* idest, inter alias socias et participes eiusdem (³) beatitudinis tecum. — *Non venni.* Hic autor

(¹) E. generalis huius capituli, in qua.
(²) E. alius fuerit prædestinatus. Dicit ergo.
(³) S. huius beatitudinis.

descripturus responsionem illius animæ, primo præmittit eius apparatum festinum, dicens: *Non venni prima all' ultima parola,* quia vix bene compleveram petitionem meam, *che il lume,* idest, illa anima luminosa, *fece centro del suo mezzo,* idest, de medio ipsius animæ, volvendo se circulariter et velociter. Unde dicit a simili, *girando sè come veloce mola.* — *Poi.* Hic autor ponit responsionem illius animæ quæ dicit, et primo ostendit quam et quantam cognitionem habet a Deo; et breviter dicit quomodo Deus prædestinavit eam ad habendam tantam gratiam quanta est scientia sua, per quam speculatur ista. Ordina sic literam et expone: *Poi l' amor che v' era dentro,* scilicet, intra illam lucem, *rispose,* sub hac forma verborum: *luce divina,* scilicet, radius divinæ gratiæ, *s' appunta sopra me,* idest, ferit, *penetrando,* idest, perforando, *per questa,* scilicet, lucem meam, *in ch' io m' inventro,* idest, in cuius lucis ventre ego claudor; et est verbum tractum de nomine. Et dicit: *la cui virtù,* idest, cuius lucis divinæ virtus, *congiunta col mio veder,* idest cum mea visione, idest, cognitione, *mi leva sopra me,* idest, super naturam animæ rationalis, *tanto ch' io veggio la somma essenzia,* scilicet, divinam, *della quale è munta,* idest, ex qua summa essentia est emuncta et abstracta ipsa lux. Et subdit quod in dicta elevatione tam alta recipit cognitionem illam quam habet, quæ æqualiter parificatur cum luce sua. Dicit ergo, *quinci vien l' allegrezza ond' io fiammeggio,* quasi dicat, quantum video in Deo, tantum resplendeo et gaudeo, ita quod secundum quantitatem visionis est quantitas splendoris. Unde dicit: *perch' io pareggio,* idest, adæquo, *la chiarità della fiamma,* idest, splendoris, *alla vista mia quant' ella è chiara,* idest [1], quod tanta est claritas visionis et cognitionis meæ, quanta

---

[1] E. ita quod.

est claritas luminis et splendoris mei. Et hic nota quod per omnia ista verba iste spiritus non vult aliud dicere nisi, quamvis ego alte videam in Deo multa secreta eius quia fui ita contemplativus, tamen nescio, nec scire possum causam de qua (1) petis. Et quod ista sit eius intentio, patet ex eo quod sequitur. — *Ma quella.* Hic Petrus Damianus, facta ista præsuppositione, facit suam responsionem, et in effectu vult dicere, quod præter Deum nullus novit quare ipsa anima sola prædestinata fuerit ad huiusmodi officium. In summa vult dicere: lux divina venit super me, quæ tantum addidit meæ cognitioni, quod scivi, quod volebat quod venirem ad te. Unde dicit: *Ma,* nihilominus, *quell' alma,* idest, anima beata, *che più si schiara nel cielo,* idest, quæ clarius videt occulta Dei, sicut Johannes Baptista, vel Evangelista, *quel serafin,* idest, ille angelus de primo ordine seraphinorum, *che 'n Dio ha fisso più l' occhio,* idest, qui profundius videt intra mentem divinam, *non soddisfarà alla tua dimanda,* idest (2), non satisfacere posset; quasi dicat: nulla anima superior posset satisfacere tibi, nedum ego. Et reddit rationem huius, dicens: *però che quel che chiedi sì s' inoltra,* idest, ita profundatur, *nell' abisso,* idest, profunditate sine fundo, *dell' eterno statuto,* idest, decreti divini ordinamenti, *ch' è scisso,* idest divisum et separatum, *da ogni vista creata,* idest, ab omni cognitione creaturæ tam angelicæ quam humanæ. — *E tu.* Hic Petrus Damianus præcipit autori, ut dicat mortalibus quod abstineant a talibus quæstionibus; unde dicit: *E tu rapporta questo,* idest, refer et scribe hominibus, *quando tu riedi al mondo mortale,* scilicet, percurso toto cœlo, et itinere tuo finito: et assignat causam, dicens: *sì che non presumma più muover li piedi,* idest, affectiones, *a tanto segno;* quasi dicat: non præ-

(1) E. de qua re petis.

(2) E. idest, non satisfaceret; quasi dicat.

sumat currere usque ad tam longinquum (1) gradum, vel terminum cognitionis, ad quem antequam pertingeret esset fessus, immo mortuus; ideo bene dictum est: *state contenti* etc. — *La mente.* Hic Petrus confirmat sive probat dictum suum per locum a minori: et breviter dicit quod intellectus qui lucent in cœlo in hominibus fumant in terra; quomodo ergo potest intellectus hominis in fœdo et obscuro carcere carnis positus illud quod non potest intellectus separatus et beatus in cœlo, immo nec intellectus angelicus? Dicit ergo: *La mente*, scilicet, humana, *che luce qui*, scilicet, in cœlo, *fumma in terra*, et sic non habet calorem vel claritatem, qua possit attingere ad tales causas videndas. Et ideo arguit (2): *onde riguarda come*, aliquis supple, *può laggiue*, idest, potest in terra cognoscere, *quel che non puote perchè 'l ciel l'assumma*, idest, quamvis cœlum recipiat ipsum intra tantam claritatem suam, sicut patet in nobis qui sumus beatificati in cœlo, et tamen non possumus cognoscere id quod petis.

Sì mi prescrisser. Ista est quarta pars generalis (3), in qua Petrus Damianus propalat se ad petitionem autoris: et primo autor continuans dicta dicendis, ostendit quomodo petiverit ab eo quis esset, dicens: *Le parole sue sì mi prescrisser*, idest, ligaverunt ita me, et ita occupaverunt mentem meam, sicut possessor bonæ fidei occupat rem alienam, et suam facit jure permittente, *ch' io lasciai la questione*, ac si autor diceret in mente sua: bene solvisti mihi de temeraria petitione mea. Et dicit: *e mi ritrassi*, quasi confusus, *a dimandar umilmente chi fue.* — *Tra duo.* Hic Petrus facit suam responsionem ad petitionem autoris; et describit se multipliciter ab operibus (4) et eius sancta vita contemplativa. Ad cuius in-

---

(1) E. longum.

(2) E. arguit, dicens: *onde*.

(3) E. generalis huius capituli, in qua.

(4) E. operibus suis et eius.

telligentiam est præsciendum quod iste Petrus Damianus construxit duo nobilia monasteria; unum in monte Apennino in quadam alpe altissima inter Marchiam et Tusciam, inter civitatem Eugubii et terram quæ dicitur la Pergola. Ibi enim est hodie monasterium quod appellatur etc. Fecit et aliud nobile monasterium apud Ravennam quod appellatur Sancta Maria in Portu, quod distat ab ipsa civitate per tria milliaria etc. Nunc ad literam, autor primo describit primum locum. Vide literam et expone, quæ [1] est ambigua, et a multis perverse exposita. *Sassi,* idest montis Apennini, *surgon tra duo liti d' Italia,* scilicet, inter mare tyrrhenum sive leonis, et mare [2] adriaticum. Ad quod nota quod Italia est tota insula præterquam ex una parte tantum versus occidentem; et mons Apenninus dividit eam per longum, et circumdat et claudit cum alpibus suis ex parte qua non est insula, ubi Italia dividitur a Gallia et Germania. Et dicit: *tanto,* supple, surgunt, *che assai i tuoni,* idest, multa tonitrua, *suonan più bassi,* idest, quod multa tonitrua fiunt in aere infra cacumen illius montis. Regio enim aeris ubi generantur tonitrua distat a superficie terræ per stadia sexdecim; et dicit: *e non molto distanti alla tua patria,* scilicet, Florentia vel Tuscia. Debes ergo referre altitudinem tonitruorum ad altitudinem montis, et non ad distantiam loci patriæ suæ, quia tunc litera esset falsa. Aliqui tamen exponunt quod autor loquitur hic de heremo Camalduli, quæ est in Casentino non multum longe a patria autoris; sed istud est falsum, quia statim manifestat ipsum locum a nomine proprio. Unde subdit: *e fanno un gibbo,* idest, montem altum, vel alpem, *che si chiama Catria,* qui locus est ab initio in introitu Marchiæ Anconitanæ. Et nota hic quod hic est

---

(1) E. quia est. (2) S. mare adriacum.

ille mons de quo dicit Lucanus, quod Apenninus est ibi altior quam in cæteris locis, ad quem confugit Pompeius. Et dicit: *di sotto al quale,* idest, infra quem gibbum, *è consecrato un ermo,* idest, nemus, ubi est heremitorium [1] et monasterium, *che suole esser disposto a sola latria,* idest, soli cultui veri Dei. Ad quod notandum quod est latria idolatria etc. — *Così.* Hic Petrus Damianus describit suam sanctam vitam. Et primo autor continuat dicta dicendis, dicens: Et ille Petrus, *ricominciommi così il terzo sermo,* idest, tertium sermonem. Primus enim sermo Petri declaravit duo dubia autori; secundus [2] unam quæstionem; hic tertius, quem nunc incipit. narrare cœpit quis esset. Unde dicit: *e poi continuando disse: Io mi fei sì fermo quivi,* scilicet, in prædicto loco, catria, *al servizio di Dio;* omnino abstractus a servitiis hominum, *che contento nei pensier contemplativi,* idest, simpliciter vivens contemplative non active, *passava caldi e geli,* et alia incommoda naturæ, *lievemente,* idest, sine magno apparatu et opere, *pur con cibi di liquor d' olivi,* idest, oleo, jeiunando, quasi dicat, cum cibariis vilibus et vulgaribus oleo conditis, puta oleribus et leguminibus sine carnibus et pinguibus, quæ gravant animam et impediunt [3] a contemplatione. — *Render.* Hic Petrus Damianus arguit fratres sui ordinis modernos, qui neglecta regula vivunt dissolute et pinguiter, dicens: *Quel chiostro,* idest, illud monasterium, ubi stant claustrales, *solea render fertilmente,* idest, affluenter et copiose, *a questi cieli,* quasi dicat: multi solebant salvari in loco illo per contemplationem; et venire ad cœlum istud; et ponit plurale pro singulari, et prædicit eorum vituperium de proximo dicens: *ed ora è fatto vano,* idest, vacuus talibus bonis viris contemplativis, *sì che tosto convien che si riveli,*

---

[1] S. e E. heremus. [2] E. secundus declaravit ei unam.
[3] E. impediunt contemplationem. — *Render.*

idest, propalet se per sua vitia. — *In quel.* Hic Petrus [1] describit se a nomine proprio, et duplici cognomine, dicens: *Io fui Pier Damiano in quel luoco,* prædicto, scilicet, catria. Et subdit secundum cognomen suum dicens: *e fui Pietro peccator nella casa di nostra Donna,* idest, in monasterio Sanctæ Mariæ in portu de Ravenna; unde dicit: *in sul lito Adriano,* quia locus iste est in littore maris adriaci; ut jam dictum est supra. Et hic nota quod multi [2] sunt decepti hic, dicentes, quod Petrus peccator fuit alius a Petro Damiano de eodem ordine; quod est penitus falsum; immo Petrus Damianus vocavit se nomine proprio in primo loco catriæ; in secundo vero gratia [3] summæ humilitatis vocavit se Petrum peccatorem. — *Poca vita.* Hic Petrus Damianus describit se a dignitate sua quia in senectute fuit promotus ad cardinalatum, dicens: *Poca vita mortal m' era rimasa,* quia parum supervicturus eram, *quando fui chiesto e tratto a quel cappello,* scilicet, cardinalatum; et dicit: *che pur di male in peggio si travasa,* quia [4] in dies depravatur et devoratur per vitia. — *Venne.* Hic [5] potest esse quinta pars generalis, ubi Petrus sumpta occasione ex dicto suo digreditur ad vituperandum prælatos moderni temporis, qui vivunt magis voluptuose quam contemplative. Et ut cautius et evidentius reprehendat eos, primo commendat vitam sobriam et sanctam priorum pastorum, dicens: *Venne Cephas,* idest, Petrus, qui interpretabatur [6] caput, quia fuit caput Apostolorum et primus papa, *e venne il gran vasello dello Spirito Santo,* idest, Paulus socius Petri, qui vocatus est vas electionis, sicut est scriptum et expositum secundo

(1) E. Petrus iste describit.

(2) E. multi decipiuntur hic.

(3) S. in signum summæ.

(4) E. quia ibi dies depravantur et devorantur per vitia.

(5) E. Hæc potest esse quinta pars generalis huius capituli, ubi.

(6) E. interpretatur.

capitulo Inferni, *magri e scalzi,* quos ego conatus fui imitari toto posse, *prendendo il cibo di qualunque ostello,* quasi dicat: mendicando panem. — *Or voglion.* Hic Petrus Damianus aperte infamat pastores modernos per contrarium ad dictos apostolos, dicens: *Li moderni pastori or voglion chi rincalzi quinci e quindi,* scilicet, a dextris et sinistris, *e chi li meni, tanto son gravi,* idest, pingues et corpulenti, quales multos vidi in curia romana; et hoc contra macredinem prædictorum (1); *e chi gli alzi dirietro,* quia habent cappas longas verentes terram cum cauda: et hoc (2) contra nuditatem prædictorum. Et ideo, dolore stimulante, subdit: *cuopron gli palafreni,* pingues et politos, sicut ipsi sunt, *de' manti loro,* quia eorum chlamydes sunt ita longæ, amplæ et capaces, quod cooperiunt hominem et equum; unde dicit: *sì che due bestie van sotto una pelle,* scilicet, bestia portans, et ipse portatus, qui verius est bestia et bestialior ipsa bestia. Et certe si autor revivisceret (3) hodie posset mutare literam istam et dicere: *sì che tre bestie van sotto una pelle,* scilicet, cardinalis, meretrix et equus; sicut audivi de uno quem bene novi, qui portabat concubinam suam ad venationem post se in clune equi vel muli; et ipse vere erat sicut equus et mulus (4) sine ratione. Ex dictis Petrus iratus exclamat ad Deum: *o pazienza,* scilicet divina, *che tanto sostieni!* idest, quomodo potes tantum sustinere quod non irascaris? Et non mireris, lector, si autor tamquam poeta ista (5) loquitur de prælatis, cum et magni doctores et sancti viri non potuerunt abstinere ab huiusmodi vituperiis (6). Unde bene

---

(1) E. prædictorum Petri et Pauli; *e chi.*
(2) E. et hoc etiam est contra nuditatem prædictorum apostolorum. Et ideo.
(3) S. revivisset. — E. viveret.
(4) E. mulus, in quibus non est intellectus, hoc est sine ratione.
(5) E. ita obloquatur de.
(6) E. vituperatis obloquiis prælatorum. Unde.

beatus Bernardus hanc voluptuosam et bestialem vitam prælatorum mirabiliter [1] et notabiliter perstringit, dicens: cum cuncti status hominum aliquid laboris habeant, aliquid voluptatis, prælati novo quodam artificio diserentes [2] omne quod molestat in omnibus respuerunt, omne quod delectat in omnibus acceperunt etc. Et hic nota quod autor noster magna arte usus est fingens Petrum Damianum ista [3] vituperosa dicere de pastoribus, quia fuit cardinalis, et novit vitam eorum; ideo veracius et audacius potuit loqui de suis; immo de rei veritate dictus Petrus talia et peiora scripsit de prælatis. Scripsit enim duo opera præcipua in eleganti stilo, quorum unum est de epistolis et sermonibus, in quo multa mala dixit de ipsis. Aliud vero fecit, in quo scribit de prælatis flagitia nefaria, quæ honeste dici non possunt [4] inhonestissima. Fuit siquidem Petrus iste homo rigidus valde, et inter alia pulcra quæ scribit [5] in isto secundo volumine disputat subtiliter contra Hieronymum, qui dixit quod Deus non poterat virginitatem perditam restaurare. — *A questa.* Hic autor describit effectum narrationis Petri Damiani, scilicet actum quem fecerunt animæ illorum contemplantium, dicens: *Vid' io più fiammelle,* scilicet multas [6] illarum ardentium animarum, *scendere e girarsi di grado in grado,* scilicet, illius scalæ aureæ, *a questa voce,* idest ad exclamationem [7] factam per Petrum. Et dicit: *et ogni giro le facea più belle,* quia scilicet, ad omnem girationem efficiebantur splendidiores, quia confirmantes dictum Petri et clamantes vindictam ad Deum. Unde subdit: *e vennero dintorno a questa,* scilicet, flamma dicti Petri, *e fermarsi,* juxta eam; et dicit:

---

(1) E. mirabiliter perstringerit, sic dicens. — S. mirabiliter et nobiliter perstringit.
(2) 4, deferentes.
(3) E. ista sic vituperosa.
(4) E. possunt. Fuit.
(5) S. scripsit.
(6) E. multas favillas illarum.
(7) E. ad exclamationem hanc factam per prædictum Petrum.

e fero un grido, adiuvantes clamorem dicti Petri, cum clamore suo; unde dicit: *di sì alto suono, che non potrebbe assomigliarsi qui,* idest, quod non posset reperiri digna similitudo vel comparatio in nostro mundo ad exprimendum ipsum. Et claudit capitulum, dicens: *nè io lo intesi, sì mi vinse il tuono,* quia vox tonans et terribilis reddidit me attonitum et confusum; in qua voce rogaverunt judicium Dei cadere super rectorem sedis apostolicæ, scilicet [1], Bonifacium VIII, ut tangetur sequenti capitulo etc.

---

[1] S. scilicet, Bonifacii, et tangetur in sequenti capitulo. Amen.

CANTUS VIGESIMUS SECUNDUS, *in quo fit mentio de beato Benedicto; dehinc ponitur ascensus ad octavam speram.*

Oppresso di stupore alla mia guida. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster introduxit Petrum Damianum virum contemplativum in spera Saturni; nunc consequenter in isto XXII capitulo introducit alium virum altissimæ contemplationis, scilicet beatum Benedictum; et describit suum ascensum ad speram octavam. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quinque partes generales. In prima quarum autor [1] prosequitur materiam tactam in fine capituli præcedentis de damnatione prælatorum ecclesiæ. In secunda introducit spiritum Benedicti summe contemplativum, qui propalat se et alios socios, ibi: *Ma rivolgiti omai.* In tertia movet unum dubium illi Benedicto, ibi: *Et io a lui: l'affetto.* In quarta describit suum ascensum ad firmamentum, ibi: *La dolce donna.* In quinta et ultima describit suam reflectionem et respectionem ad omnes speras inferiores, ibi: *Tu se' sì presso.* Ad primum ergo dico quod autor finit et terminat materiam inchoatam; et primo continuans se ad præcedentia ostendit suam dispositionem. Ad cuius evidentiam est repetendum quod in fine præcedentis capituli dicta fuerunt verba et audita tonitrua illarum animarum quæ fuerunt causa stuporis in animo autoris; ideo hic continuans se autor ostendit remedium suum in tanto stupore; et dicit per comparationem domesticam quod recurrit ad Beatricem, sicut infantulus territus ad matrem. Dicit ergo: ego

---

[1] E. autor ipse prosequitur.

Dantes, *oppresso di stupore,* scilicet, mentis propter tonitruum generatum ex clamore illarum animarum commendantium dictum Petri Damiani et clamantium vindictam ad Deum de malis pastoribus ecclesiæ, *mi volsi alla mia guida,* scilicet, refugi ad Beatricem. Et hic nota quod autor pulcre fingit hoc, quia de rei veritate mens eius et omnis sapientis sæpe exagitatur magno stupore, quando considerat dicta Petri Damiani contra vitia prælatorum, et legit tot voces aliorum doctorum, sicut Hieronymi, Bernardi, et multorum dicentium idem; et videtur sibi horribilius omni monstro, quod Deus qui totum regit, juste gubernat, et solum bona vult et mala velle non potest, sustineat talia. Unde ego aliquando non sine magna admiratione notavi; tamen in tanta perturbatione mentis recurrit ad Beatricem, idest, ad sacram scripturam, quæ demonstrat sibi qualiter Deus sua providentia ista permittit multis de causis, licet homo totam (1) videre non possit; nam sæpe propter peccata subditorum permittit malos pastores et hypocritam (2) regnare. Et declarat suum recursum (3) per comparationem pulcram, dicens: *Come parvol che ricorre sempre colà dove più si confida,* scilicet, ad matrem vel nutricem. Unde nota quod comparatio est propria de filio ad matrem; erat enim autor alumnus Beatricis, et illa mater et alumna, quæ suo lacte foverat ipsum parvulum, scilicet minoribus doctrinis, puta grammatica, et rhetorica, quæ sunt ancillæ theologiæ (4); deinde cibaverat ipsum robustum pane et cibis fortibus, scilicet maioribus et altioribus scientiis, sicut philosophia, poetria etc. — *E quella.* Hic autor describit succursum sibi subito datum a Beatrice, quæ confortavit ipsum excutiens stuporem de mente eius. Unde dicit: *E quella, come madre che soc-*

(1) E. totum.
(2) S. hypocritas.
(3) E. reversum.
(4) E. sanctissimæ theologiæ.

corre subito al figlio, tamquam solicita de salute eius, *pallido et anelo,* idest, timido et anxio, *con la sua voce,* idest, sua exhortatione, *che il suol ben disporre,* scilicet, fugando timorem ab eo, *mi disse: non sai tu che tu se' in cielo?* scilicet, cum speculatione mentali, *e non sai tu che 'l cielo è tutto santo, e ciò che ci si fa vien da buon zelo?* idest, ab amore caritatis; quasi dicat: si isti sancti viri petunt vindictam a Deo, non petunt ex ira, sed ex debita caritate; unde sufficiat tibi credere quod omnia quæcumque Deus facit juste fiunt, quamvis semper non videas causam. — *Come.* Hic Beatrix probat quod autor superius optabat (¹) rem nocivam per locum a minori, dicens: *mo pensar lo puoi come 'l canto,* quem supra desiderabas audire, *t' avrebbe trasmutato,* idest, alterasset et confundisset te, *et io ridendo,* idest, ostendendo tibi excelsam lætitiam meam, quomodo transmutassem te? quasi dicat: nimium, *poscia che 'l grido,* idest, vox istorum, *t' ha mosso cotanto,* idest, tantum te mutavit; quasi dicat Beatrix: maioris stuporis est mirabilis proportio cœli, quæ figuratur per cantum, ut expositum est primo capitulo huius Paradisi, et dulcis risus meus per quem figuratur lætitia et luciditas, ut sæpe expositum est supra, quam clamor istorum petentium vindictam a Deo. Et subdit quid sibi volebat ille cantus, qui scilicet petebat vindictam a Deo, dicens: *nel qual,* scilicet, clamore, *già ti sarebbe nota la vendetta,* scilicet, de Bonifacio VIII. Unde dicit: *la qual vedrai innanzi che tu muoi:* in hoc prædicit pressuram et capturam Bonifacii quæ fuit postea anno MCCCIII. Et dicit: *se inteso avessi i prieghi suoi,* quia autor dixit in fine præcedentis capituli, *nè io lo intesi, sì mi vinse il tuono.* —*La spada.* Hic Beatrix respondet quæstioni tacitæ, quia poterat autor obiicere: durum est homini expectare vin-

---

(¹) S. optat.

dictam Dei; respondet et dicit sententiam notandam, *La spada di qua su non taglia in fretta,* idest, justitia Dei non accelerat, *nè tardo,* licet sic videatur expectanti eam; qui enim expectat eam in alium videtur tarda; qui vero expectat eam in se videtur (¹) festina: *ma che al parer di colui che l' aspetta desiando;* videtur enim tarda illi qui appetit quod veniat super alium, *o temendo,* quia videtur festina et accelerata ei qui timet ne veniat super eum, etc.

Ma rivolgiti omai. Ista est secunda pars generalis (²), in qua autor eligit ex multis unum virum cuius summa contemplatio est notissima, et fuit utilissima mulieribus et hominibus, scilicet, beatum Benedictum. Et primo ponit quomodo Beatrix invitaverat eum ad speculationem multorum contemplativorum in generali, dicens: *Ma rivolgiti omai,* quia satis dictum est pro nunc de ista materia, *inverso altrui,* idest, alios spiritus; unde dicit, *ch' assai spiriti illustri vedrai,* sicut Benedictum, Macarium et alios contemplativos, *se ridui la vista,* idest si reducis visum a me ad viros contemplativos, *com' io dico,* quia dixerat sibi: *rivolgiti.*— *Come.* Hic autor describit visionem illorum spirituum, dicens: *Io ritornai gli occhi,* idest, speculationem intellectualem ad spiritus illos illustres, *come a lei piacque,* idest, secundum præceptum eius, et dicit: *e vidi cento sperule,* idest, animas; spera enim rotunda est sicut et omnes substantiæ spirituales, et spera in aliqua lingua idem est quod lampas, et istæ erant animæ ardentes maiori caritate cæteris. Et dicit: *che insieme più s' abbellivan con mutui rai,* idest, fiebant pulcriores ex reverberationibus radiorum ad invicem. Et nota hic quod autor per hoc dat intelligi, quod isti viri sancti contemplativi

---

(¹) E. tunc videtur sibi festina; unde dicit: *ma.*

(²) E. generalis huius capituli, in qua autor noster ex multis viris unum eligit cuius summa.

se invicem informabant et ædificabant bonis exemplis, sanctis operibus et sanis consiliis, sicut patet in vitis sanctorum patrum. — *Io stava.* Hic autor describit suam dispositionem et exaltationem unius animæ excelsæ parantis se ad loquendum. Primo ergo tangit suam timiditatem per comparationem communem et claram, quam unusquisque sæpe experitur in se ipso, dicens: *Io stava come quei che 'n sè repreme la punta del disio,* idest, qui retrahit et restringit acumen desiderii sui coram maiori et sapientiori, quia timet reddere se molestum ei. Et hic nota quod per hoc autor dat intelligi, quod omnis discretus timet [1] interrumpere negotiosum otium istorum contemplativorum, qui multum servant silentium; et tamen ipsi humiles offerunt se sponte quando vident desiderium petentis, sicut statim patebit de Benedicto: unde dicit: *e non s'attenta del dimandar sì del troppo si teme;* timet enim quia scit quod omne nimium vertitur in fastidium. Et subdit accessionem et exaltationem animæ prædictæ, dicens: *e la maggiore e la più luculenta di quelle margarite,* idest, anima maior in sanctitate et clarior in luciditate aliis animabus, quas autor vocat margaritas, idest, pretiosas ornantes planetam Saturni. Isti enim viri contemplativi omnes fuerunt inclinati ad solitudinem per influentiam Saturni. Iste autem fuit spiritus Benedicti, de quo dicetur plene paullo infra, *fessi innanzi,* scilicet, versus me, *per far la mia voglia contenta di sè,* ut scilicet, certioraret me dubium de se, propalando se mihi. — *Poi dentro.* Hic autor ponit orationem Benedicti ad se, in qua primo facit exordium persuadens autori quod non timeret petere si cognosceret ardorem caritatis in illis beatis. Dicit ergo autor: *Poi udi' dentro a lei,* idest, intra illam margaritam luculentam hanc

---

(1) E. timet se interrumpere otium.

persuasionem; *li tuoi concetti sarebbero espressi,* idest, tu jam expressisses verbo ea quæ mente concepisti, *se tu vedessi, com' io,* supple, video, *la carità,* idest, magnam affectionem caritativam. Et subdit offerens se ad declarationem, *ma io ti farò risposta pure al pensier di che sì ti riguarde,* quasi dicat: dicam quis sim, quod tu desideras scire, nec audes petere. — *Quel monte.* Hic Benedictus intendit manifestare se; et primo describit locum ubi eminenter enituit virtus eius. Sed ad claram evidentiam (1) subscriptorum est præsciendum quod beatus Gregorius doctor fecit fere totum librum Dialogorum de vita et virtutibus istius Benedicti, de quo quædam pauca et utilia collegi. Dicit itaque inter alia multa: fuit vir venerabilis nomine Benedictus etc. His præmissis ad literam redeamus. Dicit Benedictus: *Quel monte,* scilicet, Cassinus, *a cui Cassino è nella costa,* idest, in cuius latere situatum est castrum quod dicitur Cassinum, et denominatur ab ipso monte, *fu già frequentato,* idest, fuit antiquitus habitatum, *in su la cima dalla gente ingannata,* scilicet, pagana, *e mal disposta,* scilicet, ad serviendum idolatriæ. — *Ed io son quel.* Hic Benedictus describit se a singulari opere quod fecit ibi, quia pulso Apolline manifestavit incolis verum Apollinem, scilicet Christum, qui est vera sapientia patris. Dicit ergo: *E quel son io che vi portai prima su lo nome di colui,* scilicet, Christi, *che in terra addusse la verità,* scilicet, divinam, *che tanto ci sublima,* idest, nos exaltat in ultima spera planetarum; sicut enim altius vidimus (2) contemplando in terra, ita nunc tenemus altiorem gradum beatitudinis. Et subdit quomodo repulit inde Apollinem, Dei gratia (3) præcedente, dicens: *e tanta grazia sovra me rilusse, ch' io ritrassi le ville circostanti dall' empio culto,* scilicet, idolorum, *che 'l*

---

(1) E. evidentiam suprascriptorum et subscriptorum est præsciendum.
(2) E. videmus. (3) E. Dei gratia præ cæteris, dicens.

mondo sedusse, quia mundus per longa sæcula coluit idola. Sed notandum quod difficilius et laudabilius fuit Benedicto revocare istos a cultu Apollinis, quia Apollo potissime colebatur apud gentiles, quia homines videbant ad sensum maiorem virtutem et efficaciam in sole, quam in aliquo planeta, sicut ostensum est in primo capitulo Paradisi, et alibi sæpe. Et bene patuit in istis qui pertinaciter steterant in cultu Apollinis usque ad tempus Benedicti, cum jam nomen [1] Christi esset ubique diffusum et celebratum jam per tot centenaria annorum. — *Questi.* Hic Benedictus describit in generali alios spiritus suæ societatis, dicens: *Questi altri fuochi,* idest, spiritus ardentes in caritate, *furo tutti uomini contemplanti,* et per consequens summe beati; unde dicit: *accesi di quel caldo,* scilicet, calore Spiritus sancti, *che fa nascer li fiori e i frutti santi,* quia scilicet Spiritus sanctus dat gratiam operantem et cooperantem, et sic dat florem et fructum bene operantibus, de quibus gratiis dictum est secundo capitulo Inferni. — *Qui.* Hic Benedictus nominat in speciali duos spiritus contemplativos et suos monachos in generali. Ad cuius intelligentiam est præsciendum quod sicut scribitur in vitis [2] patrum, quem dicitur fecisse Hieronymus, Macarius fuit sanctissimus heremita qui etc. Romualdus vero fuit etc. Nunc ad literam, dicit Benedictus: *Qui,* scilicet, in isto Saturno, *è Macario* [3], *qui son li frati miei,* scilicet, sancti monachi contemplativi, *che fermar li piedi,* idest, affectiones quæ sunt de se vagæ, *e tennero il cuor saldo,* scilicet, perseverando in proposito sanctæ contemplationis, propter quod sunt exaltati ad istam altitudinem beatitudinis. Et dicit: *dentro ai chiostri,* non vagando ad aliena loca, vel

---

(1) E. nomen Jesu Christi gloriosi esset.

(2) E. in vitis sanctorum patrum, quem librum dicitur fecisse.

(3) E. *Macario, qui è Romoaldo,* et dicit: *qui son li frati miei.*

apostatando. Sicut enim moritur piscis extra aquam, ita monachus extra cellam etc.

Et io a lui. Ista est tertia pars generalis [1], in qua autor movet quædam dubia prædicto Benedicto. Et primo ostendit quomodo factus est audax ad petendum ex persuasione illius quam fecit supra, ubi dixit: *se tu vedessi com' io* etc. Dicit ergo: *Et io a lui,* supple dixi, *l'affetto che dimostri,* idest, singularis affectio quam ostendis ad me, *parlando meco, e la buona sembianza,* idest, apparentia, *ch' io veggio e noto in tutti li ardor vostri,* quia omnes caritate ardetis, sicut tu dixisti paullo ante, *m' ha dilatata mia fidanza,* idest, ampliata, quam [2] prius restringebam præ timore. Et declarat hoc per pulcram similitudinem, dicens: *così come 'l sol fa la rosa quando divien tanto aperta quant' ella ha di possanza,* idest, quantum est apta nata dilatari sua natura. Et est similitudo non impropria: sicut enim calor solis aperit rosam clausam usque ad ultimam potentiam, ita ardor caritatis illarum animarum aperuit mentem autoris clausam timore, quantum poterat aperiri. Vult ergo dicere autor: ego cepi ex vobis omnem confidentiam, quam capere possum; ideo amodo non dubitabo esse sibi molestus sicut tibi primo, immo audacter tecum loquar. — *Però.* Hic autor facit suam petitionem Benedicto, dicens: *Però ti prego, e tu, Padre,* scilicet, Benedicte, qui fuisti magnus pater familiæ et habuisti copiosam familiam filiorum benedictorum, *m' accerta s' io posso prender tanta grazia, ch' io ti veggia con imagine scoverta,* idest in pura essentia sine illa luce qua tu es coopertus. — *Ond' elli.* Hic autor ponit responsionem Benedicti ad suum quæsitum, et breviter dicit quod videbit id quod optat scire ubi est finis omnium votorum humanorum. Dicit ergo:

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua.

(2) S. quæ prius restringebatur.

Ond' elli, supple, respondit: *o frate, il tuo alto disio,* scilicet, videndi me aperte, *s' adempierà in sull' ultima spera,* scilicet, in cœlo empyreo, quod est super omnes speras; et dicit: *ove tutti gli altri,* scilicet, desideria, *e 'l mio s' adempiono.* — *Ivi.* Hic Benedictus describit excellentiam illius ultimæ speræ, dicens: *Ciascuna disianza,* idest, omne desiderium beatorum, *è ivi,* scilicet, in prædicta spera, *perfetta,* sine imperfectione, quam habent humana desideria in terra, *matura,* idest, non intempestiva, qualia sunt desideria hominum, *e intera,* idest, non diminuta sicut prædicta. Et describit eam ab immobilitate sua cum subdit: *ogni parte è in quella sola là dove sempre era;* quasi dicat: ista sola est semper immobilis et quieta, ubi cæteræ speræ sunt in continuo motu. Et assignat causam sui dicti dicens: *perchè non è in luogo;* ad quod notandum quod cognitio naturalis non se extendit, nisi usque ad primum mobile; ideo bene dicit quod non est mobilis ultima spera, nec habet locum, sicut cæteræ speræ; et dicit: *e non s' impola,* idest, non movetur super duos polos arcticum [1] et antarcticum sicut firmamentum. — *E nostra.* Hic Benedictus describit altitudinem contemplationis illorum Saturnalium, dicens: *E nostra scala,* idest, contemplatio, *varca infino ad essa,* idest, transcendit omnes cœlos, et pertingit usque ad cognitionem Dei. Et dicit: *onde così dal viso ti s' invola,* idest, aufertur a conspectu tuo; quasi dicat, quod tua speculatio intellectualis non potest pertingere ad apicem istius scalæ, quæ extenditur usque ad pedes Domini. Et ostendit quod ista scala altissima fuit præfigurata et præmonstrata [2] ante redemptionem nostram per multa sæcula, dicens: *il patriarca Jacob,* de quo facta est sæpe mentio in isto libro, *la vide,* scilicet, dictam scalam, *isporger la*

---

(1) E. scilicet arcticum.

(2) E. demonstrata ante pretiosissimam redemptionem.

parte superna, idest, summitatem eius, *in fin lassù,* scilicet, ad ipsam speram ultimam; et dicit: *quando gli apparve sì carca d' angeli.* Ad quod est breviter sciendum, quod, sicut scribitur in Genesi, Jacob fugiens iram fratris sui Esau, quem fraudaverat hereditate et benedictione paterna etc. — *Ma per.* Hic Benedictus arguit incidenter monachos claustrales præsentis temporis, qui non ascendunt istam sanctam scalam, immo solum sunt mersi affectionibus terrenorum; unde dicit: *ma nessun diparte mo i piedi da terra,* idest, affectiones, *per salirla,* idest, causa ascendendi ipsam scalam, quia videtur eis nimis alta. Sed nota quod autor videtur nimis large loqui hic, quia adhuc sunt multi monachi sub habitu et regula Benedicti satis sancte viventes, quantum apparet, sicut ego vidi in aliquibus locis, sicut in fratribus montis Oliveti. Dicendum breviter quod Benedictus loquitur per respectum ad illos primos contemplativos; vel dic et melius, quod istud dictum debet (1) restringi et referri solum ad locum Cassini, de quo autor specialiter hic loquitur, et qui de rei veritate est valde desertus et desolatus, ut statim dicetur. Dicit ergo: *e la regola mia rimasa è giù per danno delle carte,* scilicet, in scriptura non in opere, quia frustra occupat chartas sine fructu cum non servetur. Et volo hic ad clariorem intelligentiam huius literæ referre illud quod narrabat mihi jocose venerabilis præceptor meus Boccaccius de Certaldo. Dicebat enim quod dum esset in Apulia, captus fama loci, accessit ad nobile monasterium montis Cassini, de quo dictum est. Et avidus videndi librariam, quam audiverat ibi esse nobilissimam, petivit ab uno monacho humiliter, velut ille qui suavissimus erat, quod deberet ex gratia aperire sibi bibliothecam. At ille rigide respon-

---

(1) E. debet intelligi et referri.

dit (1), ostendens sibi altam scalam: ascende quia aperta est. Ille lætus ascendens invenit locum tanti thesauri sine ostio vel clavi, ingressusque vidit herbam natam per fenestras, et libros omnes cum bancis coopertis pulvere alto; et mirabundus cœpit aperire et volvere nunc istum librum, nunc illum, invenitque ibi multa et varia volumina antiquorum et peregrinorum librorum; ex quorum aliquibus detracti erant aliqui quaterni, ex aliis recisi margines chartarum, et sic multipliciter deformati: tandem miseratus labores et studia tot inclytissimorum (2) ingeniorum devenisse ad manus perditissimorum hominum, dolens et illacrymans (3) recessit; et occurrens in claustro petivit a monacho obvio quare libri illi pretiosissimi essent ita turpiter detruncati. Qui respondit quod aliqui monachi, volentes lucrari duos vel quinque solidos, radebant unum quaternum et faciebant psalteriolos, quos vendebant pueris; et ita de marginibus faciebant (4) evangelia et brevia, quæ vendebant mulieribus. Nunc (5), vir studiose, frange tibi caput pro faciendo libros. — *Le mura.* Hic Benedictus ad verificandum quod dixerat de monachis illis, describit mutationem et depravationem eorum, dicens: *Le mura che soleano esser badia,* idest, abbatia et ecclesia sacra et domus orationis, *sono fatte speloncke,* scilicet, latronum; et dicit: *e le cocolle,* idest, habitus et capputia ipsorum, *son sacca piene di farina ria,* quasi dicat: non plena (6) sanctitate virtutum sicut olim, sed pravitate vitiorum, quia sunt ditati et impinguati bonis ecclesiæ. — *Ma grave.* Hic Benedictus detestatur ereptionem bonorum ecclesiæ in prælatis; et breviter dicit, quod nulla usura quantumcumque gravis tantum offendit Deum, quantum indebita retentio et erogatio

(1) S. respondens, ostendit sibi.
(2) E. inclytorum.
(3) S. lacrymans.
(4) E. faciebant brevia, quæ.
(5) E. Nunc ergo, o vir studiose, frange.
(6) E. non sunt plena.

bonorum monasteriorum [1]. Unde dicit: *Ma grave usura*, quæ tamen multum offendit Deum, ut probatum est in Inferno, *non si tolle,* scilicet, a fœneratore, *tanto contra 'l piacer di Dio,* idest, non tantum displicet Deo, *quanto quel frutto,* idest, redditus et introitus ecclesiæ, *che fa il cuor de' monaci sì folle,* quia fructus talis parit dissolutionem vitæ in monachis. Et ratio huius dicti potest esse, quia usurarius est legalis latro prædicans quod intendit; sed talis monachus vel religiosus [2] committit furtum contractans rem alienam invito domino, immo committit sacrilegium, quod est furtum rerum sacrarum, ut statim patet [3]. — *Chè.* Hic Benedictus probat quod dixit ratione, quia scilicet religiosus et sacerdos sic faciens est fur. Unde dicit: *Chè, quantunque la chiesa guarda, è tutto della gente che per Dio dimanda,* quasi dicat: quid [4] superat ab eorum vivere sobrio et temperato est pauperum; et dicit: *non di parente;* et in hoc notat prælatos, qui nimium carnaliter afficiuntur ad consanguineos suos. Et certe in hoc non imitantur Christum, cuius sunt successores. Christus enim nullum habuit consanguineum quem non faceret sanctum; et moderni pastores nullum habent consanguineum quem non faciant divitem. Sunt enim similes machinis, quæ parvos lapillos jaciunt a longe, magnos vero prope se; ita prælati præsentes parva beneficia dant extraneis, magna vero suis; et dicit: *nè d' altro più brutto,* puta meretricum, canum, avium et similium, quæ voluptuarie tenent. — *La carne.* Hic Benedictus ex dictis elicit unam conclusionem generalem, quæ verificatur in omnibus religionibus et regulis mundi, scilicet, quod habent bonum principium, sed non diu perseverant. Unde dicit: *La carne de' mortali è tanto blanda,* idest, mollis et delicata, *che buon cominciamento non ba-*

---

(1) E. ecclesiarum et monasteriorum.
(2) E. clericus.
(3) S. patebit.
(4) E. quidquid superest.

sta giù, scilicet in mundo mortali non perdurat, *dal nascere della quercia al far la ghianda,* quod est tempus. — *Piero.* Hic Benedictus probat conclusionem prædictam per exempla manifesta [1]; et describit tria optima principia regularum, quomodo sunt permutata et perversa, dicens: *Pier,* idest, Petrus Damianus sive peccator, *cominciò il suo convento,* scilicet, ordinem de columba, *senz' oro e senza argento,* scilicet, paupercule; nec intelligas de Petro apostolo, sicut aliqui dixerunt; *et io,* scilicet, ego Benedictus incœpi meum conventum, *con orazione e con digiuni,* supple, incœpit conventum suum cum contemplatione et abstinentia, *e Francesco umilmente,* supple, incœpit suum conventum cum humilitate. Et subdit perversionem dictorum conventuum, dicens: *e tu vedrai del bianco fatto bruno,* quia scilicet ubi erat [2] clara virtus, nunc est vitium obscurum, *se tu guardi al principio di ciascuno,* scilicet quod fuit optimum, *poscia riguardi là dove è trascorso,* idest, perversum processum, quia successores Petri Damiani ex pauperibus facti sunt divites; et mei [3] ex contemplativis facti sunt voluptuosi; et fratres minores ex humilibus facti sunt superbi. — *Veramente.* Hic Benedictus prænuntiat futuram vindictam de prædictis; et sententialiter vult dicere, quod Deus fecit maiora miracula, quam si puniret istos, licet eius vindicta videatur differri: quod probat per duo miracula quæ Deus olim fecit populo suo [4]. Primum est de conversione Jordanis; cum enim populus Dei veniens in terram promissionis pervenisset ad Jordanem fluvium, aqua [5] retro lapsa est versus fontem suum. Secundum exemplum [6] est de apertione maris rubri; cum enim Moyses

---

(1) E. manifesta, describens tria.
(2) E. erant clari virtutibus, nunc sunt obscuri vitiis, *se tu.*
(3) E. mei, scilicet monachi Benedicti ex.
(4) E. suo Israel. Primum fuit de.
(5) E. aqua fluvii ipsius retro.
(6) E. exemplum miraculi fuit de.

cum populo Dei, quem liberaverat de manibus Pharaonis, pervenisset ad mare rubrum, mare apertum est, et aqua stetit velut murus a dextris et sinistris, ita quod populus transivit sicco pede: et Pharao superveniens cum exercitu numeroso ægyptiorum, intrans (1) mare cum suis, aqua relabente fuit mersus, suffocatus et sepultus sub undis. Modo ad propositum vult dicere Benedictus, quod miraculosius fuit Jordanem converti retrorsum et mare rubrum aperiri per medium, quam si Deus succurreret et provideret istis malis; et ratio est, quia utrumque dictorum miraculorum fuit contra (2) naturam, sed punire reos et nocentes est naturale et usitatum, quamvis Deus puniverit (3) peccatores ægyptios per modum inusitatum supernaturaliter. Nunc ad literam, dicit Benedictus: *Giordan,* sic denominatus a duobus fontibus, quorum unus vocatur Jor, alius (4) Dan, ut ait Hieronymus locorum orientalium sedulus indagator, *volto retrorso,* scilicet, versus ortum suum, vel contra, *e il mar fuggir,* idest, et mare rubrum fugere hinc inde, quando fecit viam dicto populo (5), qui transivit sicco pede per contactum virgæ Moysi, *fu più mirabil a veder,* idest, miraculosius, *che il soccorso qui,* idest, quam esset mirabile videre succursum divinum hic venturum ad puniendum perversos claustrales, scilicet, in prædictis conventibus Petri, Benedicti et Francisci. — *Così.* Hic autor imponit finem narrationi Benedicti, et describit eius recessum, dicens: et ille Benedictus, *così mi disse,* sicut scriptum est, *et indi si ricolse al suo collegio,* et deinde reduxit se ad turbam suorum sociorum, a qua recesserat quando accesserat ad me; et dicit: *e 'l collegio si*

(1) E. et intrans per viam illam maris cum suis, aqua relabente ad locum suum fuit.

(2) 4, contra officium naturæ. (3) 4, puniret peccatores.

(4) E. et alius vocatur Dan, inde Jordanus, ut ait.

(5) E. populo Dei, qui.

strinse, scilicet, ascendendo per scalam; et dicit: *poi s' avvolse tutto in su,* a simili, *come turbo,* idest, sicut venerat primo tamquam involucrum aggregatum simul. Est enim turbo circumvolutio ventorum etc.; licet enim prædicti spiritus et omnes alii quos autor descripsit ascendentes (1) per singulas speras ostenderint se in istis corporibus planetarum, tamen omnes habent suas sedes in cœlo empyreo; ideo bene fingit eos redivisse ad summum scalæ, quæ protenditur usque ad Deum.

La dolce donna. Ista est quarta pars generalis (2), in qua autor describit suum ascensum ad octavam speram Beatrice impellente ipsum; et ostendit quomodo ipsa Beatrix fecerit eum agilem et velocem ad sequendum dictos spiritus ascendentes per scalam (3) contemplationis. Unde dicit: *La dolce donna,* scilicet Beatrix, qua nulla est pulcrior scientia in terris, *mi pinse dietro a lor su per quella scala con un sol cenno,* idest, solo nutu faciei, et dicit: *sì,* idest, in tantum, *sua virtù,* quia est scientia supernaturalis, *vinse la mia natura,* quæ per se non poterat esse sufficiens ad ascendendum per illam scalam quæ ascendit ad Deum. — *Nè mai.* Hic autor exprimit imperceptibilem velocitatem illius suæ ascensionis per unam comparationem vel superlationem. Et breviter vult dicere quod non potest reperire hic convenientem comparationem. Unde dicit: *Nè mai sì ratto moto,* idest, tam velox, *fu quaggiù,* scilicet, infra cœlum, *dove si monta e cala naturalmente,* quia leve naturaliter tendit sursum, et grave deorsum; quasi dicat: omne quod movetur sursum vel deorsum non movetur ita velociter, *ch' agguagliar si potesse alla mia ala,* idest, quod posset parificari meo volatui velocissimo; unde nec avis, nec sagitta, nec fulgur movetur tam celeriter sicut ego ascendi per dictam

---

(1) S. ascendere. (2) E. generalis huius capituli, in qua.
(3) E. scalam hanc contemplationis.

scalam post illos velocissimos spiritus. — *S' io.* Hic autor describit suum ingressum subitum in octavam speram per signum geminorum, quem ingressum subitum designat per unam comparationem domesticam, dicens: *O lettor, tu non avresti in tanto tratto e messo il dito nel fuoco in quanto,* quasi dicat, in instanti, *io vidi il segno che segue il tauro,* scilicet, gemini, quod signum est immediate post taurum, *e fui dentro ad esso.* Et hic nota quod licet communiter habeant textus, *tratto e messo,* tamen melius videtur quod non ponatur ibi illud *e,* quia nullus libenter ponit digitum in ignem, et per consequens non velociter, sed libenter et celeriter extrahit ipsum; et ideo exponatur: *tu non avresti in tanto il dito messo nel fuoco tratto.* Et confirmat autor suum dictum per arctissimum sacramentum, dicens: *s' io torni mai a quel divoto trionfo,* idest, si redeam ad cœlum ubi est ecclesia Dei triumphans, quæ ostenditur in ista octava spera, ut patebit capitulo sequenti; et dicit: *per lo quale io piango spesso le mie peccata e 'l petto mi percuoto,* quasi dicat: sæpe ago pœnitentiam, et dico meam culpam ut possim reverti post mortem ad triumphalem curiam ad quam ivi vivens adhuc in carne per gratiam specialem. Et adverte quod autor secure potuit hoc jurare, quia de rei veritate nullus motus naturalis potest esse tantæ velocitatis, sicut motus spiritualis mentis contemplantis Deum. Et hic nota quod autor merito fingit quod Beatrix impulerit eum per scalam illam, per hoc dans intelligi quod ipse per viam contemplationis transcenderit omnes speras planetarum. — *O gloriose.* Hic describit suam nativitatem, quæ fuit sub ascendente geminorum; et breviter vult dicere quod natus est sole oriente in signo geminorum, quod est signum magnæ virtutis, ideo apostrophat ad ipsum signum, dicens: *O gloriose stelle,* notanter dicit, *stelle,* in plurali, quia signum geminorum,

sicut et cætera signa, est aggregatum ex multis stellis: constat enim ex [1] dictis, et dicit: *o gloriose,* * ab effectu, quia faciunt homines gloriosos * [2]; unde dicit: *o lume pregno di gran virtù,* quia scilicet, facit homines literatos et ingeniosos. Et dicit: *dal qual io riconosco tutto il mio ingegno, qual che si sia;* idest qualecumque sit, quia nolo ipsum laudare. Et hic nota bene quomodo autor tacite vult ostendere, quod causæ secundæ, scilicet influentiæ cœli conferunt sibi dispositionem et aptitudinem ad scientiam litteralem, quia qui habet gemini pro ascendente naturaliter est ingeniosus, et maxime quando sol est in eo signo. Sol enim facit excellentes sapientes et magnos doctores, sicut declaratum est supra plene in tractatu de sole. Unde subdit: *quegli,* scilicet, sol, *ch' è padre d' ogni mortal vita,* idest, qui est generator omnis mortalis vitæ, scilicet sensitivæ et vegetabilis, *nasceva con voi,* idest, oriebatur in signo geminorum super terram in hemisperio nostro, *e s' ascondeva vosco,* idest, occidebat similiter in dicto signo geminorum; vel quia erat in geminis velabatur in eis, *quand' io senti' da prima l' aer Tosco,* quasi dicat: quando primo ex utero matris meæ veni in lucem in Tusciam, scilicet, in Florentia, ubi aer valde subtilis. Et subdit quod per idem signum cœli, sub quo primo natus est in terra, reintravit nunc cœlum. Unde dicit: *e la vostra region poi mi fu sortita,* idest destinata mihi, *quando mi fu largita grazia,* idest, donata et concessa a Deo, *d' entrar nell' alta ruota,* idest, speram octavam, quæ continet sub se omnes speras planetarum; et dicit: *che vi gira,* quia zodiacus circulus signorum est in octava spera, et girat et movet in circuitu omnia signa secum. — *A voi.* Hic autor descripturus altam materiam deinceps facit suam invocationem ad dictas

(1) E. ex . . . . et dicit.
(2) Le parole fra i due asterischi sono supplite dai Codici 4 e Estense.

stellas (¹), quod adiuvent eius ingenium ad talem materiam describendam; et dicit: quandoquidem sic est quod estis signum tantæ virtutis sub quo intravi (²) in mundum et reintravi nunc in cœlum, ideo, *L'anima mia ora sospira,* idest, supplicat, *divotamente a voi per acquistar virtute,* idest, sufficientiam et potentiam, *al passo forte,* idest, ad arduam materiam, *che a sè la tira,* idest, quæ nunc sibi occurrit describendam; et merito dicit: *passo forte,* quia hic est finis omnium rerum. Describit enim in sequentibus ecclesiam Dei triumphantem, et totam cœlestem curiam usque ad Deum.

Tu se' sì presso. Hæc est quinta et ultima pars generalis (³), in qua autor describit reflexionem sui visus ad respiciendum universalem mundum sub se per omnes inferiores speras. Et primo ostendit quomodo Beatrix persuaserit sibi talem reflexionem, dicens: *Beatrice cominciò: tu se' sì presso all' ultima salute,* quasi dicat: hic locus in quo tu es est ita propinquus Deo, quia solum spera nona est intermedia, *che tu dei avere le luci tue,* scilicet intellectuales oculos, *chiare et acute,* scilicet, ad videnda omnia inferiora; *e però rimira in giuso,* scilicet, ad inferiora, *prima che tu più t' inlei,* idest, antequam magis intres in eam salutem, *e vedi quanto mondo ti fei esser già sotto li piedi.* Et subdit causam, quare debeat hoc facere, ut scilicet lætius et liberius accedat ad sequentem materiam describendam; unde dicit: *sì che 'l tuo cuor s'appresenti giocondo quantunque può,* idest, quantum possibile est menti adhuc existenti in carne, *alla turba trionfante,* idest, ecclesiæ triumphanti, *che vien lieta,* idest, quæ apparebit tibi nunc, *per questo etera tondo,* idest, in isto cœlo sperico, scilicet, firmamento.— *Col viso.*

(¹) E. stellas geminorum, quod adiuvent.
(²) E. intravi mundum.
(³) E. generalis huius capituli, in qua.

Hic autor describit [1] quomodo persuasus a Beatrice respexerit inferius, et quid viderit de toto mundo. Dicit ergo: *Io ritornai col viso,* idest, recurri cum intellectu, *per tutte quante le sette spere,* idest, orbes planetarum a Saturno usque ad Lunam inclusive. Et dicit in speciali de spera infima terræ, *e vidi questo globo,* idest, circulum, idest, istam nostram terram, *tale,* idest, tam parvum et angustum, *ch' io sorrisi del suo vil sembiante,* quia apparet tamquam punctus et pugillus, vix capax tot miseriarum quot est repletus. — *E quel.* Hic autor ex dictis elicit unam conclusionem veram, scilicet, quod qui spernit mundum et colit cœlum est vere felix; et ita e contra, qui colit mundum et spernit cœlum est summe infelix. Dicit ergo: *E quel consiglio.* Et hic invenitur duplex litera, licet utraque importet eamdem sententiam; vide ergo etc. — *Vidi.* Hic autor particulariter describit septem speras planetarum quas revidit et incipit ab inferiori, scilicet, a spera lunæ eo ordine quem tenuit in ascendendo gradatim. Dicit ergo: *Vidi la figlia di Latona,* idest, Lunam, quæ dicitur fuisse filia [2] Latonæ, ut expositum est Purgatorii capitulo, *incensa,* idest, illuminatam a sole; et dicit: *senza quell' ombra che mi fu cagione perchè già la credetti rara e densa,* quam causam autor nititur impugnare secundo capitulo Paradisi. Et hoc dicit hic, quia considerabat omnia in eius propria essentia. — *L' aspetto.* Hic autor describit tres planetas simul, scilicet, Solem, Mercurium, et Venerem, quia sequuntur motum solis; unde dirigit sermonem ad Jovem, cuius filius fingitur [3] esse Sol, dicens: *O Iperione,* idest, Jupiter, qui sic dictus est, quia etc., *io sostenni l' aspetto del tuo nato,* idest, solis, *quivi,* quasi dicat: ego potui sustinere hic in cœlo radios solis, quos non pote-

(1) S. ostendit. (2) E. filia Jovis et Latonæ. (3) E. dicitur.

ram sustinere in terra, adeo erat vigorata mea potentia visiva. Et dicit: *e vidi come Maia e Dione,* idest, Mercurius et Venus; ponit enim matres pro filiis; Maia enim est [1] mater Mercurii, ut patet apud omnes poetas, et præcipue apud Martianum Capellam: Dion vero dicitur mater Veneris, de qua dictum est supra capitulo huius Paradisi, *si muove circa e vicino a lui,* idest, prope ipsum Solem; nam modica differentia est inter motum eorum a motu solis, quia propter eorum retrogradationem semper sunt sibi propinqui. — *Quindi.* Hic autor describit reliquos tres planetas simul, scilicet Martem, Jovem et Saturnum; et dicit, quomodo Jupiter medius temperat utrumque. Jupiter enim est calidus et humidus, Saturnus frigidus, Mars siccus: ideo caliditas Jovis temperat frigiditatem Saturni; et eius humiditas siccitatem Martis. Dicit ergo: *Quindi,* idest, ex hac spera octava, *m' apparse il temperar di Giove tra 'l padre e 'l figlio,* idest, inter Saturnum qui fuit pater Jovis, et Martem qui fuit filius Jovis. Unde natura bene providit quod inter duos planetas infortunatos sit medius fortunatus et benevolus. Et dicit: *e il variar che fanno di lor dove,* idest, varietas situs eorum quam faciunt se mirabiliter intersecantes, *mi fu chiaro quindi,* idest, ex dicta spera octava. Et subdit: ut generaliter dicam, *e tutti e sette,* scilicet prædicti planetæ, *mi si dimostraro quanto son grandi, e quanto son veloci,* quia Luna percurrit totum zodiacum in uno mense; Mercurius, Venus et Sol in uno anno; Mars in duobus; Jupiter in duodecim; Saturnus in triginta; et dicit: *e come sono in distante riparo,* idest, situ distante, quasi dicat: ostenderunt se omnes mihi in quantitate, cursu et distantia. — *L' aiuola.* Hic ultimo autor concludens in hac materia ostendit quomodo viderit totam terram, quam

---

[1] E. fuit.

vocat areolam propter eius parvitatem et angustiam, dicens: *L'aiuola,* idest, areola, parva area, parva platea, *che ci fa tanto feroci,* idest, tam superbos, *tutta m' apparve da' colli alle foci,* idest, a montibus ad maria, mihi dico, *volgendomi,* idest, qui volvebam (¹) cum signo geminorum, qui figurantur in forma duorum gemellorum eodem partu natorum, scilicet, Castoris et Pollucis, ut expositum est in Purgatorio. Et claudit capitulum, dicens: *poscia rivolsi gli occhi,* scilicet, intellectuales, *agli occhi belli,* scilicet, Beatricis, quæ superius vocatur Beatrix a pulcris oculis, ut sciret quid esset agendum. Et hic nota quod autor pulcre fingit quod consideraverit (²) ista inferiora, ut clarius videre posset superiora. Multum enim confert contemplanti cœlestia considerare, vel reflectere visum ad vilitatem inferiorum, quæ (³) tunc magis sibi vilescunt, et superiora gratiora fiunt etc.

(¹) E. volvebar. (²) S. consideravit. (³) E. quia.

CANTUS VIGESIMUS TERTIUS, *in quo ponitur triumphans vita; deinde ponitur ascensus ad nonam speram.*

Come l'augello intra le amate fronde. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit suum ascensum ad speram octavam per signum geminorum; nunc consequenter in isto XXIII capitulo describit curiam triumphantem quæ apparet in ipsa octava spera, et suum ascensum ad nonam speram: et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In quarum prima autor describit dispositionem Beatricis, quæ ipsum apparavit ad videndum triumphantem [1] ecclesiam venientem. In secunda describit ducem huius exercitus triumphalis, ibi: *Quale nei plenilunii.* In tertia describit militiam quæ sequitur ad ipsum ducem, ibi: *Perchè la faccia.* In quarta et ultima describit nonam speram, ibi: *Lo real manto.* Ad primum ergo dico, quod autor describit dispositionem Beatricis, quæ aptavit vel direxit ipsum ad sequentem materiam. Et primo continuans dicta dicendis, ostendit eius solicitudinem erga se per unam comparationem claram, quæ breviter stat in hoc; quod sicut avis habens in arbore nidum et pullos, pro quibus educandis non parcit labori, surgit ante diem ut videat dulces filios et spectat versus orientem expectans desideranter ortum solis, ut possit providere filiis de pastura; ita a simili stabat Beatrix conversa ad orientem expectans apparitionem solis æterni, ut provideret filio suo Danti de cibo spirituali. Nunc ordina sic literam, et expone: *La donna mia si stava eretta et attenta,* scilicet, versus ultimum cœlum;

---

[1] S. triumphalem.

unde dicit, *rivolta invèr la plaga,* idest, partem orientalem, *sotto la quale il sol mostra men fretta,* quia in ortu videtur tardius ascendere. Aliqui tamen exponunt versus plagam meridianam, ubi sol interponit plus temporis ad currendum. Et ostendit hoc a simili, dicens: *così come l'augel posato al nido de' suoi dolci nati,* idest, filiorum, quorum amor est dulcis in omnibus, *la notte che le cose ci nasconde,* idest, tempore noctis quando omnia animalia quiescunt, *intra le amate fronde,* scilicet, arboris, ubi habet nidum filiorum dilectorum, *che,* idest, quæ avis, *previene il tempo in su l' aperta frasca,* quia ante diem surgit intempestive de nido et ascendit ramum; et hoc, *per veder gli aspetti disiati,* illorum pullorum suorum, *e per trovar lo cibo onde gli pasca;* et dicit: *in che,* idest, in qua inventione cibi, *i gravi labori gli son grati,* quia magni labores non gravant eam, immo delectant in hoc; et dicit: *et aspetta il sole,* qui oriatur super terram, *con ardente affetto,* idest, desiderio intenso, idest, summa affectione, *guardando fisso pur se l' alba nasca,* idest, clarescentia diei vel aurora. Et hic nota quomodo comparatio facit ad propositum; primo, quia sicut avis est solicita circa educationem filiorum, ita Beatrix circa informationem suorum theologorum. Et sicut avis provida non expectat petitionem filiorum, sed providet eis antequam petant, ita Beatrix hic fecit erga autorem præveniens ipsum antequam videret vel speraret illud quod apparuit postea. Et sicut avis ardenter expectat apparitionem solis qui illuminat omnia, ita Beatrix expectabat apparitionem solis æterni, qui fecit ipsum solem et illuminat omnes spiritus beatos omnium sperarum, qui sunt congregati in ista spera. — *Sì che.* Hic autor ponit effectum suæ inspectionis; et breviter dicit, quod respiciens Beatricem ita abstractam factus est avidus sciendi quid sequeretur ex hoc; et continuo concepit spem quod

aliquid novum et mirabile appareret. Dicit ergo: *Sì che veggendola io sospesa e vaga,* idest, tam suspensive et vage respicientem, velut mulier amorata de suo vago, idest, sponso æterno qui jam appropinquabat, *fecimi qual è quei che vorria altro disiando, e s' appaga sperando,* idest, quietat et contentat mentem suam avidam cum spe quæ tenet locum rei. — *Ma poco.* Hic autor ostendit quod cito venit id quod desiderabat et sperabat, dicens: *Ma poco fu tra l' uno e l' altro quando,* idest, quod modicum spatium et intervallum fuit inter utrumque tempus, scilicet expectandi et videndi; unde exponens se dicit: *io dico del mio attendere,* idest, expectare, *e del veder lo ciel venir più e più rischiarando:* sicut enim sole paullatim ascendente in ortu suo cœlum nostrum magis ac magis fiebat lucidum; vult ergo dicere quod parvum momentum intercessit inter desiderium conceptum et adventum rei desideratæ. — *E Beatrice.* Hic autor fingit quomodo Beatrix ostenderit sibi adventum ducis et exercitus triumphalis. Et ad huius fictionis pulcerrimæ intelligentiam est prænotandum, quod multi mirati sunt in hoc passu, quare triumphus beatorum cum duce eorum ostendatur in hac octava spera, non videntes causam quæ movit (1) autorem ad hoc, quæ est hæc: quoniam in ista octava spera sunt imagines omnium stellarum quæ sunt principia omnium naturarum, et quia spera octava, ut dictum est secundo capitulo huius Paradisi et alibi, sibi distribuit virtutem suam per omnes speras planetarum inferiores; ideo bene eleganter fingit quod omnes animæ beatorum distincte apparentes in singulis speris planetarum, nunc appareant simul aggregatæ in ista octava spera. Nunc ad literam dicit autor: *E Beatrice disse: ecco le schiere,* quæ diversimode pugnaverunt et

---

(1) E. moverit.

sub diversa armatura in terra, ut in cœlo triumpharent de sua victoria. Unde dicit: *del trionfo di Cristo,* quia huius gloriosi exercitus dux et princeps est gloriosissimus Christus [1]. Et dicit: *e tutto il frutto ricolto del girar di queste spere,* idest, ex motu et influentia planetarum. Est ergo hic notandum quod acies virginum de spera lunari, acies activorum de spera mercuriali, acies amorosorum de spera Veneris, acies doctorum de spera Solis, acies bellatorum de spera Martis, acies regum et principum de spera Jovis, acies contemplativorum de spera Saturni, omnes istæ acies septem electæ et missæ ad diversas pugnas a duce suo nunc revocantur et recolligentur [2] ad ipsum summum ducem et imperatorem, et recipient præmium et triumphum meritum, ut animent cæteros ad bene pugnandum. Et hoc factum est in illa Roma, cuius unus est princeps qui gaudet de frequentia civium, non de pulsione lætatur; ad quem quicumque confugit salvus est, etiam si prodiderit patriam suam vel interfecerit patrem suum, aut deseruerit imperatorem terrenum in bello. — *Pareami.* Hic autor describit superexaltatam pulcritudinem Beatricis in adventu istorum, dicens: *Pareami che 'l suo viso ardesse tutto,* scilicet, inflammatissimo amore et lucentissimo splendore; unde dicit: *e gli occhi avea sì pieni di letizia,* quia speculatio et contemplatio maximam recipit delectationem quando appropinquat ad finem suum, *che passar mi convien senza costrutto,* idest, constructione, scilicet, declaratione et distinctione partium, qua utuntur grammatici, et est commune dictum; solemus enim sæpe dicere: nescio elicere constructum de hac re. Et hic nota quod autor merito hoc dicit, quia, ut patuit supra discurrendo per singulas speras, Beatrix continuo superexcrescebat

---

(1) E. Jesus Christus. (2) E. recolliguntur.

in pulcritudine lucis et lætitiæ, in tantum quod jam desierat posse amplius videre tantam pulcritudinem; quanto fortius hic ubi tota virtus et influentia planetarum ostendebatur simul aggregata.

Quale nei plenilunii. Ista est secunda pars generalis [1], in qua autor describit ducem et imperatorem huius exercitus per unam comparationem pulcerrimam et propriam. Et breviter dicit: sicut luna cum est plena tempore sereno supersplendet inter cætera sidera, ita ibi vidit unum solem splendidissimum qui lumine suo accendebat omnes illas animas tamquam stellas lucentes. Nunc ordina sic literam et expone: *Vid' io un sol,* scilicet, Christum, *sopra migliaia di lucerne,* idest, super numerosam multitudinem illarum animarum beatarum ardentium ibi, et recipientium suum ardorem et splendorem desuper a lumine illius solis; unde dicit, *che tutte quante l' accendeva* a simili, *come fa il nostro le viste superne,* idest, sicut noster sol sensibilis illuminat omnia sidera et corpora cœlestia; vel sicut sol illuminat septem speras planetarum; ita Christus hic septem acies animarum beatarum sequutarum influentias septem planetarum, et omnis acies erat valde numerosa, ideo bene dicit: *migliaia,* quia infinita. Et subdit quod vidit illum solem divinum talem, *qual Trivia,* idest, Luna, quæ ideo vocatur Trivia a tribus virtutibus sive potestatibus eius; unde sortitur diversa nomina, scilicet, Luna, Diana et Proserpina; vel propter tria tempora eius, scilicet, incrementum, statum et diminutionem, *ride,* idest splendet, *tra le ninfe eterne,* idest, inter stellas quas autor poetice vocat nymphas, idest, deas, propter virtutem earum quæ divina vocatur. Unde dicit: *che dipingon lo ciel per tutti i seni,* idest, quæ stellæ adornant cœlum per omnes partes et

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua.

capacitates suas; et dicit: *nei plenilunii,* quia si luna debet apparere splendidior inter sidera debet esse plena, et dicit, *sereni,* quia si non esset aer serenus non posset luna splendere nobis, vel apparere splendidior inter sidera. — *E per.* Hic autor describit superexcellentiam luminis illius æterni solis; sicut enim sol sensibilis transparet infra omnia lumina quæ recipiunt lumen ab eo, ita quod oculus humanus sustinere non valet; ita ille sol æternus transparebat infra omnes illas animas beatas et apparebat ita lucidus, quod oculus intellectualis autoris eius lumen acutissimum sustinere non poterat. Dicit ergo: *e la lucente sustanzia,* scilicet, dictus sol, idest, essentia vel persona Christi lucidissima, *transparea,* idest, translucebat, *per la viva luce,* ipsarum animarum, vel per propriam lucem ipsius Christi, *tanto chiara nel viso mio,* scilicet, intellectuali, *che non la sostenea,* quia intellectus humanus non sufficit ad comprehendendum et cognoscendum naturam Christi. — *O Beatrice.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix manifestaverit sibi illam infinitam lucem; et quia cito succurrit sibi allucinato, ideo prorumpit primo in eius commendationem, dicens: *O Beatrice dolce guida e cara! o,* idest, dico, quia ipsa tamquam cara mater dulciter succurrit filio dubitanti, sicut patuit in præcedenti capitulo; deinde dicit: *ella mi disse, quel che ti sobranza,* idest, illud lumen quod visum tuum superat et vincit, *è virtù,* scilicet, filii Dei, *da cui nulla,* scilicet, alia virtus angelica vel humana, *si ripara,* idest, defendit se, quia omnis virtus intellectiva vincitur ab illa virtute superna. Et subdit in speciali exprimens ipsam virtutem, *quivi è la sapienza,* idest, filius Dei, *e la possanza,* scilicet eius, *che aprì le strade tra 'l cielo e la terra;* clausæ enim erant viæ eundi a terra ad cœlum propter longam guerram natam propter atrocem iniuriam factam a servo contra Dominum omnium potentissi-

mum, qui de hoc fecit maximam vindictam. Et dicit: *onde fu già sì lunga disianza,* idest, quam apertionem stratarum desideraverunt olim sancti patres per tot millia annorum, sicut patet per Isaiam et David qui vocabant ipsum expectatum. — *Come.* Hic autor describit effectum illius visionis, et dicit, quod mens sua grandificata est, sive ampliata super naturam, adeo quod exivit terminos suos, per comparationem ignis fulminei, qui contra naturam suam, quæ est apta ire sursum, descendit violenter deorsum. Nunc ad literam dicit autor: *La mente mia fatta più grande,* scilicet, solito, *uscío di sè stessa,* quasi dicat: versa est in alteram qualitatem, ita ut posset (1) sustinere id quod prius sustinere non poterat, ut statim dicetur. Et dicit: *e rimembrar non sape che si fesse,* idest, et meminisse non potest, quid effecta (2) fuerit, quia non erat amplius mens humana; et dicit: *tra quelle dape,* idest, inter illas delicias a simili, *così come fuoco,* idest, ignis circumdatus nube, *si disserra di nube per dilatarsi sì che non vi cape,* quia scilicet nubes non est capax eius, *e s'atterra in giù,* idest, descendit ad terram deorsum, *fuor di sua natura,* quia ex sui natura ignis levis est, et deberet tendere sursum. Et hic nota quod comparatio præsens pulcre et proprie explicat actum autoris; sicut enim ignis tractus in aerem ex vapore terrestri a calore solis inclusus in ventre nubis violenter erumpit et splendet, et contra suam naturam descendit; ita ardens ingenium autoris tractum a terra ad cœlum a calore solis æterni, scilicet a radio divinæ gratiæ et inclusum intra nubem carnis, exaltatum est supra naturam suam, et continuo eluxit, et factum est potens et sufficiens ad videndum risum Beatricis. — *Apri.* Hic Beatrix invitat autorem sic vigoratum ad respiciendum risum eius, dicens:

---

(1) E. posset nunc sustinere. (2) S. facta fuerit.

Apri gli occhi, scilicet, intellectualem speculationem, *e riguarda qual son io;* et probat quod debeat posse respicere pulcritudinem maximam eius, dicens: *tu hai vedute cose,* essentiam Christi, *che se' fatto possente a sostenere lo riso mio,* quem (1) paullo ante non poteras sustinere.—*Io era.* Hic autor ostendit suam dispositionem ad oblationem Beatricis per unam comparationem propriam; et breviter vult dicere quod erat nunc similis illi qui somniavit, et quærit somnium ad memoriam revocare nec potest. Dicit ergo: *Io era come quei che si risente,* scilicet, quando evigilat, *di visione oblita,* idest, oblivioni tradita, *e che s' ingegna indarno di ridurlasi alla mente,* et tamen frustra fatigat ingenium, quia non potest recordari. Et hic nota quod ista est propriissima comparatio; sicut enim aliquando homo per visionem videt rem nobilem, mirabilem et memorabilem, quam conatur ad memoriam reducere, nec potest quoquo modo; ita a simili autor noster per abstractionem mentis viderat rem nobilissimam et mirabilissimam, scilicet (2) personam Christi, nec poterat reminisci qualem viderat ipsam. Aliqui tamen hoc referunt ad pulcritudinem Beatricis, quam autor fuerat quodammodo oblitus, ita quod nunc non poterat reminisci eius. Sed prior expositio plus mihi placet. Et subdit: talis eram, *quand' io udi' questa profferta degna di tanto grado,* scilicet, cum Beatrix dixit: *apri gli occhi,* quæ oblatio erat digna tanta gratiarum actione et gratificatione, *che mai non si stingue del libro,* idest, quod numquam aboletur de memoria, *che 'l preterito rassegna,* quia memoria est liber in quo præterita describuntur, ita quod de præsenti sciuntur. —*Se mo.* Hic autor facit descriptionem superexcellentis et transcendentis pulcritudinis Beatricis; et sententialiter et summatim vult di-

---

(1) E. e S. quem tamen paullo.
(2) E. scilicet essentiam Jesu Christi, nec potest.

cere, quod non posset describere minimam particulam huius veritatis si haberet nunc secum subsidium omnium poetarum, qui unquam altius aliquid descripserunt maiori scientia et eloquentia et memoria vivaciori. Nunc vide literam quam ordina et construe sic: *Non si verria,* idest, non perveniretur, *al millesmo del vero,* idest, ad millesimam, idest, minimam partem veritatis, *cantando,* idest, poetice describendo, *il santo riso,* idest, lætitiam et luciditatem Beatricis; et dicit: *e quanto il santo aspetto,* scilicet, Beatricis, *facea mero,* idest, faciebat purum et sincerum. Et hoc dico: *se mo sonasser tutte quelle lingue,* idest, excellentium poetarum, *che,* idest, quas, *Polinnia,* quæ est una ex novem musis, et interpretatur multa memoria, idest, capacitas memoriæ, quæ haberet hic locum, *con le suore,* idest, cum reliquis musis quas autor vocat sorores, tum quia secundum fabulam sunt ex eisdem parentibus natæ, tum quia scientiæ sunt omnes invicem connexæ, *fero più pingue,* idest, fecerunt pinguiorem et copiosiorem, *del latte lor dolcissimo,* idest, doctrina et eloquentia poetica delectabilissima, quam autor merito vocat lac, quia scientia poetica velut lac suavissimus primo est exhibenda juvenibus, sicut dicit Macrobius. Unde Augustinus primo de Civitate Dei circa principium dicit: Virgilium etc. Et hic nota quod autor per istam excellentem pulcritudinem dat intelligi, quod pulcritudo et profunditas theologiæ maxime consistit in incarnatione Verbi. Et quia autor hic pervenerat ad Christum, de cuius natura nemo potest digne loqui, ideo bene sic se excusat ab huiusmodi descriptione. — *E così.* Hic autor ostendit quomodo pertransiit istum passum arduum per unam comparationem propriam, quæ stat in hoc, quod [1] interdum homo faciens iter reperit ma-

---

[1] E. e S. quod sicut interdum.

gnum vallum vel fossum altum et profundum quod transire non potest, sed (1) cum hasta vel lancea transilit; ita nunc autor describens curiam cœlestem figuraliter pervenit ad passum fortem et difficilem quem describere non poterat, ideo transvolat cum stilo vel penna ad alia describenda. Nunc ad literam, dicit autor: *E lo sacrato Poema,* quod scilicet est de materia sacra, *figurando il paradiso,* idest, repræsentando poetice sub figura, quia de rei veritate (2) non est hic, sed hic figuratur et monstratur, *convien così saltare,* scilicet, prædictum passum, *come chi trova suo cammin reciso,* idest, sicut illum qui invenit suam viam interruptam aliquo fosso oportet, supple, saltare. Quantum autem hæc comparatio sit propria ad propositum patet bene intuenti; ideo non plus de ea. — *Ma chi.* Hic autor excusat insufficientiam suam et probat se vere excusabilem, dicens: *Ma chi pensasse il ponderoso tema,* quod scilicet est de essentia Christi, *e l'omero mortal che se ne carca,* quasi dicat: si consideraverit quod ego mortalis assumo materiam immortalem describendam, *nol biasmerebbe,* idest, non culparet nec juste culpare posset, *se sott' esso trema,* idest, si ipse humerus meus debilis deficit sub tanto pondere gravis materiæ. — *Non è.* Hic autor ad justam excusationem sui dicit quod ad descriptionem huius altissimæ materiæ esset opus alio ingenio per pulcerrimam metaphoram maris, et sententialiter vult dicere, quod esset opus altissimo ingenio et excellentissimo poeta ad describendam tam magnam et profundam materiam. Dicit ergo: *Non è pareggio da picciola barca,* quasi dicat, immo magna, *quel che l'ardita prora,* quæ est prior pars navis, *va fendendo,* vel *secando,* idest, dividendo. Dividitur enim in (3) corpore aquæ, in navigatione tantum, quantum li-

(1) E. sed si cum hasta vel lancea transeat, transilit eum; ita.
(2) E. veritate transire non est. (3) S. e E. de corpore.

gnum capit, et dicit: *nè da nocchier che a sè medesmo parca,* quasi dicat, immo audaci, idest, qui timeat de naufragio, et provideat suæ saluti non intrando profundum. Et hic nota quantum metaphora sit propriissima ex omni parte sui, quia assimilat materiam altam mari magno et profundo; ingenium velox barcæ, sicut expositum est primo capitulo Purgatorii et secundo Paradisi; poetam vero scribentem nautæ naufraganti. Est ergo similitudo adaptanda sic: sicut est opus magno ligno et forti nauta ad transeundum mare magnum: ita opus est magno ingenio et sufficienti poeta ad describendam istam materiam magnam et amaram gustui intellectuali.

Perchè la faccia. Ista est tertia pars generalis (1), in qua autor describit ipsam militiam triumphalem. Et primo ostendit (2) quomodo Beatrix converterit eum ad ipsam spectandam, dicens: *La faccia mia perchè sì t' innamora,* quia (3) licet sim facta pulcerrima hic non debes tantum considerare materiam Christi incomprehensibilem quod tu non videas eius familiam; unde dicit: *che tu non ti rivolgi al bel giardino,* idest, cœlestem curiam in qua virent diversi flores et fructus. Unde dicit: *che sotto i raggi di Cristo s' infiora,* idest qui florent sub radiis gratiæ Christi, quem supra figuravit (4) sub nomine solis. — *Quivi.* Hic Beatrix specificat aliquos præcipuos flores, qui sub radiis divinæ gratiæ fecerunt mirabiles fructus; et primo rosam quæ est pulcerrima florum, per quam figurat principissam et ducissam summi imperatoris, dicens: *quivi,* scilicet, inter lucernas ardentes infra Christum, *è la rosa,* idest, purissima Virgo, *in che il Verbo divino,* in qua filius Dei, *si fece carne,* idest, incarnatus et humanatus est: et dicit: *quivi son li gigli,* idest, sancti apostoli, martyres et confessores;

(1) E. generalis huius capituli, in qua. (2) E. ponit.
(3) E. quasi dicat: licet. (4) E. figuraverat.

in lilio enim tria sunt: albedo [1] extra et rubedo intra, et odor procedens ab utroque: albedo designat puritatem fidei, rubedo ardorem caritatis, odor bonam famam. Unde dicit: *al cui odor*, idest, ad quorum odorem prædicationum, operationum, miraculorum, *si prese il buon cammino,* quia ostensa est per eas via paradisi, sicut scriptum est Purgatorii capitulo XXII ibi: *Già era il mondo tutto quanto pregno* etc. — *Così*. Hic autor volens describere militiam triumphalem, primo ostendit quomodo disposuerit se ad hoc. Et continuans dicta dicendis, dicit: *Così Beatrice,* supple dixit: *et io ch' ai suoi consigli tutto era pronto, ancora mi rendei alla battaglia de' deboli cigli,* quasi dicat: iterum converti oculos ad videndum apostolos et sanctos, qui prius erant debilitati videndo [2] Christum; nam sicut sæpe exemplificatum est, quando oculus humanus respexit solem, ita gravatur excellentia luminis, quod redditur inhabilis ad videnda alia minora sensibilia [3], et ita erat nunc de autore. — *Come*. Hic autor describit dictos flores per unam comparationem convenientem materiæ, quæ stat in hoc, quod ipse vidit nunc istos beatos in ea forma qua aliquando vidit in mundo unum pratum floridum coopertum nube, per quam radii solares penetrabant et irradiabant dictos flores. Dicit ergo: *Vid' io più turbe di splendori,* idest, acies splendentium animarum, *fulgorati,* idest, illuminati, *di su,* idest desuper ab alto, *da raggi ardenti,* scilicet, dicti solis Christi; et dicit: *sanza veder principio di fulgori,* quia non videbat a quo oriebantur ipsi [4] radii, a simili, *così come gli occhi miei vider già prato di fiori coverto d' ombra,* scilicet, nubis, *a raggio di sole che mei,* idest, discurrat, vel transeat, *puro,* idest, nitidus, *per fratta*

---

[1] S. e E. scilicet, albedo extra.
[2] E. videndo essentiam Jesu Christi; nam.
[3] E. insensibilia.
[4] S. dicti radii.

nube, idest, per nubilum foratum ab ipso eodem radio. Et hic nota quomodo comparatio est propria ad propositum. Sicut enim in casu posito de prato florido autor videbat radios solis illuminantes flores, et tamen non videbat ipsum solem a quo ipsi radii procedebant; ita nunc videbat radios venientes super apostolos, nec videbat ipsum (1) Christum a quo veniebant: et sicut videbat illos radios venientes super flores mediante nube; ita nunc sub nube videbat et non pure radios æterni (2) solis venientes ad istos beatos. — *O benigna.* Hic autor commendat gratiam Salvatoris Christi, qui exaltavit se sursum, ut relinqueret autori locum et commodum videndi Virginem (3) et beatos. Dicit ergo, quasi gratificanter: *O benigna virtù,* idest, o clementia, o beneficentia Salvatoris, *che sì gl' imprenti,* idest, ita sigillas fulgore tuo, ut jam dictum est, *su t' esaltasti,* idest, sursum te levasti, *per largirmi loco,* idest, ut donares et concederes mihi spatium, *agli occhi lì,* scilicet, meis, *che non eran possenti;* et hic nota quod autor ideo hoc fingit quia maius lumen obfuscat minus; ita quod præsentia, sive propinquitas Christi auferebat sibi potentiam videndi beatam (4) Virginem et apostolos. Aliqui tamen referunt istud dictum ad Beatricem, sed non video quomodo litera patiatur talem intellectum. — *Il nome.* Hic autor facta generali descriptione de apparitione militiæ sanctæ, nunc describit primo et principaliter dominam et reginam illius regis et domini æterni, in cuius gratia, sub cuius custodia et ad cuius servitium erant omnes prædicti. Et breviter dicit, quod singulis denominatio, quam fecerat supra Beatrix, de ista domina excelsa fecit conquærere

---

(1) E. ipsum solem irradiantem super illos, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum.

(2) E. æterni luminis sive solis.

(3) E. Virginem gloriosissimam reginam nostram et beatos.

(4) E. beatissimam Virginem Mariam, et.

cum oculo maiorem et splendidiorem illarum lucernarum. Dicit ergo, servata metaphora prima florum: *Il nome del bel fiore,* scilicet, rosæ, de qua dictum est supra, ubi Beatrix dixit: *qui è la rosa,* scilicet (1), Maria; nam rosa antonomastice est pulcerrima florum, et ista est Virgo virginum. Et dicit: *ch' io sempre invoco,* ex singulari devotione, *e mane e sera,* quia nomen beatæ (2) Virginis invocabat de sero cum iret ad quiescendum, et de mane cum surgeret de lecto, sicut deberet facere omnis fidelis christianus, *mi ristrinse l' animo,* idest, restrinxit et reduxit, qui erat primo vagus ad videndum generaliter totum pratum florum, *ad avvisar lo maggior fuoco.* Hoc ideo dicit, quia bene imaginabatur quod maior et ardentior lux inter omnes esset persona Mariæ (3); tum quia ipsa portavit solem, de cuius radiis omnes isti spiritus accendebantur; tum quia sola ibi erat inter istos cum anima et corpore, ita quod perfecta gloria relucebat in ea; ideo singularius et principalius direxit intuitum in illam. — *E come.* Hic autor introducit angelum Gabrielem, qui venit ab alto ut elevaret Mariam (4), quem describit multipliciter; et primo quoad habitum et quoad actum: et dicit quod cum bene notasset quantitatem et qualitatem illius lucernæ descendit angelus. Ordina sic literam et construe: *E una facella,* idest, angelus ardens, *formata in cerchio,* idest, habens formam circularem, *a guisa di corona, scese per entro il cielo,* et venit ad Mariam (5); unde dicit: *e cinsela e girossi intorno ad ella.* Et hic nota quod autor merito hoc fingit ut figuraliter ostendat quod iste angelus qui annuntiavit incarnationem Verbi exaltavit Mariam (6) super omnes cœlos, et collocavit ipsam juxta filium æterni Patris. Et hoc dico fecit:

---

(1) E. scilicet Virgo gloriosissima Maria; nam.
(2) E. beatissimæ. (3) E. Virginis Mariæ. (4) E. Virginem Mariam.
(5) E. ad Virginem Mariam. (6) E. Virginem Mariam.

come il quale, idest, quando qualitas lucis, *e 'l quanto,* idest, quantitas magnitudinis, *della viva stella,* scilicet, Mariæ (1), quam primo vocaverat rosam, nunc vocat stellam; est enim stella matutina propinquior æterno soli, et quæ plus recipit de lumine. Unde in Apocalypsi dicitur: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, *mi dipinse ambo le luci,* idest, oculos meos, scilicet, intellectum et rationem, quasi dicat: cum bene notasset excellentiam magnitudinis et lucis illius vivacissimæ stellæ; et dicit: *che lassù vince,* idest, quæ stella Mariæ (2) superat ibi omnes alios fulgores aliarum lucernarum, *come vinse quaggiù,* idest, sicut superavit cæteras mulieres in terra; vel dic quod ista superat omnes sanctos (3) in cœlo in gloria, sicut in mundo superavit eos omnes in fide; et utraque expositio (4) bona est, quia vera. — *Qualunque.* Hic autor describit dulcedinem vocis illius angeli per comparationem a contrario, quæ patet. Dicit ergo: *Qualunque melodia suona più dolce quaggiù,* scilicet, in mundo nostro, sive sit naturalis sive artificialis, *e più tira l' anima a sè,* quia (5) anima multum gaudet melodia, et maxime anima autoris, sicut dictum est secundo capitulo Purgatorii, *parrebbe nube che squarciata tuona,* quia in tonitruo nubes frangitur, quia ignis violenter erumpit, ut dictum est paullo supra per respectum ad melodiam angeli. Unde dicit: *comparata,* idest, per comparationem assimilata, *al sonar di quella lira,* idest, angeli, qui est cithara cœlestis; et dicit: *onde si coronava il bel zaffiro,* idest, ex qua lyra cingebatur pulcra Maria quam vocat sapphirum, quia etc., *del quale,* scilicet, sapphiro, *il ciel s' inzaffira,* idest, ingemmatur vel exornatur clarius quam ex aliquo

---

(1) E. Virginis Mariæ.
(2) E. Virginis Mariæ.
(3) E. stellas.
(4) E. expositio convenit ei, et bona est.
(5) E. quæ etiam multum.

alio lapide pretioso, scilicet, alio beato spiritu. — *Io sono.* Hic autor descripta dulcedine vocis, nunc describit verba ipsius angeli, dicentis: *Io sono amore angelico che giro,* idest, circumdo, *l' alta letizia che spira del ventre,* idest, procedit de corpore Virginis; et per hoc innuit quod Maria est cum corpore in cœlo, sicut expresse dicetur in capitulo, *che fu albergo del nostro disiro,* idest, qui venter fuit habitaculum Christi (1), qui est gaudium et desiderium angelorum. Et subdit angelus convertens sermonem ad Mariam, *e girerommi,* supple, tecum et circa te, quasi dicat: continuabo istum motum inchoatum cum cantu, *Donna del ciel,* scilicet, istius beatæ curiæ, *mentre che seguirai tuo Figlio,* scilicet, Christum quem modo statim sequeris, ut patebit; et dicit: *e farai la spera suprema,* scilicet nonam, vel cœlum empyreum, *più dia,* scilicet, lucidiorem et diviniorem, *perch' egli entre,* quia tuus ingressus in supremam speram augebit gloriam paradisi; ergo: *perch' egli entre,* idest, propter ingressum tuum, quia nulla anima beata intravit unquam cœlestem gloriam (2) cum tanta gloria tantæ victoriæ sicuti Maria (3). — *Così.* Hic autor concludit in ista parte, ostendens quomodo tota curia resonabat laudibus Mariæ (4). Dicit ergo: *La circulata melodia,* idest, angelus se circulariter girans et dulciter cantans, *si sigillava,* idest, sic se formabat; et dicit: *e tutti gli altri lumi,* idest, cæteræ animæ beatæ luminosæ, *facean sonar il nome di Maria,* collaudantes et magnificantes illud sicut patet: unus dicit: *Ave Maria,* alius: *Ave maris stella;* et ita de infinitis laudibus Mariæ quas fecerunt multi sancti viri.

Lo real manto. Ista est quarta et ultima pars generalis (5), in qua autor describit reditum Mariæ ad cœlum,

---

(1) E. Jesu Christi qui est gaudium et desiderium nostrum et angelorum.
(2) E. patriam. (3) E. Virgo Maria. (4) E. Virginis Mariæ.
(5) E. generalis huius capituli, in qua autor describit reditum Virginis Mariæ ad.

et remanere cæterorum beatorum ibi; et primo describit distantiam nonæ speræ a se, supra quam transivit Maria, dicens: *Lo real manto di tutti i volumi del mondo,* idest primum mobile quod est mantellum et coopertorium omnium aliarum sperarum, quæ continentur sub eo. Et describit ipsum a maiori virtute sua, dicens: *che più ferve e più s' avviva,* idest, magis accenditur et clarius illuminatur, *nell' alito di Dio e ne' costumi,* quia scilicet est sibi propinquius quam aliud cœlum; ista enim spera nona est tamquam principalis vicaria, quæ recipit virtutem unitam a Deo, quam spera octava tamquam ministra distribuit distincte per omnes speras inferiores, *avea l' interna riva,* idest, concavitatem; nam pars interior speræ appellatur concavum; pars vero exterior appellatur convexum, sicut apparet in cæpe, *tanto distante,* idest, longinquam a nobis quod nondum apparebat nobis; unde dicit: *che la sua parvenza,* idest, apparentia, scilicet, quantitatis et qualitatis, *ancor non appariva,* idest, manifestabatur, *là dove io era,* idest, in octava spera. — *Però.* Hic autor ex dictis arguit quod non poterat sequi visu Mariam recedentem, scilicet propter nimiam elongationem; unde dicit: *Però gli occhi miei non ebber potenza di seguitar la coronata fiamma,* idest (1), Mariam quam angelus cingebat in modum coronæ, ut patuit paullo supra; et dicit: *che si levò appresso sua semenza,* idest, quæ Maria levavit se in altum ascendens post filium suum. Nam (2) Christus et Maria non habuerunt virtutem mediante influentia cœli, sicut cæteræ animæ quæ remanserunt in octava spera, in qua ostenduntur. — *E come.* Hic autor describit magnam affectionem, quam ostenderunt spiritus remanentes erga Mariam recedentem, per unam comparationem domesticam

(1) E. idest, Virginem Mariam.
(2) E. Nam Jesus Christus et Virgo Maria.

et claram; et breviter dicit, quod erigebantur omnes sursum cum ea aviditate, qua infantulus erigitur ad matrem suam gustata dulcedine lactis. Ordina sic literam: *E ciascun di quei candori,* idest, lucernarum ardentium, scilicet, apostolorum et aliorum beatorum, *si stese in su,* scilicet, versus Mariam (1), *con la sua cima sì, che l' alto affetto,* idest, summa affectio, *ch' egli aveano a Maria mi fu palese,* ex actibus illis; et ita quilibet fecit, *come fantolin che tende le braccia vèr la mamma poi che il latte prese per* vel *con l' animo che s' infiamma fin di fuori,* idest, explicat se per apparentiam exteriorem. Et hic nota quod per hoc autor figurat quod omnes viri sancti habent et habere debent singularem devotionem et dilectionem ad Mariam tendentes manus ad eam orando et supplicando, quæ velut amantissima mater tenerrime diligit filios etiam peccatores, Mater gratiæ, Mater misericordiæ quæ nos ab hoste protegit et in hora mortis suscipit. Ergo bene comparatio prædicta est propriissima si bene consideretur. — *Indi.* Hic autor describit cantum illorum beatorum qui remanserunt post recessum Mariæ, dicens: *Indi,* idest, deinde illi cantores, *rimaser lì,* idest, in illa spera octava, ubi primo erant, *nel mio cospetto,* scilicet, meæ speculationis, et dicit: *cantando regina cœli lætare alleluia;* hunc enim hymnum fecit (2), hoc est quædam antiphona, quæ cantatur in vesperis resurrectionis in officio nostræ Dominæ etc.; *sì dolce che il diletto mai non si partì da me.* — *Oh quanta.* Hic autor describit abundantiam gloriæ istorum apostolorum, dicens cum admiratione: *Oh quanta è l' ubertà,* idest, fertilitas gloriæ, quasi dicat, magna et copiosa, *che si soffolce in quelle arche ricchissime,* scilicet, in illis apostolis et beatis, qui

(1) E. Virginem Mariam.

(2) E. fecit ecclesia in laudem eiusdem Virginis Mariæ, et dicitur loco antiphonæ in officio ipsius Dominæ per resurrectionem; *sì dolce.*

tamquam arcæ sunt pleni magno thesauro gloriæ illius fructus, quem peperit semen eorum; unde dicit: *che foro buone bobolce;* est enim bubulcus ille qui ducit boves (1) et ita bubulca illa quæ ducit boves; idest, bonæ cultrices, *a seminar quaggiù,* idest, ad seminandam fidem in mundo. — *Quivi.* Hic autor describit fructum laborum prædictorum beatorum, et sententialiter vult dicere, quod isti nunc gaudent thesauro cœlesti quem acquisiverunt plorantes in isto mundo in quo erant peregrini, sicut antiqui patres in exilio Babyloniæ, et novi in martyrio et supplicio. Dicit ergo: *Quivi si vive e gode del tesoro,* idest, pretioso præmio cœlestis gloriæ, *che s' acquistò piangendo nell' esilio di Babilonia,* idest, in transmigratione Babylonis, de qua legitur Jeremiæ ultimo capitulo, et libro quarto Regum; per quod quidem exilium figuraliter designatur peregrinatio huius mundi in quo sumus exules, sicut dicitur (2) in oratione Dominæ nostræ: ad te clamamus exules etc. Et dicit: *Ove si lasciò l' oro,* quasi dicat: ubi dimiserunt aurum et acquisiverunt thesaurum; quia (3) scilicet, dimiserunt terrenas divitias et acquisiverunt æternas, quasi dicat: parum perdiderunt et multum lucrifecerunt. Et subdit ducem, sive mariscalchum totius exercitus, scilicet, Petrum. Construe sic: *colui che tien le chiavi di tal gloria,* scilicet, Petrus qui tenet claves regni cœlestis, quia scilicet nullus potest intrare istud regnum nisi per manus ecclesiæ sanctæ, cuius Petrus fuit petra, super quam fundata fuit (4), *trionfa quivi di sua vittoria,* idest, fruitur gloria victoriæ, qua vicit adversarios in terra sub summo imperatore (5) Chri-

---

(1) E. boves; et sic illæ fuerunt bonæ bubulcæ, idest, bonæ cultrices.

(2) E. dicimus in oratione Dominæ nostræ: salve ad te clamamus exules filii Evæ etc.

(3) E. quia licet dimiserint terrenas divitias, acquisiverunt æternas; et sic parum perdiderunt.

(4) E. fuit ipsa ecclesia sancta Dei, *trionfa.*

(5) E. imperatore Domino Jesu Christo.

sto. Unde dicit: *sotto l' alto Filio di Dio e di Maria.* Et dicit: *e coll' antico e col nuovo concilio,* idest, cum veteranis et tyronibus, idest, cum militia veteris et novi testamenti, ad quorum concilium nos perducat ipse imperator (1) Christus. Amen.

(1) E. imperator Dominus noster Jesus Christus salvator noster pretiosissimus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit etc.

CANTUS VIGESIMUS QUARTUS, *in quo ponitur vita beata, ad quam ascenditur per fidem, spem et caritatem.*

O sodalizio eletto alla gran cena. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit universaliter sub figura triumphalem militiam summi imperatoris, cuius custodem et ductorem posuit Petrum principem apostolorum; nunc consequenter intendit tractare de gradibus per quos principalissime possit ascendi [1] ad supernum regnum, in quo triumphat illa militia sub Christo principe et Petro duce. Et quia tres sunt gradus præcipui, scilicet fides, spes, caritas, ideo in isto præsenti capitulo XXIIII introducit dictum Petrum fundamentum fidei [2], qui examinat ipsum autorem de prima virtute theologica, scilicet, fide. Et præsens capitulum breviter potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor describit orationem Beatricis ad collegium apostolorum. In secunda beatus Petrus ad preces Beatricis examinat autorem de fide et articulis fidei, ibi: *Di quella.* In tertia Petrus pertractat quædam dubia circa materiam fidei, ibi: *Ma dimmi.* In quarta et ultima inquirit ab autore de modo credulitatis eius circa dictam fidem, ibi: *E quel baron.* Ad primum veniens dico, quod autor describit orationem Beatricis ad collegium apostolorum, in qua primo facit exordium ad captandam benevolentiam, dicens: *O sodalizio,* idest, o consortium apostolorum; nam sodalis proprie est socius in mensa; unde dicit: *eletto alla gran cena,* idest, ad cœnam Domini in die Jovis sancti, et per consequens ad

---

(1) E. ascendere. (2) E. totius fidei.

cœnam æternam, *del benedetto Agnello,* scilicet[1], Christi, qui agnus immaculatus immolatus est pro salute nostra. Et dicit: *il qual vi ciba sì,* idest, tam perfecte, *che la vostra voglia è sempre piena,* idest, appetitus vester est semper satius, quia scilicet pascitur summo bono, ultra quod nihil desiderari potest, vel quia fames aut alia indigentia ibi esse non potest. — *Se per.* Hic Beatrix captata benevolentia a persona auditorum, scilicet apostolorum, nunc captat benevolentiam a persona Dantis, dicens: *Se questi preliba,* idest, prægustat, *di quel che cade della vostra mensa,* scilicet, de cognitione divinorum, quæ manat a doctrina apostolica; et dicit: *anzi che morte gli prescriba tempo,* idest, antequam mors corporalis præoccupet sibi tempus, ita quod tempus non sit amplius suum, sicut res propria desinit esse domini præscriptione temporis secundum leges civiles; ideo est conveniens transumptio, et dicit: *per grazia di Dio,* et expone *si* pro *quia,* quia sine gratia divina non posset prægustare de reliquiis mensæ vestræ, quasi dicat, quia Deus concessit sibi gratiam veniendi in vita ad istam curiam vestram. — *Ponete.* Hic Beatrix facit suam petitionem ad ipsum collegium apostolorum; et petit ut potent autorem aqua sui fontis, dicens: *Ponete mente alla sua voglia immensa,* scilicet, quam habet sciendi de doctrina vestra; et dicit: *e roratelo alquanto,* idest, irrigate et profundite illum rore, qui exigitur ad extinguendam eius sitim. Et subdit ad confirmationem suæ petitionis, quod debeant et possint hoc facere, dicens: *voi bevete sempre del fonte,* idest, de aqua gratiæ, quæ derivat ab illo fonte vivo, *onde vien quel ch' ei pensa,* quia et iste desiderat bibere de[2] illo fonte. — *Così Beatrice.* Hic autor ponit effectum petitionis Beatricis; et continuans dicta dicendis, dicit: *Così Bea-*

---

(1) E. scilicet, Domini nostri Jesu Christi, qui velut agnus.
(2) E. de eodem fonte.

trice, supple, dixit et petivit; et dicit: *e quelle anime liete,* scilicet, dictorum apostolorum, *si fero spere,* idest, circuli rotundi, *sopra fissi poli,* quasi dicat, a simili sicut illi circuli qui sunt supra polum arcticum et antarcticum in spera materiali. Et bene dicit: *sopra fissi poli,* quia erant in octava spera, quæ volvitur super duos polos firmos. Et dicit: *fiammando,* idest, radios emittendo, *forte a guisa di comete,* idest, ad modum stellarum cometarum etc., qui cometæ jaciunt radios longos a se. Ad cuius comparationis intelligentiam est videndum quid sit cometa et quomodo fiat etc. — *E come.* Hic autor describit formam motus illarum animarum per unam comparationem artificialem nobilem; et breviter dicit, quod movebantur, sive moveri videbantur, sicut circuli in horologio, quorum unus moveri videtur velocissime. alius minus, alius minus, et ita interior ita lente quod non videtur quasi moveri; ita erat in istis etc. Ordina sic literam: *E quelle carole,* idest, illæ animæ beatæ; et est carola proprie vasculum argento munitum, quo utuntur dominæ ad reponendum coclear (1), *danzando.* idest, circulando et lætando, *della sua ricchezza,* scilicet, gloriæ suæ, *differentemente,* quia alia plus, alia minus. *mi si faceano estimar veloci e lente;* et hoc, *così come cerchi si giran in tempra d' oriuoli,* idest, in temperie horologiorum, *sì che 'l primo,* scilicet, interior, *pare quieto a chi pon mente,* et non tamen est, sed sic videtur respectu aliorum, qui circumvolvuntur, *e l' ultimo che voli,* idest, et exterior videtur volare respectu interioris. Et hic nota quod sicut horologium nobilissimum instrumentum est mirabiliter temperatum, ita quod proportionabiliter pars correspondet parti, et punctum puncto, cuius una spera movetur velocius altera; ita hic erat

---

(1) E. coclearia.

nobilissimum sodalitium temperatissime ordinatum, ita quod una spera, sive anima concorditer conformabatur alteri, et una movebatur velocius, scilicet, quæ habebat plus gloriæ; alia vero tardius, quæ habebat minus gloriæ, et omnes contentabantur. Ideo bene dixit Christus (1) ipsis apostolis contendentibus de principatu etc. Et sic vide quomodo comparatio horologii nobiliter repræsentat ordinem apostolorum hic se circumvolventium. Aliqui tamen intelligunt hic quod Petrus stabat firmus in medio, et alii movebantur in circuitu differenter (2), quod est falsissimum etc.

Di quella. Hæc est secunda pars generalis (3), in qua autor introducit Petrum principem apostolorum, qui examinat eum de fide et articulis fidei; et primo apparat ipsum ad loquendum, et fingit quod ex ipso clarissimo omnium exivit una scintilla ignis, quæ ter circumcinxit Beatricem cum cantu dulcissimo. Dicit ergo; *Vid'io uscir un fuoco,* quasi dicat, unam favillam ardentis caritatis, sive radium claræ lucis, *di quella spera ch' io notai di più bellezza,* quia Petrus est præclarissimus apostolorum; et dicit: *sì felice,* scilicet, in claritate gloriæ, *che nullo,* scilicet, focum, *vi lasciò di più chiarezza,* idest, maioris claritatis et luminositatis, quia nullus apostolorum attigit ad tantam felicitatem, sicut Petrus. — *E tre.* Hic autor describit actum et cantum illius animæ ardentis et lucentis, dicens: *E,* ille ignis, *si volse tre fiate intorno di Beatrice,* ad honorem Trinitatis, de qua tractaturus erat, ut statim patebit; vel in figuram triplicis virtutis divinæ, super qua autor examinandus erat, ut infra dicetur; et dicit: *con un canto tanto divo,* idest, divino, quia superexcedebat vires humanas; unde dicit: *che la mia fantasia nol mi ridice,* idest, redicere non

(1) E. Jesus Christus.

(2) E. divinitus.

(3) E. generalis huius capituli, in qua.

potest, nec reducere ad memoriam eius suavissimam dulcedinem, quæ nihil humanum resonabat. Et subdit excusans se a descriptione huius inexplicabilis melodiæ, *però la penna salta,* idest, stilus transilit et transvolat, *e non lo scrivo,* quia non possum: et reddit rationem suæ impotentiæ per quamdam metaphoram sumptam a pictore, dicens, quod imaginatio nostra non est sufficiens ad hoc nedum loquutio. Unde dicit: *chè l' imaginar nostro,* idest, imaginatio humana, *non che 'l parlare,* idest, nedum loquutio, *è color troppo vivo,* idest, facit vel est tamquam color valde fulgidus, qui quasi excæcat oculos intuentis, *a cotai pieghe,* idest, inclinationes vel rugas. Unde nota quod pictor quando vult repræsentare plicaturas vestium in aliqua figura, utitur colore non vivo; sicut ergo pictor non potest figurare replicationes vestium colore vivo, ita nec autor imaginatione sua vivaci non potest repræsentare nec explicare melodiam et harmoniam illius cantus. Et nota etiam quod est optima similitudo de pictore ad poetam, quia uterque habet repræsentare rem sub figura, ut alibi dictum est. — *O santa.* Hic autor ponit orationem Petri ad Beatricem; qui breviter dicit se recessisse a collegio apostolorum et accessisse ad eam, visa eius affectione immensa; unde dicit: *O santa suora mia,* et merito vocat eam sororem, quia ex eodem patre Deo geniti Petrus et sacra Scriptura, *che sì devota ne preghe,* quia, ut jam præmissum est, Beatrix rogavit sodalitium apostolorum supra devote et generaliter, quod (1) rorarent autorem aqua sui fontis. Unde dicit: *tu mi disleghe,* idest, separes et removes, *da quella bella spera,* idest, a circulo fulgentissimorum apostolorum, quorum spera nulla est pulcrior nec gloriosior inter speras beatorum. Dignum enim et justum est quod sicut

(1) E. quod rogatui suo, scilicet ut rorarent autorem aqua sui fontis, acquiescerent. Unde dicit.

familiariores fuerunt Christo in hac vita mortali, ita sint ibi viciniores in illa vita æterna. Et dicit: *per lo tuo ardente affetto,* idest, propter intensam affectionem. Et hic nota quod autor fingit hic Beatricem affectuosam, et se affectuosum, ut paullo ante dixit: *all' affezione immensa,* quia maxime materia theologiæ versatur circa tres virtutes, de quibus hic tractandum. — *Poscia.* Hic autor describit apparatum Petri ad loquendum. Et in hoc perpendere potes, quod autor utitur hic ordine præpostero, quia posita oratione ponit eius apparitionem [1]. Dicit ergo: *Il fuoco benedetto,* idest, ille Petrus totus ignitus amore divino, *poscia fermato,* scilicet, post illam trinam girationem factam, *dirizzò lo spiro,* idest, spiritum loquendi, *alla mia donna, che favellò così, com' io ho detto,* idest, in suprascripta forma, scilicet, *o santa suora* etc. — *Et ella.* Hic autor describit orationem responsivam Beatricis ad Petrum, in qua facit exordium, petitionem et confirmationem. Dicit ergo primo: *Et ella,* supple Beatrix, dixit ad captandam benevolentiam: *O luce eterna del gran viro,* idest, Petri, qui fuit magnus princeps fidei christianæ, cui concessa est summa potestas a Domino: unde dicit: *a cui nostro Signor lasciò le chiavi,* scilicet, absolvendi et condemnandi, *ch' ei portò giù,* idest, quas ipse [2] portavit in terram, *di questo gaudio miro,* idest, istius æternæ felicitatis et læti regni. — *Tenta.* Hic Beatrix facit suam petitionem, et petit ut examinet autorem circa materiam fidei, dicens: *Tenta costui,* idest, istum poetam christianum qui poetice describit regnum vestrum, *de' punti lievi e gravi intorno della fede,* quia ipse magnus theologus respondebit [3] tibi ad omnia; ideo dicit: *come ti piace;* et persuadet sibi hoc per ipsam fidem, dicens: *per la qual,* idest, virtute cuius fidei, *tu andavi su*

(1) E. apparationem.
(2) E. ipse Dominus noster portavit.
(3) 4, respondet tibi.

per lo mare, scilicet, siccis pedibus velut per terram duram, ut dicitur Matthæi XIII capitulo; et est optima persuasio, quia ipse maxime fuit fundamentum fidei. Et petit Beatrix quod inquirat ab autore si habet illas tres sanctas virtutes theologicas, scilicet, fidem, spem et caritatem. Unde dicit: *e tenta s' egli ama bene,* idest, si habet amorem caritatis, *e bene spera,* idest, habet bonam spem, *e crede,* idest, si habet rectam fidem. Et confirmat quod possit hoc facere, dicens: *non t' è occulto,* immo clare manifestum, *perchè 'l viso hai quivi,* idest, quia vides hoc in Deo, *ove ogni cosa dipinta si vede,* idest, in quo Deo, tamquam in speculo omnia secreta cordium repræsentantur, ita quod nihil latet; vel dic quod confirmatio incipit ibi: *s' egli ama,* et ista est melior expositio, quia Beatrix non petit a Petro quod inquirat ab autore de tribus virtutibus prædictis, sed solum de fide, ut jam patuit, et adhuc clarius patebit. Sed confirmat suam petitionem quasi dicens: bene potes tentare ipsum de fide, quia tu vides in eo qui omnia videt et caritatem et spem et fidem autoris; et tunc non debes repetere illud verbum, *tenta,* sed debes construere sic: *s' egli ama bene e ben spera e crede non t' è occulto* etc., hic respice literam corruptam. — *Ma.* Hic Beatrix probat quod specialiter hic sit tractandum de fide ad confirmandum ipsam rem; unde dicit: *Buon è,* idest, utile et necessarium, *ch' a lui arrivi,* idest, ad ipsum Petrum, vel verius, *a lei,* idest, ad ipsam fidem, *parlar di lei a gloriarla,* idest, ad ipsam exaltandam; et ecce causam: *perchè questo regno ha fatto civi per la verace fede,* idest, quia estis facti incolæ Dei propter fidem christianam, sine qua est impossibile ad aliquem salvum fore. Et solerter hic adverte, lector, quod autor laudabiliter et prudenter voluit hic tractare de fide, tum quia faciebat ad suum tractatum, tum ut confunderet invidiam æmulorum de-

tractorum et errorem ignorantium, qui non intelligentes figuratum modum loquendi poetice calumniabant sæpe dicta sua, sicut ego expertus sum in magnis valentibus viris, qui aliquando dixerunt mihi (1): pro certo autor hereticus est in eo quod scribit in Inferno, quod animæ desperatorum non resument carnem etc. — *Sì come il.* Hic autor ostendit quomodo se disponebat in mente sua quid respondere debebat, dum Beatrix faceret suam propositionem, per unam comparationem propriam et claram; unde dicit: *Io m' armava così,* idest, præmuniebam me, *d' ogni ragione,* scilicet, quæ faceret ad materiam de qua agebatur, *mentre ch' ella dicea,* idest, interim dum Beatrix peroraret ad Petrum, *per esser presto a tal querente,* idest, ut possem prompte et expedite respondere Petro petituro de fide; et dicit: *e a tal professione,* scilicet, fidei, quia oportet esse bene deliberatum et præmeditatum qui debet disputare de fide, ne cespitet; quia error in alia professione non est causa tanti damni et scandali sicut in fide; quam autor bene vocat professionem, quia christianus profitetur illam quando venit ad baptismum, sicut professionem facit qui intrat religionem. Et hoc feci: *sì come il baccellier s' arma,* idest, præmunit se rationibus, *e non parla;* est enim baccilerius (2) vel bachalarius ille qui sustinet quæstionem contra opponentes; ideo bene autor utitur isto vocabulo *arma.* Armat enim se in mente sua rationibus quibus excutiat et refellat tela adversariorum, idest argumenta opponentium, *finchè 'l maestro propone le quistione;* ille enim appellatur magister qui tenet cathedram, et proponit quæstionem publice coram doctoribus et scholaribus, et non determinat illam in illa disputatione, sed postea alia vice; ideo dicit, *per approvarla non per ter-*

(1) E. e i, mihi, quod pro certo.

(2) E. bacelerius.

minarla. Et hic nota quomodo comparatio est congruens facto; nam comparat Petrum magistro, qui fuit tantus magister fidei; se ipsum vero bachalario, qui respondet ad argumenta sibi facta. Et vide quod autor sæpe fuerat expertus hunc actum in se ipso dum disputaret Parisius. — *Di', buon.* Hic autor ponit primam petitionem Petri ad se, et suam apparationem ad respondendum. Unde dicit: et Petrus dixit: *O buon cristiano, di',* idest, dic mihi: *che è fede?* et sequitur: *ond' io levai la fronte in quella luce, onde spirava questo,* idest, in Petrum, qui dicebat mihi istud. Et antequam responderem petitioni, ut fierem fortior, *mi volsi poi a Beatrice,* quæ confortavit me ad responsionem; unde dicit: *et essa femmi pronte sembianze,* et apparentia signa per conniventiam oculorum, *perch' io spandessi l' acqua di fuor del mio interno fonte,* idest, ut exprimerem verbo illud quod conceperam corde, inspirante divina gratia. Et hic nota quod autor merito hoc fingit, quia non potest quis respondere recte ad quæsitum fidei, nisi prius respiciat theologiam. — *La grazia.* Hic autor responsurus de materia ardua, primo facit suam deprecationem ad Deum, ut possit bene exprimere quod concepit. Unde dicit: *Io cominciai,* supple, dicere, *la grazia che mi dà ch' io mi confessi dall' alto primipilo,* idest, gratia Dei, quæ concedit mihi ut vivens veniam in cœlum ad colloquium cum beato Petro, quem vocat primipilum. Primipilus enim, ut dicit Isidorus, apud romanos erat vexillifer qui portabat primum signum, et (1) qui jaciebat primum pilum sive lanceam in prælio. Ita Petrus fuit primus pugil et pugnator fidei; immo de facto ipse ante omnes exercuit gladium amputando auriculam (2), et sic fuit primus percussor in pugna, in qua Christus (3) captus et mortuus triumphavit

(1) E. vel qui. (2) E. auriculam illi judæo, et sic.
(3) E. Jesus Christus.

de victoribus sive de hostibus, *faccia li miei concetti esser espressi*, ita quod bene et clare exprimam quod concepi. Et hic nota quod merito autor facit hic istam invocationem, quia si secundum sententiam Platonis in [1] minimis est divinum auxilium implorandum, multo magis in maximis. Et subdit unde trahit diffinitionem fidei, quoniam subsequenter dicet, dicens: *e seguitai: o padre,* scilicet, Petre, pater tam ratione antiquitatis, quam dignitatis, *come 'l verace stilo del tuo caro frate,* idest, Pauli, qui fuit frater tuus non sanguine, sed amore sociali in apostolatu; unde dicit: *che mise teco Roma nel buon filo;* clarum enim est quomodo Petrus et Paulus prædicaverunt in urbe, et reduxerunt multos ad viam rectæ fidei, pro qua receperunt martyrium sub nequissimo Nerone; *ne scrisse,* scilicet, in Epistola ad Hebræos capitulo XI. — *Fede.* Hic autor tradit diffinitionem fidei, quam ponit beatus Paulus, quæ talis est: fides est substantia. Dicit ergo: *Fede è sustanzia di cose sperate, et argomento delle non parventi,* idest, non apparentium; et dicit: *e questa pare a me sua quiditate,* idest, diffinitio quæ datur per substantialia. Est enim quidditas essentia sive substantia rei quæ ideo vocatur quidditas, quia ad interrogationem factam per quid respondemus de substantia rei; et diffinitio est ratio indicans quid est esse rei per substantialia. Et hic adverte quod istud debet præcedere illam particulam, et subdit: et debet sic ordinari litera: *e seguitai: Fede è* etc. — *Allora.* Hic Petrus confirmat dictam [2] diffinitionem fidei, et petit expositionem eius ab [3] autore: unde dicit: *Allora udii,* scilicet, a Petro, *dirittamente senti,* de fide, *se bene intendi,* ergo dic mihi, *perchè,* supple beatus Paulus, *la ripose tra le sustanzie e poi tra gli argomenti,* quasi dicat: quare Paulus posuit

---

(1) E. etiam in. (2) E. e S. datam. (3) E. ab ipsomet autore.

in diffinitione fidei ista duo vocabula substantia et argumentum. — *Et io.* Hic autor respondet propositæ petitioni. Et primo ostendit quare istud nomen substantia reponatur (1) in diffinitione fidei: et sententialiter vult dicere, quod ea quæ apparent manifesta in cœlo, sunt ita occulta in terra quod non possunt ab hominibus cognosci nisi per credulitatem: et hæc est fides, quod credimus illud quod non videmus, ac si præsentialiter videremus; et super hoc fundamus nostram spem, sperando per bona opera pervenire ad visionem eorum et participationem eorum gloriæ. Et ex hoc colligitur quod fides est substantia rerum sperandarum, quia spes supra fidem firmatur (2), et subsistit sicut accidens super substantiam. Nunc expone sic literam: *Et io appresso,* supple, respondi: *le profonde cose,* scilicet excelsa divina, *che mi largiscon,* idest, donant, *qui,* scilicet, in cœlo, *la lor parvenza,* idest, apparentiam, quasi dicat: quæ ostendunt se hic apparenter et oculanter (3), *son sì nascose,* idest, obscura et incognita, *agli occhi di laggiù,* idest, intellectibus mortalium, *che l' esser loro,* scilicet, profundorum divinorum, *v' è,* idest, est ibi in terra, *in sola credenza,* et non scientia certa; et dicit: *sovra la qual,* scilicet, credulitatem, *si fonda l'alta spene;* et concludit: *e però prende intenza,* idest, intentionem, *di sustanzia.* Et subdit quare argumentum (4) ponatur in dicta diffinitione, dicens: *e da questa credenza,* idest, a prædicta credulitate, *ci conviene sillogizzare,* idest, formare syllogismos et argumenta nostra, *senza aver altra vista,* idest, sine alia probatione vel demonstrata (5) ratione. Et concludit: *e però tiene intenza* (6) *d' argomento,* quasi dicat: ideo

---

(1) E. ponatur. (2) E. fundatur seu firmatur. (3) E. ocularitcr.
(4) E. argumentum etiam ponatur in ipsa diffinitione fidei, dicens.
(5) E. vel demonstratione. Et concludit.
(6) E. *intenza,* idest, intentionem, *d' argomento.*

dictum est a Paulo quod fides est argumentum, non necessaria probatio rerum non apparentium oculis hominum; quia si apparerent non accederemus ad ipsas sperandas per fidem, sed per probationem naturalem et demonstrationem necessariam; et tunc fides non esset fides. Et hic ad clariorem intelligentiam diffinitionis datæ et declaratæ est notandum, quod sicut substantia subsistit accidentibus supportans et substinens illa, et non indiget alio subiecto; ita fides in ædificio spirituali substinet totum ædificium supportans et substinens ipsum non indigens alia virtute; quia ipsa est petra firma super quam sapiens ædificavit sibi domum. Ideo bene dicitur quod fides est substantia rerum sperandarum, quia ipsa (1) est causa quod ea quæ sperantur in futuro in nobis substantientur, et quodammodo faciat illa in nobis subsistere per fidem; namque fit, quod bona futura quodammodo sunt præsentia, et per eam visibilia certo modo videntur. Per primum modum fides dicitur substantia rerum sperandarum; per secundum dicitur argumentum non apparentium: est enim quædam certitudo invisibilium. — *Allora.* Hic autor ostendit quomodo Petrus commendat intelligere autoris circa diffinitionem fidei, dicens: *Allora udii,* scilicet, a Petro, *se quantunque s' acquista giù per dottrina,* idest si quicquid scitur vel discitur in terra per acquisitionem scientiæ, cum exercitio vel doctrina, *fosse così inteso,* sicut tu intelligis diffinitionem fidei, *non vi avria loco ingegno di sofista,* quasi dicat: esset ita manifestum et clarum, quod non oporteret uti sophisticis argumentationibus ad probationem eius. Sophista enim nititur probare quod vult argumentis apparentibus non existentibus. Et concludit in hac parte: *così spirò da quell' amore acceso,* quasi di-

---

(1) E. ipsa fides est causa.

cat: tale eloquium exivit ab illo spiritu Petri ardentis amore divino; et dicit: *indi soggiunse: la lega e il peso d'esta moneta è già assai ben trascorsa,* quasi dicat: perfectio fidei satis bene et breviter est perstructa in paucis verbis. Et hic nota quod autor metaphorice assimilat fidem pecuniæ cuniatæ in auro, quæ habeat omnes suas partes in liga, pondere et cunio. Nota etiam quod pecunia fuit inventa etc.

Ma dimmi. Ista est tertia pars generalis (¹), in qua Petrus pertractat quædam dubia, vel ponit quasdam alias petitiones circa materiam fidei; et primo petit ab autore si habet illam in corde sicut in lingua. Et breviter dicit: de fide dictum est quid ipsa sit, et quantum valet; sed volo scire si est apud te tam cara et tam pretiosa, ut tu pronuntiasti. Dicit ergo: *Ma dimmi se tu l' hai,* scilicet, hanc monetam, idest, fidem, *nella tua borsa,* idest, in anima tua clausam. Et continuo sequitur responsio autoris dicentis: *ed io,* supple, respondi, *sì, l' ho sì lucida,* sine aliqua rubigine, *e sì tonda,* idest, tam perfecta, *che nulla mi s' inforsa,* idest, nihil stat mihi in dubio, *nel suo conio,* idest, in eius fabrica. — *Appresso.* Hic autor ponit secundam petitionem Petri (²), qui inquirit ab autore unde habuerit istam fidem; unde dicit: et ista petitio subscripta, *uscì appresso,* scilicet, post primam petitionem factam, *della luce profonda,* scilicet, Petri, *che lì splendeva,* idest, ibi prope me separata ab aliis: *Questa cara gioia,* scilicet, virtus fidei, *sopra la qual ogni virtù si fonda,* et sine qua nulla virtus est virtus, *onde ti venne?* scilicet, in mentem tuam tamquam in bursam. Et continuo sequitur responsio autoris dicentis, *ed io,* supple, respondi, *la larga ploia,* idest, pluvia, idest, scientia theologiæ, *dello Spirito santo ch' è diffusa,* idest, diffuse scripta,

---

(¹) E. generalis huius capituli, in qua.
(²) E. Petri apostoli, qui.

in su le vecchie e in su le nuove cuoia, idest, in chartis veteris et novi testamenti, *è sillogismo,* idest, argumentum, *che la mi ha conchiusa acutamente,* idest, quod conclusit eam mihi, quasi dicat autor: habui hanc ab infusione Spiritus sancti, qui per prophetas veteris testamenti annunciavit incarnationem, mortem et resurrectionem; deinde per scripturas novi testamenti ostendentes (1) opera annunciata et prædicta per prædictos (2) prophetas, sicut apparet in evangeliis, epistolis Pauli, actibus apostolorum. Et dicit, adeo acute conclusit mihi, *sì, che 'nverso d' ella ogni dimostrazion mi pare ottusa,* quasi dicat: omnis clara probatio videtur mihi obscura respectu probationis sacræ scripturæ. — *Io udii.* Hic autor ponit aliam petitionem Petri, qui petit: quomodo scis tu, quod illud quod scriptum est in veteri et novo testamento fuerit infusum a Spiritu sancto? Dicit ergo: *L' antica e la novella proposizione,* idest, vetus et novum testamentum, *che sì ti conchiude,* sicut tu dixisti, scilicet, quod sint voces Spiritus sancti, *perchè l' hai tu per divina favella?* forte enim ista fuerunt falso ficta, vel somniata ab hominibus? Et continuo respondet autor, et breviter dicit, quod miracula facta per Christum, postea per apostolos et alios sanctos faciunt sibi probationem, quod a Spiritu sancto processerint quæ scripta sunt; unde dicit: *Et io,* supple respondi: *la prova che 'l ver mi dischiude,* idest, probatio quæ aperit mihi veritatem, *son l' opere seguite,* idest, miracula supernaturalia, *a che natura non scaldò ferro mai, nè battè incude,* quasi dicat, numquam fabricata a natura, quia natura nil operata fuit in eis: numquam enim natura potuit operari tantum quod suscitaret mortuum, et faceret alia quæ facta sunt sub nomine (3) Christi. — *Risposto.* Hic autor ponit aliam petitionem Petri

(1) E. ostendentis. (2) E. e S. dictos.
(3) E. nomine pretiosissimi Redemptoris nostri Domini Jesu Christi.

qui petit unde proveniat sibi illa certitudo, quod illa miracula fuerint sicut dicit: *Risposto fummi,* scilicet, a Petro, *di', chi t' assicura,* idest, certiorat te, *che quelle opere,* scilicet, miraculosa, *fosser? quel medesmo che vuol provarsi,* idest, illud verum quod dicunt scripturæ; et dicit: *non altri il ti giura,* idest, an alius confirmat hoc tibi [1]? — *Se il mondo.* Hic autor respondet petitioni factæ, et breviter videtur arguere sic: vel illa fuerunt miracula vel non; nam sequitur quod processerunt ab illo qui est creator naturæ; si fuerunt, habeo propositum, si non, et omnes infideles sine signis solum per verba prædicantium crediderunt et receperunt baptismum et novam fidem; istud est unum tam excessivum miraculum, quod cætera miracula quæ scribuntur non sunt de centum partibus una. Dicit ergo: *Diss' io: se 'l mondo si rivolse al cristianesmo,* si pro quia, quia totus mundus de parte ad partem convertit se ad christianam fidem, *senza miracoli, quest' uno,* idest, istud solum miraculum, *è tale,* idest, est tam excellens, *che gli altri,* scilicet, miracula, *non sono il centesmo,* idest, centesima pars. Et probat dictum suum per exemplum ipsius Petri; et breviter vult dicere: quia tu, sancte Petre, non induxisti homines ad credendam novam fidem per munera, monetam vel similia blandimenta, quia eras pauper piscator; dicit ergo: *che tu entrasti povero e digiuno in campo,* idest, in mundum et inter homines, *a seminar la buona pianta,* idest, fidem catholicam, *che fu già vite,* idest, fructuosa, *et ora è fatta pruno,* idest, spinosa, sterilis et infructuosa. Et hic nota, lector, quod aliqui solent hic obiicere: nonne simile miraculum fecit Machometus qui tot nationes credentes istam fidem ad se traxit? respondeo quod non, quia licet traxerit magnam partem

---

[1] E. hæc tibi quæ dixisti? — *Se.*

gentium, tamen non meliorem, immo viliorem seduxit, quæ sequuta est voluptates eius; unde ultra rationes sacræ scripturæ, et ea quæ didici a parentibus meis soleo intra me ipsum arguere sic: nullam unquam reperii nationem ita barbaram, quæ viveret omnino sine religione: modo ulterius omnis natio tempore nostro tenet unam ex tribus sectis, scilicet hebræam, saracenicam, christianam etc. Et si dicis: nonne miracula fiebant olim, sicut patet de Cybele, Cribro et Vespasiano, et multis de quibus Valerius tractatum fecit? — *Finito.* Hic autor describit gaudium quod sequutum est ad hæc verba, et dicit quod tota illa curia beatorum cœpit canere: *Te Deum laudamus.* Dicit ergo: *Finito questo, l' alta corte santa,* idest, tota illa turba sanctorum, *risonò per le spere,* idest, per sectas diversarum sperarum, quæ (1) omnes erant aggregatæ in illam octavam speram, sicut jam patuit supreriori cantu: *un Dio lodiamo,* et dicit: *nella melode che lassù si canta,* idest, cum summa dulcedine cantus quæ non potest hic manifestari: unde autor jam sæpe excusavit (2) se a descriptione huius altissimi cantus etc.

E quel baron. Ista est quarta et ultima pars generalis (3), in qua autor describit modum suæ credulitatis in particulari. Et primo continuans dicta dicendis ostendit quomodo Petrus approbaverit suam credulitatem explicatam in universali; unde dicit: *E quel baron,* scilicet, Petrus qui est potens in regno Dei, *che esaminando sì di ramo in ramo,* scilicet, per tot petitiones sibi gradatim factas, *già tratto m' avea,* scilicet, sursum per arborem fidei, *che appressavamo all' ultime fronde,* idest, finalibus petitionibus circa fidem, *ricominciò,* supple, dicere mihi: *la grazia che donnea,* idest, Beatrix, gratia Dei vera, quæ dominatur, *con la tua mente, la bocca*

(1) S. quia omnes. (2) S. excusat.
(3) E. generalis huius capituli, in qua.

t' aperse in fino a qui, come aprir si dovea, quasi dicat: idest [1], theologia, qua tua mens est imbuta, bene docuit te hucusque quomodo responderi vult et debet de fide, *sì ch' io approvo ciò che fuori emerse,* idest, quicquid exivit ex ore tuo in responsionibus factis per te. Et subdit aliam ultimam petitionem, quæ habet duo membra; unum est: quid credit in particulari; aliud est: unde hoc obtulit se suæ credulitati. Dicit ergo: *ma or convien esprimer,* idest, nunc restat exprimendum per te, *quel che credi et onde,* illud quod credis, *si offerse alla credenza tua,* quasi dicat: quid fecit te credere illud. — *O santo.* Hic autor responsurus petitioni bimembri Petri, primo persuadens repetit clarius dictam petitionem. Dicit ergo ad captandam benevolentiam: *Io cominciai,* supple, dicere: *o santo padre,* idest, o Petre prime Papa, *o spirito,* scilicet, sancte et beate, *che vedi,* scilicet, præsentialiter et certe, *ciò che credesti,* scilicet, futurum et incertum per fidem, quod probavit eventus rei, *sì che vincesti vêr lo sepolcro più giovani piedi,* scilicet, tempore resurrectionis. Nam scribitur ultimo capitulo quod cum mulieres venissent ad monumentum etc., sed est hic solerter advertendum quod autor noster videtur expresse dicere falsum; nam non est verum quod Petrus vicerit juniores pedes versus sepulcrum; immo Johannes junior præcurrit et prævenit eum. Ad hoc respondent aliqui quod Petrus senex ætate per martyrium quod sponte recepit, vicit homines juniores et robustos in carne, sed debiliores in fide, in credulitate resurrectionis Christi [2]: sed ista non videtur mihi intentio literæ, ideo dicendum est et melius, quod Petrus senex vicit pedes Johannis junioris per fidem, quia scilicet Johannes corpore currens non fuit tam cito ad sepulcrum cum pede, quod

---

(1) S. in theologia. (2) E. Jesu Christi.

Petrus non perveniret citius cum mente, credens ipsam resurrectionem. Dicit ergo: *tu vuoi ch' io manifesti la forma qui del pronto creder mio;* et hæc prima pars petitionis, *et anco chiedesti la cagion di lui,* idest, illius mei credere; et hæc est secunda petitio. — *Et io.* Hic autor ponit suam responsionem ad utramque partem; et primo respondet ad primam, scilicet, de forma credendi, dicens: *Et io rispondo,* cum bona confidentia et conscientia: *Io credo in un Dio solo,* scilicet, sine pluralitate, *ed eterno,* scilicet, sine principio et sine fine, *che tutto 'l ciel muove,* suo amore, non de necessitate, ipse dico, *non moto,* neque mobilis; et dicit, *con amore e con disio,* tamquam (1) amatum et desideratum. — *Et a tal.* Hic autor respondet secundæ parti petitionis assignans causam quæ movet eum ad tale credere; unde dicit: *Et io non ho pur prove fisice e metafisice,* idest, naturales et divinas, *a tal credere, ma la verità che quinci piove,* scilicet, a Deo, *dalmi anche,* idest, dat mihi etiam, per Moyse, qui scripsit librum Genesis et incœpit: *In principio creavit Deus cœlum et terram;* et fuit propheta, quamvis scripserit præterita, quia manifestavit quæ ignota erant, *per profeti,* sicut Isaiam, Jeremiam, Danielem, Ezechielem et alios, qui prædixerunt futura, quorum aliqui intellexerunt quæ scripserunt, aliqui non; *e per salmi,* idest per David, qui fecit psalmos ter quinquaginta etc. et antonomastice vocatur propheta; *per l'Evangelio,* quia quatuor evangelistæ scripserunt quæ viderunt vel noverunt de Christo, inspirante Spiritu sancto, *e per voi,* scilicet, per te Petrum, Jacobum et alios, *che scriveste poi che l' ardente Spirto,* idest Spiritus sanctus qui incendit (2) et urit corda amore divino, *vi fece almi,* idest, fecit vos sanctos: et bene dicit, quia ante infusio-

(1) E. idest, tamquam.
(2) E. accendit et urit corda fidelium amore.

nem Spiritus sancti apostoli nihil scripserant tamquam rudes et ignari literarum (1). Hic autor revertitur ad primum membrum petitionis; et quia dixerat se credere in unum Deum solum, ideo nunc addit quod credit illum Deum unum et trinum. Unde dicit: *E credo in tre persone, e queste credo una essenzia,* scilicet, esse idem in substantia; et dicit: *sì una e sì trina che soffera,* idest, quæ patitur, *congiunto,* idest, simul invicem, *sono,* idest sunt, *et este* pro *est,* idest, in singulari et plurali; quasi dicat, quod istud verbum *sunt* et istud verbum *est* prædicatur de unitate et trinitate, ita quod est verum dicere Deus est una substantia in tribus personis, et tres personæ in una substantia in Deo, et tres personæ sunt unus Deus etc. — *Della profonda.* Hic autor ostendit quod Evangelia (2) docent eum sæpe illud quod ipse describit de trinitate. Construe (3) sic literam: *L'evangelica dottrina più volte,* scilicet, in multis locis et capitulis, *mi sigilla la mente,* idest, instruunt et informant animum meum, quasi dicat: Evangelia sunt mei magistri, *della profonda condizion divina,* scilicet, de trinitate et unitate, *ch' io tocco mo,* scilicet, in proxime præcedenti dicto. Et subdit quod hinc fuit principium sui credere, dicens: *questo è il principio, quest' è la favilla che si dilata poi in fiamma vivace,* idest, inflammat mentem meam, et dicit: *e scintilla in me come stella in cielo.* Sicut enim stella in cœlo lucet sibi et aliis, ita scintilla fidei lucet in mentem autoris sibi et aliis. Et hic nota quod autor per id quod dixit de trinitate et unitate excludit fidem (4) hebræorum et saracenorum, quæ excludit ipsam trinitatem: nec dicas, lector, sicut quidam faciunt sequentes Avicennam, quod omnis fides sit bona et servanda; nam licet unicuique sua videatur bona, tamen una sola tantum est bona.

(1) E. e 4, literarum. *E credo.* Hic autor.
(2) S. evangelista docet.
(3) E. Construe ergo sic.
(4) E. perfidiam.

Unde Saladinus etc. Ad propositum ergo licet omnis annulus videretur verus et haberetur carus, tamen unus solus erat verus et bonus. — *Come il.* Hic autor concludens ultimo describit gratulationem lætam, quam fecit sibi Petrus per unam comparationem domesticam et claram. Construe sic literam : *L' apostolico lume,* idest, sanctus Petrus, *al cui comando io avea detto,* idest, loquutus fueram de fide, *mi cinse tre volte,* scilicet, circumgirando se circa me, *cantando sì com' io tacqui,* idest, statim cum feci finem responsioni, *sì nel dir gli piacqui,* idest, in tantum placui sibi prompte et clare loquendo de fide; et hoc fecit : *così come il signor ch' ascolta quel che i piace,* quando audit bona et læta nova, *da indi abbraccia il servo,* scilicet, nuntium gratulando, idest, applaudendo, *per la novella tosto ch' ei si tace,* idest, quam cito finit narrationem suam, sive ambassiatam etc.

CANTUS VIGESIMUS QUINTUS, *in quo tractatur de secunda virtute theologica, scilicet de spe.*

Se mai continga che 'l poema sacro. Postquam in præcedenti capitulo autor noster tractavit et determinavit de prima virtute theologica, scilicet fide; nunc consequenter in isto XXV capitulo tractat et determinat de secunda quæ appellatur spes. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales: in quarum prima introducit beatum Jacobum examinaturum ipsum de spe. In secunda Jacobus facit sibi tres petitiones circa virtutem spei, quarum unam Beatrix solvit, et autor respondet ad alias duas, ibi: *Ridendo.* In tertia Jacobus inquirit [1] ab autore unde veniat sibi hæc virtus, ibi: *Come.* In quarta et ultima introducit tertium apostolum Johannem examinaturum eum de tertia virtute, scilicet, caritate, ibi: *Poscia tra esse.* Ad primum ergo dico, quod in prima parte autor introducit Jacobum apostolum, qui est examinaturus eum de spe; sed primo quia tractaturus est de spe continuans se tangit aliquid de sua spe. Et breviter et summatim vult dicere, quod sperat pro remuneratione sui poematis reverti Florentiam, et ibi recipere lauream coronam. Construe et expone sic literam: ego Dantes, *Ritornerò,* scilicet, in patriam, *poeta omai con altra voce,* scilicet, belatu, scilicet, maturiori et sapientiori, *con altro vello,* idest, lana vel lanea veste, quasi dicat: quando exivi Florentiam, exivi cum voce juvenili et habitu juvenili superbo et vano; nunc autem factus senex et sapiens

(1) E. quærit.

redibo cum alia loquela et alio habitu, vel cum alia lana, quia redibit canus propter ætatem, adversitatem (1) et laborem; et dicit: *e prenderò il cappello,* idest, conventum poetriæ, scilicet laureationem, *in sul fonte,* idest, in sancto Johanne, ubi est fons baptismalis Florentiæ. Et (2) hic nota quod autor ardenter desiderabat lauream coronam; et quamvis ubique posset recipere, tamen (3) etc. Et hoc dico faciam, *se mai continga che 'l poema,* idest, præsens opus poeticum; poema enim appellatur totum thema poeticum, sicut Ilias Homeri, et Eneis Virgilii, *sacro,* idest, sacratum, divinum, vel quia de sacra theologia tractat; et dicit: *al quale ha posto mano e cielo e terra,* idest, scientia divina et humana; vel dic *cielo* in quantum tractavit de * cœlestibus, *et terra,* in quantum tractavit de * (4) terrenis; vel dicendum est et melius, quod per cœlum autor intelligit gratiam Dei per quam influentia cœli fecit autorem habilem ad habitum scientiæ, sicut ipsemet testatur Inferni capitulo, ibi: *veggendo il ciel,* et Purgatorii capitulo, ibi: *non pur per opra delle ruote magne* etc., et etiam in Paradiso ubi loquitur de signo Geminorum, quod fuit eius ascendens, et in plurimis aliis locis et capitulis. Per terram vero intelligit humanum studium et exercitium, vigiliam et laborem tam animi quam corporis; unde dicit: *sì che m'ha fatto per molti anni macro,* quia ad hoc poema compilandum multum vigilavit et jeiunavit, sicut pulcre tactum est in Purgatorii cantica, ubi invocans musas dixit: *O sacrosante vergini, se fami, freddi o vigilie mai per voi soffersi.* Nec mireris, lector, si autor diu laboravit, et si labore macruit in hoc opere altissimo componendo, quia mihi simile accidit in ipso exponendo; *vinca la crudeltà,*

---

(1) E. adversitates et labores.
(2) E. Ex hoc notandum.
(3) E. tamen desiderabat illam suscipere in patria. Et hoc dico.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.

scilicet [1], concivium et conterraneorum meorum, *che mi serra fuor,* idest, me exclaudit [2] in exilium, *del bel-l' ovile,* idest, pulcræ civitatis Florentiæ, *ov' io dormii agnello,* idest, juvenis purus et innocens; et servat metaphoram, quia enim vocaverat Florentiam ovile, quod est stabulum ovium, ideo vocat se agnum; et dicit: *nemico,* scilicet, propter bene operari, ut scriptum est supra capitulo huius Paradisi, *ai lupi,* * scilicet, florentinorum rapacium; unde autor vocat eos lupos in Purgatorii capitulo: et bene dicit: *ai lupi* * [3], quia lupi naturaliter insidiantur agnis, et ita pravi [4] bonis, quia sunt sibi dissimillimi in omnibus præterquam in figura corporali. Et dicit: *che gli danno guerra,* quia scilicet, tenent eam in dissensione civili, quæ est peior omni pugna exteriori. Et hic nota quod autor dicit dubitative: *se mai continga,* quia de rei veritate nunquam potuit reverti. Oportebat enim secundum morem patriæ, vel quod reduceretur per reformationem etc. Et nota etiam quod aliquid tetigit de spe, non tamen in quantum est virtus theologica, quia spes multos fovet et maxime exules qui sunt extra domum, quia sine ea caderent in miserabilem vitam, immo sæpe in crudelem desperationem. Nota etiam quod in hac parte autor ostendit nobilitatem sui studii, malignitatem suorum civium, suam innocentiam, et intentionem obtinendi lauream coronam. — *Però.* Hic autor assignat causam quare potius elegerit dictum locum baptismalem suæ laureationi, quam aliquem alium, dicens: *Però ch' io entrai quivi,* scilicet, in fonte baptismali intra dictum ovile, *nella fede,* scilicet, catholica, *che fa conte,* idest, familiares, *l' anime a Dio,* quia scilicet factus sum ibi [5] christia-

---

[1] E. scilicet, civium conterraneorum. [2] S. e E. excludit.
[3] Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
[4] E. pravi homines insidiantur bonis. [5] E. ibidem.

nus, *e poi Pietro,* scilicet, apostolus in cœlo, *sì mi girò la fronte,* quia circumgiravit se circa ipsum, ut patuit in præcedenti capitulo, *per lei,* scilicet, propter ipsam fidem, super qua examinavit ipsum, et examinatum licenciavit, ita quod nunc ultimo expectabat conventuari. Et hic nota quod autor optabat accipere secundum nomen poetæ, ubi primo receperat primum etc.; sed non potuit ad optatum finem pertingere, sicut patuit plene primo capitulo Inferni in expositione somnii materni. Et hic nota quod laurea non facit poetam, sed est signum poeticæ (1) acquisitæ etc., ideo meritissime autor noster semper et ubique est vocandus poeta, immo inclitus poeta. — *Indi.* Hic poeta Dantes introducit secundum apostolum, scilicet, Jacobum, ut examinet autorem de secunda virtute, scilicet, spe. Unde dicit: *Un lume,* scilicet, Jacobus maior, qui dictus est filius Zebedæi, et fuit plenus virtute spei, ut patebit statim, *si mosse indi di quella schiera,* scilicet de collegio vel circulo apostolorum, *verso noi,* scilicet, Beatricem et autorem; et dicit: *onde uscì la primizia,* idest, de qua primo exiverat Petrus, qui fuit princeps primus apostolorum in primitiva ecclesia; unde dicit: *che lasciò Cristo de' vicarii suoi,* scilicet, pontificum et pastorum. — *E la mia.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix notificaverit sibi quis esset ille beatus, dicens: *E la mia donna piena di letizia,* propter spem quæ facit animum (2) lætum promittens sibi æternam lætitiam in via, quia in patria non erat amplius spes neque fides, *mi disse,* ut faceret me attentum, *mira, mira,* scilicet; istum venientem, *ecco il Barone,* scilicet, Jacobum, ad quem habetur magna devotio in terra; unde dicit: *per cui laggiù si visita Galizia.* Est enim Gallitia provincia Hispaniæ in extremo occidentis, in cuius confinio est

---

(1) E. poetriæ. (2) S. e E. hominem lætum.

basilica Jacobi apostoli, quæ fuit fundata vel dotata per Carolum Magnum; in qua quidem provincia est gens satis barbara et bestialis inter christianos; dicta est autem Gallitia vel Gallatia etc. — *Sì come.* Hic autor describit lætam gratulationem, quam fecit Petrus cum Jacobo per unam comparationem claram et propriam, quæ de se patet. Construe sic literam: *Così vid' io l' un,* scilicet, Jacobum magnum principem et gloriosum, *esser accolto,* idest, acceptum et receptum, *dall' altro grande principe glorioso,* scilicet, Petro, *laudando il cibo che lassù si prande,* idest, gratiam Dei de qua ibi vivitur; a simili, *sì come il colombo,* supple, recipitur, *quando si pone presso al compagno, e l' un pande,* idest, exprimit, *l' affezione all' altro girando e mormorando.* Et sic vide quomodo est debita comparatio de columbis ad apostolos, qui fuerunt puri et simplices ut columbæ; et sicut unus ostendit alteri tacito murmure escam qua pascuntur, ita isti submisso colloquio cibum, quo ibi pascuntur [1]. Et subdit autor quod post gratulationem humilem factam uterque quievit et firmavit se coram eo, dicens: *ma ciascuno tacito s' affisse, coram me ignito sì che vinceva il mio volto,* idest, tam ardens et lucens, quod oculus meus sustinere non poterat.

Ridendo. Ista est secunda pars generalis [2], in qua Jacobus ad preces Beatricis examinat autorem de virtute spei, et facit tres petitiones. Ad quarum unam respondet Beatrix; et primo autor ponit orationem Beatricis ad Jacobum, quæ primo facit exordium, deinde petitionem, tertio confirmationem. Unde dicit: *E Beatrice ridendo,* idest, exultans, *disse,* illi Jacobo, *allora,* idest, tunc, *o inclita vita,* idest, gloriosa anima, *per cui la larghezza,* idest, ampla largitas, vel amplitudo largitatis, *della no-*

---

(1) E. pascuntur, ostendunt. Et subdit.
(2) E. generalis huius capituli, in qua.

stra basilica, idest, ecclesiæ triumphantis, scilicet paradisi, *si scrisse,* ubi in tua epistola dixisti: omne datum optimum [1] etc. et hilarem datorem diligit Deus, *fa risonar la speme in questa altezza.* Et subdit confirmans suam petitionem, quod possit et debeat hoc facere, dicens: *tu 'l sai,* vel, *tu sai che tante volte la figuri, quante Gesù fe più chiarezza ai tre.* In effectu vult dicere quod quando Christus ostendit maiorem familiaritatem tribus apostolis, scilicet, Petro, Jacobo, Johanni, per ipsos [2] tres figurabat tres virtutes, scilicet, fidem per Petrum, spem per Jacobum et caritatem per Johannem. Si ergo tu Jacobe figuras spem, bene sequitur quod possis et debeas de ea tractare, et poetam istum christianum examinare. Quod autem istæ tres virtutes figurentur per istos tres apostolos demonstratum [3] est in Purgatorio. — *Leva.* Hic autor ponit exortationem Jacobi ad se dicentis, *leva la testa,* idest, speculationem tuam, *e fa' che t' assicuri;* hoc dicit quia erat terrefactus nimio splendore dictorum apostolorum; et assignat causam quare oportebat [4] hoc facere, dicens: *che ciò che vien quassù,* scilicet, in cœlum, *del mortal mondo,* de quo tu nunc venis, *convien che si maturi,* idest, se disponat et habilitet, *ai nostri raggi,* idest, radiis flammantibus splendorum nostrorum; et dicit a quo habuerit istam exhortationem, dicens: *questo conforto mi venne dal fuoco secondo,* idest, a beato Jacobo, qui secundo venerat post Petrum. Et subdit suam obedientiam, dicens: *ond' io levai gli occhi,* scilicet, intellectuales, *ai monti,* idest, ad illos sanctos excelsos, scilicet, Petrum et Jacobum; et dicit: *che gl' incurvaron pria col troppo pondo,* quia scilicet dicti apostoli nimietate ardoris et splendoris grava-

(1) S. optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum etc. (2) S. istos.
(3) S. denotatur in Purgatorio. (4) S. e E. oporteat.

verunt oculos autoris, et inclinaverunt, sicut dictum est paullo ante. — *Poichè.* Hic autor ostendit quomodo Jacobus processerit ad examinationem eius; et primo ponit eius exordium, deinde petitionem. Dicit ergo Jacobus persuadens autori: *Poichè lo nostro imperadore,* scilicet, Deus, qui solus semper et ubique regnat, *vuol che tu t' affronti per grazia,* idest, concedit tibi ex gratia singulari, quod te præsentes et loquaris facie ad faciem, *coi suoi Conti,* idest, suis familiaribus et sanctis: et dicit, *nell' aula più secreta,* idest, curia cœlesti, quæ est locus secretior ipsius imperatoris; cum enim Deus sit ubique, tamen statuit sibi locum altiorem, quo ostenderet se contemplandum spiritibus angelicis et beatis; et dicit: *anzi la morte,* idest, adhuc vivens in carne. Et reddit rationem huius gratiæ concessæ autori, dicens: *sì che conforte,* idest, persuadeas, *di ciò la speme che laggiù bene innamora,* idest, quæ in terra accendit animum amore veri boni, *in te et in altrui,* idest, ad salutem tui et aliorum, *veduto il ver di questa corte,* idest, cognita summa felicitate. Et in hoc notat causam finalem huius operis (1). — *Di' quel.* Hic Jacobus facit suam petitionem autori, et petit tria, scilicet, quid est spes, et quomodo ista virtus est in eo, et unde venit ad eum. Dicit ergo: *Di' quel ch' ella è,* idest, da definitionem spei, *di' come la mente tua s' infiora,* idest, quomodo floret et viret spe; nam spes sæpe figuratur per viredinem; unde Purgatorii capitulo: *Mentre che la speranza ha fior del verde,* et alibi sæpe: *e di' onde a te venne,* idest, causam tuæ spei. Et exprimit quis fuerit autor istorum verborum, dicens: *il secondo lume,* scilicet, Jacobus luminosus, *seguì così ancora,* idest, iterum petivit a me, sicut dictum est, quia jam Jacobus loquutus est bis autori; primo quando dixit

(1) E. operis totius. — *Di'.*

supra: *leva la testa;* et nunc secundario. — *E quella.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix ad tollendam inanem gloriam assumit responsionem pro autore, præveniens eum; et respondet secundo membro, scilicet quomodo spes floret in mente autoris. Dicit ergo: *E quella pia,* scilicet, Beatrix, *che guidò le penne delle mie ali,* scilicet, intellectum et rationem, *a così alto volo,* idest, ad ascensum paradisi, *mi prevenne alla risposta così,* idest, sub hac forma subscripta: *la chiesa militante,* idest, congregatio fidelium, quæ est in isto (1) mundo, *non ha alcun figliuolo,* idest, aliquem fidelem christianum, *con più speranza;* hoc ideo dicit quia ecclesia unicuique christiano proponit æqualiter spem futuræ gloriæ; vel quia quilibet christianus non plus debet sperare quam alius, quia committeret jactantiam; et dicit: *com' è scritto nel sole;* dicunt aliqui, idest, in sacra Scriptura: sed dic et melius, sicut est manifestum in Deo, in quo omnia videntur; quod declarat cum dicit: *che raggia tutto nostro stuolo,* idest, qui illuminat totum exercitum istum triumphalem, sicut scriptum est supra capitulo XXIII huius Paradisi. — *Però.* Hic Beatrix probat dictum suum per effectum; et breviter dicit quod propter spem, quæ est ita radicata in mente eius, ex gratia concessum est sibi recedere a terra vitiosa, et venire in terram sanctam ad videndum ipsum, ad referenda nova christianis, et est iste adventus ante mortem. Dicit ergo: *però gli è conceduto,* scilicet, a Deo, *che vegna d'Egitto,* quæ interpretatur tenebra vel angustia vel tribulatio, qualis est via peccatorum, in Jerusalem, quæ interpretatur visio pacis. Et hic nota quod Jerusalem capitur (2) multis modis; aliquando historice etc. Et dicit: *per vedere,* scilicet, illud quod sperat, scilicet gloriam paradisi quæ est (3) in ista

---

(1) E. in hoc. (2) E. accipitur. (3) E. est ipsa cœlestis Jerusalem.

cœlesti Jerusalem, *anzi che 'l militar,* idest, vita ista temporalis quæ est in continua pugna, *li sia prescritto,* idest, præoccupetur et præcipiatur sibi per mortem. — *Gli altri.* Hic Beatrix relinquit autori responsionem ad alia duo puncta; et tangit quare petita sint, et quare autor possit faciliter respondere. Dicit ergo: *Lascio,* idest, ego dimitto sibi, *gli altri duo punti,* scilicet, primum et tertium, *che son dimandati,* scilicet, a te Jacobo ab ipso autore, *non per sapere, ma perch'ei rapporti,* idest, referat mundo, *quanto questa virtù,* scilicet spei, *t' è,* vel *c' è in piacere,* idest, placet tibi, vel cœlesti curiæ. Et dicit: *chè non gli saran forti nè di jattanzia,* idest, gloriatione, sicut, supple si diceret, se habere spem. Et si obiicis hic quod autor jam promisit sibi sæpe supra gloriam paradisi; respondeo quod autor prudenter fecit alium hoc dicere, et ita hic facit Beatricem hoc dicere. Et ideo dicit: *et elli a ciò risponda e la grazia di Dio,* per quam tantum ascendit, *ciò gli comporti,* idest, permittat et concedat.

Come. Ista est tertia pars generalis [1], in qua Jacobus inquirit ab autore unde veniat sibi hæc virtus; unde hic autor respondet ad primum punctum, et primo tangit suam promptitudinem in respondendo per comparationem claram et propriam, dicens: ego Dantes, *Come discente,* idest, tanquam discipulus, *che seconda a dottor,* idest, sequitur et respondet, *pronto e libente,* idest, voluntarius, *in quel ch' egli è esperto,* idest, in eo quod novit per scientiam, quam experientia facit; et dicit: *perchè la sua bontà si disasconda,* idest, ut eius sufficientia propaletur, *diss' io: speme è un attender certo della gloria futura, il qual grazia divina e precedente merto produce.* Et ad intelligendam clare istam literam est sciendum, quod ista definitio spei ponitur a magistro

---

[1] E. generalis huius capituli, in qua.

sententiarum sub ista forma: spes est certa expectatio futuræ gloriæ proveniens ex divina gratia et præcedentibus meritis. — *Da molte.* Hic autor respondet ad tertium punctum petitionis, scilicet, unde spes veniat ad eum; et dicit: *Questa luce,* idest, clara virtus spei, quæ quodammodo facit invisibilia videri, *mi vien da molte stelle,* idest, a multis doctoribus quos autor figuravit in stellis, sicut ostensum est in capitulo huius Paradisi. Sicut enim stellæ dant influentiam in corpora hominum, ita a simili illustres animæ doctorum dant virtutem et lumen in animas eorum, informando bonis doctrinis, operibus et sanctis precibus. Et dicit quod unus primo et principaliter inspiravit in mentem eius istam virtutem, dicens: *ma quei,* scilicet, David, *la distillò nel mio cor pria, che fu sommo cantor del sommo duce,* quia David fuit summus propheta Dei, qui est summus dux exercitus triumphantis: et subdit ubi et quomodo David instillaverit in animam eius istam spem, dicens; ille summus cantor, *dice nella sua Teodia,* idest, psalmodia, *color che sanno il nome tuo sperino in te.* Hoc enim dicit David psalmo octavo, qui incipit: *Confitebor tibi Domine,* ubi dicit: *et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes* (¹). Et dicit: *et chi nol sa,* supple, speret, *s' egli ha la fede mia?* — *Tu mi.* Hic autor ostendit quomodo ipse Jacobus etiam instillaverit spem in animum eius, dicens: *Tu,* scilicet, beate apostole, *mi stillasti con lo stillar suo,* scilicet, cum David, *poi nella pistola,* idest, in tua epistola canonica capitulo primo, ubi dicit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et ultimo capitulo dicit: *patientes confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropin-*

(¹) E. e S. *quærentes te Domine.* Et dicit.

quabit. Unde dicit: *sì ch' io son pieno,* scilicet, ipsa spe quam instillastis in me, *e repluo,* idest, refundo, *vostra pioggia,* idest, instillationem tui Jacobi et David. — *Mentre.* Hic autor ostendit lætitiam, quam cæpit Jacobus audiens, quod ex eius epistola elicebatur tantus fructus, dicens: *Un lampo subito e spesso,* idest, splendor ardens, *a guisa di baleno,* idest, in modum fulgoris, *tremolava,* idest, scintillabat, *dentro al vivo seno,* idest, vivacem capacitatem, *di quell' incendio,* idest, illius spiritus igniti, scilicet, Jacobi, ut jam dictum est supra, *mentre io dicea,* idest, interim dum sic responderem clare de spe. — *Indi.* Hic autor ponit aliam petitionem Jacobi circa materiam spei; et Jacobus præmittit quid movet eum ad faciendum sibi hanc petitionem de virtute spei. Dicit ergo: et ille Jacobus, *spirò indi,* idest, deinde dixit: *l' amore ond' io avvampo,* idest, caritas qua ardeo, *ancor vêr la virtù,* scilicet, spem, *che mi seguette,* idest, nunquam deseruit me, *infin la palma,* scilicet, martyrii, *et all' uscir del campo,* idest, vitæ, idest, usque ad recessum animæ a corpore, *vuol ch' io respiri a te, che ti dilette di lei, et emmi a grato che tu diche quello che la speranza ti promette.* — *Et io.* Hic autor respondet petitioni factæ, dicens: *Et io,* supple, respondi: *le scritture nuove e le antiche,* sicut evangelistarum et prophetarum, *pongono il segno,* scilicet, quod spes promittit mihi; et, supple scriptura, *dell' anime,* scilicet, sanctorum doctorum, *che Dio s' ha fatte amiche, e lo m' addita esso,* idest, ditat mihi ipsum signum. — *Dice.* Hic autor explicat testimonia veteris et novi testamenti; et primo de veteri allegat Isaiam, dicens: *Isaia,* scilicet propheta, *dice,* scilicet, capitulo XLI, *che ciascuna,* scilicet, anima beata, *fia vestita di doppia veste,* scilicet, luce animæ et corporis, *nella sua terra,* et declarat de qua terra loquatur, dicens: *e questa dolce vita,* scilicet cœlestis patria, *è la sua terra.*

Dicit ergo Isaias: *propter hoc* (1) *in terra sua duplicia possidebunt, et lætitia* etc. Et subdit testimonium Novi Testamenti, dicens: *e 'l tuo fratello,* scilicet, Johannes evangelista, *ci manifesta questa rivelazione,* scilicet, Isaiæ, de futura, scilicet, duplici gloria quæ manifestabitur vel revelabitur in nobis, *assai vie più digesta,* idest, multo plenius discussam et pertractatam. Et dicit: *là dove tratta,* scilicet, in Apocalypsi tertio capitulo, *delle bianche stole,* per quas figurat etc. Et sic patet quomodo ambo annuntiant et confirmant resurrectionem mortuorum, et glorificationem corporum; ex quo concluditur quod spes promittit sibi vitam sine fine. — *E prima.* Hic autor ponit effectum suæ responsionis, quia scilicet fingit gaudium quod fecerunt illæ animæ beatæ ad confirmandam responsionem autoris, dicens: *E prima s' udì,* scilicet, a nobis, *presso al fin d' este parole,* illud dictum psalmistæ, *sperent in te qui noverunt nomen tuum.* Et dicit: *di sopra a noi,* quia illi qui erant in spera apostolorum cantabant istud (2) dictum. Et dicit, quod cæteri sancti confirmaverunt hoc (3), dicens: *a che,* idest, ad quod dictum vel canticum, *risposer tutte le carole,* idest, cæteræ speræ beatorum existentium ibi etc.

Poscia tra esse. Ista est quarta (4) pars generalis, in qua autor introducit tertium apostolum, scilicet, Johannem evangelistam examinaturum ipsum de tertia virtute, scilicet, caritate, quem describit per comparationem pulcram et subtilem; et sententialiter et summatim non vult aliud dicere, nisi quod Johannes ardens et luminosus emicuit ibi sicut sol: assimilat enim Johannem crystallo, et parificat splendorem crystalli splendori solis. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod positio stat in hoc: sit sol in principio capricorni, et una cry-

(1) E. *hæc.* (2) S. illud. (3) E. hoc dictum, dicentes: *a che.*
(4) E. quarta et ultima pars generalis huius capituli, in qua.

stallus equivalens soli in splendore sit in principio cancri; tunc statim cum sol ascendet super orizonta, crystallus illa descendet in occidentem, * et e converso cum sol descendet in occidentem * (¹) sub orizonta, et illa crystallus ascendet in orientem, quia capricornus et cancer sunt signa opposita: et oportet præsupponere, quod sicut sol gradatim percurrit totum capricornum, ita ista crystallus percurrat totum cancrum, ita quod pariter moveatur cum sole. Ad literam ergo dicit autor: *Poscia,* scilicet, post cantum gaudiosum, *un lume,* scilicet, Johannes evangelista, *si schiarì,* idest, apparuit splendens tamquam sol, *tra esse,* idest, inter dictas speras vel animas, *sì,* idest, tam excellenter, *che se 'l cancro avesse un tal cristallo,* idest, lumen, *l' inverno,* scilicet, quando sol est in capricorno, *avrebbe un mese d' un sol dì,* quia scilicet esset continuo claritas, et sic esset dies sine nocte. Et hic nota quod autor bene dicit: *l' inverno,* quia dat istud accidens cancro: si enim daret tale lumen capricorno, tunc idem accidens accideret in æstate; et si daret (²) unum arieti accideret in autumno; et si daret unum libræ, accideret in vere; et si daret singulis signis suum, tunc esset totus decursus temporis semper dies sine nocte aliqua; et breviter et clare doceam te demonstrationem istam. Volo quod imagineris (³) et fingas in mente tua duos soles in cœlo, unum in oriente, alium in occidente in signis oppositis; tunc enim uno occidente, alter continuo oriretur, et sic continuaretur claritas et dies. Et sic non oportet declarare casum istum per literas alphabeti *a, b, c,* sicut quidam facere conantur implicantes phantasiam minus intelligentium. — *E come.* Hic autor describit adventum Johannis evangelistæ ad alios duos per unam comparationem pulcram et propriam quæ de se patet.

(¹) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e Estense.
(²) E. daret arieti. (³) E. quod imagines.

Construe sic literam: *E vid' io lo schiarato splendore*, scilicet, Johannem, qui ita eluxerat et splenduerat, *venire ai due*, scilicet, ad Petrum et Jacobum, *che si volgeano a ruota*, idest, circulariter; et dicit: *qual conveniasi al loro ardente amore*, quasi dicat: tam veloci motu, qualem exigit ardor caritatis eorum. Et vidi Johannem hoc facere, *così come vergine lieta surge, e va, ed entra in ballo;* et dicit, *sol per far onore alla novizia*, idest, sponsæ, quæ noviter est nupta viro, *non per alcun fallo*, quia scilicet non amore luxuriæ (1) vel vano; et notanter hoc dixit, quia aliter comparatio non fuisset propria, quæ tamen est propriissima. Comparat enim Johannem Virgini, qui et ipse virgo fuit, unde (2) Christus Virginem Virgini commendavit, idest, Mariam Johanni, sicut statim dicetur; et sicut virgo formosa læte et honeste intrat tripudium, ita anima luminosa Evangelistæ (3) intravit circulationem apostolorum. — *Misesi.* Hic autor describit actum Johannis et Beatricis, dicens: et ille Johannes, *misesi lì nel canto e nella nota*, idest, cœpit simul dulciter canere cum prædictis. Et dicit: *e la mia donna*, scilicet, Beatrix, *tenne l' aspetto in lor;* et dicit a simili, *pur come sposa tacita et immota*, idest, quæ non loquitur, neque movetur; per quod innuit autor quod fixe contemplabatur eos tanquam tres principes, in quibus maxime viguit triplex virtus divina. — *Questi.* Hic Beatrix manifestat Danti hunc esse Johannem, quem describit per duo signa; primo quia recubuit supra pectus Domini, dicens: *Questi*, scilicet luminosus spiritus, *è colui*, scilicet, Johannes evangelista, *che giacque*, idest (4), qui obdormuit in cœna, *sopra 'l petto del nostro Pellicano*, idest (5), Christi, qui

---

(1) E. lascivo vel vano.
(2) E. unde Dominus noster Jesus matrem suam virginem.
(3) E. Joannis evangelistæ. (4) E. idest, qui dormivit in cœna.
(5) E. scilicet, Jesu Christi Domini nostri, qui.

merito vocatur pelicanus, quia aperuit sibi latus ad liberationem nostram, sicut pelicanus ex sanguine pectoris vivificat filios mortuos. Est autem pelicanus avis ægyptia etc. Et dat aliud signum, dicens: *e questi fu eletto al grande officio di su la croce,* scilicet, quando Christus pendens in cruce tradidit ipsum Matri in filium et custodem. Et subdit autor quis dixerit ista verba, et quomodo non mutavit dispositionem post verba, nisi sicut primo, dicens: *la donna mia così,* supple, dixit, *nè le parole sue però mosser piue,* idest, non ideo plus moverunt, *la vista sua,* idest, eius fixum intuitum, *di stare attenta,* scilicet, in illos apostolos, *poscia,* idest, post dicta verba, *che pria,* scilicet, ante verba. — *Quale.* Hic autor ostendit qualis factus fuerit, volens videre corpus Johannis (1), per comparationem nobilem et propriam volentis videre eclipsim solis, qui ut bene videat efficitur non videns. Construe sic literam: *Io mi feci tale a quell' ultimo fuoco,* scilicet, Johannem ardentem et splendentem ad modum ignis, a simili, *quale è colui ch' adocchia,* idest, intuetur, *e s' argomenta,* idest, ingeniatur, *di veder eclissar lo sol,* idest, obscurari, *un poco, che diventa non vedente per vedere,* quasi dicat: remansi quasi cæcus acute respiciens ipsum; et est comparatio propria: sicut enim oculus mortalis, acute respiciens solem luminosum, efficitur nihil videns; ita oculus intellectualis autoris subtiliter speculans Johannem evangelistam, quem jam supra assimilavit soli, factus est non videns; tentabat enim scire si Johannes haberet corpus suum secum, sicut aliqui opinantur, sed non invenit sic esse. Et subdit declarationem quam facit (2) Johannes de corpore suo, dicens: *mentre che detto fu,* idest, donec dictum fuit mihi a dicto Johanne, *perchè t' abbagli,* idest, ablucinaris et confun-

---

(1) E. Joannis evangelistæ, per.

(2) S. e E. fecit.

deris in visum, *per veder cosa,* scilicet, corpus meum, *che qui non ha loco?* Et hic nota quod aliqui ponunt etc. Sed hoc non videtur quia etc. — *In terra.* Hic Johannes manifestat autori quid sit de corpore suo, dicens: *Il mio corpo è terra in terra,* idest, corruptum et resolutum in terra, non glorificatum in cœlo; et dicit: *e saragli tanto con gli altri,* idest, tam diu cum aliis corporibus humanis, *che 'l numero nostro s' agguagli* etc., idest, compleatur secundum decretum divinum; quod est dicere usque ad finalem diem judicii, quando fiet resurrectio corporum, quæ est nota soli Deo. Et subdit quod tantum duo sunt in cœlo cum anima et corpore, dicens: *le duo luci sole,* scilicet, Christus et Maria, *che saliro,* idest, quæ ascenderunt ad cœlum empyreum relicto exercitu isto triumphanti, sicut scriptum est supra capitulo XXIII, *son con le duo stole,* idest, cum duplici veste, idest luce corporis et animæ, *nel beato chiostro,* idest, in paradiso. Et mandat autori quod referat istud, dicens: *e questo apportarai nel vostro mondo,* ne scilicet quis [1] habeat vanam credulitatem quod corpus meum sit in cœlo. — *A questa.* Hic autor describit effectum verborum Johannis per unam comparationem pulcram et propriam: et breviter dicit, quod illa circulatio trium apostolorum quietata fuit in cantu [2] trinitatis. Dicit ergo: *L' infiammato giro,* idest, ignita rota ardentium apostolorum, *si quietò a questa voce,* idest, ad ultimum verbum Johannis; et dicit: *con esso il dolce mischio,* idest, cum cantu mixto eorum, *che si facea nel suon del trino spiro,* idest, prædictorum trium spirituum Petri, Jacobi et Johannis. Et subdit comparationem dicens, a simili, *sì come i remi pria ripercossi,* scilicet, a navigantibus, *nell' acqua si posano tutti al sonar d' un fischio,* idest, ad sonum unius sibili, *per cessar fatica o*

---

(1) E. quisquam habeat. (2) E. in cantum.

rischio, idest, periculum. Et (1) vide quod comparatio stat in hoc, quod sicut unus solus sibilus patroni navis facit cessare nautas a navigatione et clamore, ita simplex verbum apostoli fecit desistere alios a motu et cantu. Est enim sciendum, sicut aliquando vidi, quod patronus galeæ, quando vult remiges cessare a ductu remorum, vel ad quiescendum, vel ad vitandum aliquod periculum imminens, facit unum sibilum, ad quem subito omnes quiescunt; nec est rex vel dux in mundo, cui tam cito pareatur a suis, sicut tali patrono paretur a navigantibus. Ad propositum ergo autor indicat festinam obedientiam apostolorum, qui statim quietati sunt ad verbum Johannis, per (2) festinam obedientiam nautarum, qui statim quietantur ad sibilum patroni. Volebat enim Johannes omnes quiescere, ut loqueretur cum autore. — *Ahi.* Hic autor ultimo concludit et dicit, quod confusus fuit valde quando convertit se ad videndam Beatricem, nec potuit videre eam; dicit ergo exclamans cum admiratione: *Ahi quanto mi commossi nella mente,* idest, quantum stupefactus fui, *per non poter vederla quando mi volsi per veder Beatrice;* et dicit: *bench'io,* idest, quamvis, *fossi presso di lei,* quia non recesserat, nec elongaverat se ab eo, *e nel mondo felice!* idest, in paradiso. Et hoc fingit autor quia percussus nimio fulgure stabat quasi cæcus etc.

---

(1) E. Et hic vide.
(2) E. per comparationem festinæ obedientiæ nautarum.

CANTUS VIGESIMUS SEXTUS, *in quo tractatur de tertia virtute, scilicet de caritate, ubi introducitur Adam.*

M*entre io dubbiava per lo viso spento.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de secunda virtute theologica, puta spe; nunc consequenter in isto XXVI capitulo agit et tractat de tertia virtute, scilicet, caritate, cuius Johannes evangelista fuit ardens post Christum [1]. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales: in quarum prima autor ostendit quomodo evangelista examinaverit eum de virtute caritatis. In secunda evangelista facit aliam petitionem circa virtutem caritatis, ibi: *Et io udi'.* In tertia facit apparere spiritum Adæ, cui autor movet quædam dubia, ibi: *Onde, me'.* In quarta et ultima Adam respondet ad illa dubia, ibi: *Or, figliuol mio.* Ad primum ergo dico, quod autor ostendit quomodo evangelista examinaverit eum de virtute caritatis. Et primo continuans se ad præcedentia ostendit quomodo fecerit eum attentum ad sequentia. Construe sic literam et expone, quæ male ordinatur a multis. *Uno spiro,* idest [2], spiritus vocis, *della fulgida fiamma,* idest, Johannis fulgentis gloria et inflammati caritate; et dicit: *che lo spense,* idest, quæ cæcavit visum meum, *giunse,* idest, supervenit ad aures meas, *mentre io dubbiava,* idest, donec dubitabam, *per lo viso spento,* idest, cæcatum vel offuscatum. Est autem hic notandum quod aliqui conantur subtiliter exponere istum passum, dicentes quod autor erat territus dubitatione quadam, sci-

(1) E. Jesum Christum. (2) E. idest, unus spiritus.

licet, cur Johannes superabat Petrum et Jacobum in fulgore, cum forte videretur alicui (1) debere esse oppositum: quia Petrus fuit princeps apostolorum, fundamentum ecclesiæ, petra fidei; alter fuit lumen spei, et ambo per martyrium transiverunt in cœlum. Johannes vero morte naturali et senili, et per consequens non pœnali; sed ista expositio est frivola, quia ista dubitatio non debuit ita turbasse (2) mentem autoris, cum bene sciret (3) quare Johannes fuerit maior istis, quia habuit perfectissimam caritatem, et fuit evangelista, apostolus, propheta, et virgo. Aliqui autem dicunt melius, quod autor fingit merito se ablucinatum in inspectione Johannis, quia ipse scripsit profunda in Apocalypsi, quæ (4) vidit quando recubuit supra pectus Domini, quæ obcæcant visum intellectualem. Sed certe ego credo quod autor non habuit primum nec secundum intellectum, sed simpliciter (5) respectum ad id quod dixerat supra, scilicet, quod volens videre corpus Johannis gravatus est in visu præ nimio fulgore; et ideo expone sic literam: *mentre io dubbiava,* scilicet, ne remanerem cæcus sicut eram, quia non poterat videre Beatricem, sicut dixit in fine capituli præcedentis; ideo bene dicit: *per lo viso spento,* idest, propter cæcationem oculorum. Et dicit: *che mi fece attento, dicendo: in tanto che tu ti risense,* idest, donec recuperes sensum, *della vista che hai in me consunta,* idest, visionis quam consumpsisti in me Johannem, *ben è,* idest, utile et necessarium tibi, *che la compense ragionando,* idest, conferendo mecum de virtute caritatis, quia tali modo redibis ad videndum conspectum Beatricis. — *Comincia.* Hic Johannes incipit petere ab autore de virtute caritatis, dicens: *Comincia dunque, e di' ove l' anima*

(1) E. aliorum.
(2) S. turbare mentem.
(3) E. sciret, quantum ad hoc, quare.
(4) E. quæ tunc vidit.
(5) E. simpliciter habuerit respectum.

tua, idest, amor et desiderium animæ tuæ, *s' appunta,* idest, in qua re firmatur, supple, singulariter et potissime. Et promittit sibi spem recuperandæ visionis, ut autor audacius et lætius loquatur, dicens; *e fa' ragion che la vista sia smarrita in te,* idest, turbata, *e non defunta,* idest, non mortua, quia cito reparabitur et revigorabitur in te. Et reddit rationem sui dicti, dicens: *perchè la donna,* scilicet, Beatrix, *che ti conduce per questa region dia,* idest, divinam et cœlestem, *ha nello sguardo,* idest, conspectu oculorum, *la virtù,* scilicet, restituendi visum perditum; et dicit: *ch' ebbe la man d'Anania.* Ananias enim reddidit visum Paulo. Hic est enim ille Ananias qui discipulus Christi (1) habuit in spiritu præceptum a Domino, ut accederet ad Paulum etc., ut habetur in Actibus apostolorum nono capitulo, quasi dicat: sicut Ananias servus Domini restituit Paulo territam lucem, ita scientia divina, famula Dei restituet tibi. — *Io dissi.* Hic autor responsurus petitioni Johannis primo ostendit suam bonam spem quam habet in succursu Beatricis, dicens: *Io dissi*: scilicet, illi Johanni: *rimedio vegna e tosto e tardo agli occhi,* scilicet, meis, *che fur porte quand' ella entrò,* scilicet, in animam meam, *col fuoco,* scilicet, amoris, *ond' io sempr' ardo,* quia continuo eius ardor amoris invalescit in mentem meam; quasi dicat: amor Beatricis, quo semper flagro per oculos transivit in animam meam, quando primo captus sum eius amore: de isto amore Beatricis dictum est sæpissime in fine Purgatorii, et per totum librum Paradisi. — *Lo ben.* Hic autor respondet ipsi petitioni Johannis, dicens, quod eius anima appuntatur in amore perfectæ caritatis. Unde dicit: *Lo ben,* scilicet, summum; et potest ista litera habere sensum historicum et allegoricum, ut alibi sæpe:

---

(1) E. Jesu Christi.

et dicit: *al suo piacere,* scilicet, ipsius Beatricis, *che fa contenta questa corte,* quia omnis beatus contentatur sorte sua, ut totiens dictum est, *et alpha et omega,* idest, principium et finis, *di quanta scrittura mi legge amore o lievemente o forte;* quasi dicat: omnis scriptura facilis vel difficilis, quæ tractat de amore et caritate, principaliter præcipit quod diligam Deum, qui est principium et finis omnium rerum. — *Quella.* Hic autor ponit aliam petitionem fortiorem Johannis circa caritatem, qui petit, quid moverit eum ad amandum principalissime illud bonum? Et primo continuans dicta dicendis, dicit: *Quella medesma voce,* scilicet, Johannis, *che m' avea tolta paura del subito abbarbaglio,* idest, offuscationis oculorum, ut patuit paullo supra, *ancor mi mise in cura,* idest, in solicitudinem, *di ragionare,* faciendo mihi fortiorem quæstionem. Et subdit ipsam quæstionem, dicens: *e disse: certo ti conviene schiarare a più angusto vaglio,* idest, ad strictum cribrum, idest, ad arctiorem quæstionem et excussionem; et ecce quæstionem: *dicer convienti chi drizzò l' arco tuo,* idest, amorem tuum, vel sagittam amoris tui; unde amori datur arcus cum sagittis, *a tal bersaglio,* idest, ad tale signum, idest, summum bonum. Et hic nota quod metaphora est propriissima ad propositum: sicut enim multi sagittatores tendunt ad unum signum, et tamen pauci attingunt illud; ita omnes homines tendunt ad summum bonum, sed pauci consequuntur, quia falluntur diversis viis etc. — *Et io.* Hic autor respondet propositæ quæstioni, et breviter dicit, quod duo sunt maxime [1] dirigentia amorem suum in summum bonum, scilicet probationes naturales et autoritates sanctorum. Dicit ergo: *Et io,* supple, respondi, *cotale amor,* scilicet, summi boni, *convien che in me s' imprenti,*

---

[1] E. maxime amorem suum in summum bonum impellentes, scilicet.

idest, imprimatur et informetur in mente mea, *per filosofici argomenti,* idest, per rationes philosophiæ, *et per autorità,* scilicet, doctorum, *che scende quinci,* scilicet a cœlo, a vobis sanctis prophetis, apostolis, evangelistis, doctoribus. Et nota quod locus ab autoritate, qui est infirmus in aliis scientiis naturalibus, est validus in sacris scripturis, quæ factæ sunt per infusionem; unde Augustinus dicit: magis credo piscatoribus quam dialecticis etc. — *Chè il bene.* Hic autor ad robur sui dicti adducit philosophicum argumentum: et primo præmittit sententiam philosophi primo Ethicorum, et in multis aliis libris, super qua fundat suam rationem, dicens: *Chè il bene, in quanto bene, accende amore così come s' intende,* quasi dicat: quod bonum statim cum cognoscitur facit se amari, quia bonum est quod omnes appetunt. Et dicit: *e tanto maggio,* idest, tanto plus accendit, *quanto più di bontate in sè comprende,* quasi dicat: et quanto bonum est maius, tanto est amabilius et appetibilius. — *Dunque.* Hic autor format suum argumentum, tali positione præmissa, et arguit a minori; et breviter vult dicere, quod si omne quod est bonum, vel habet colorem boni quantumcumque minimum facit se amari; quanto magis summum bonum, a quo dependet omne bonum, et sine quo nihil est bonum. Nunc construe et ordina sic literam: *Dunque la mente di ciascun che cerne il vero,* idest, qui videt veritatem prædictam, sive dictam sententiam veram, *in che si fonda questa prova, convien che si muova amando all' essenzia,* scilicet, divina, *ov' è tanto avvantaggio, che ciascun ben che si trova fuor di lei, non è altro che un lume di suo raggio,* scilicet, illius divinæ essentiæ, *più che in altra,* idest, magis quam moveatur amando aliquam aliam essentiam. Et subdit autor a quo accipiat istam veritatem, quia a philosopho; unde dicit: *colui,* scilicet, Aristoteles, *che mi dimostra il primo amor*

di tutte le sustanzie sempiterne, sicut [1] in libro Ethicorum immo metaphysicæ et de causis, *scerne tal vero all' intelletto mio,* idest, demonstrat mihi tale argumentum. — *Scernelo.* Hic autor adducit argumenta ab autoritate. Ad cuius intelligentiam est præsciendum quod sicut scribitur Exodi trigesimo tertio capitulo, Dominus loquebatur Moysi facie ad faciem, sicut amicus amico; et dixit Moyses: Domine, ostende mihi faciem tuam etc. Dicit ergo: *La voce del verace autore,* idest, Dei, qui est ipsa veritas et mentiri non potest, *che parlando di sè, dice a Moisè: io ti farò vedere,* vel *sentire ogni valore,* idest, omne bonum, quod est ipse Deus, *scernelo,* idest, ostendit mihi dictam veritatem. — *Scernilmi.* Hic autor adducit aliam autoritatem ad idem probandum; et accipit autoritatem eiusdem Johannis [2]. Dicit ergo: *Tu,* Johannes, *scernilmi ancora,* idest, demonstras etiam mihi, *incominciando l' alto preconio,* idest, altam proclamationem et publicationem, dicens: *In principio erat verbum* etc.; unde dicit, *che grida l' arcano,* idest, proclamat secretum, scilicet incarnationem Verbi Dei, quæ fuit secreta; unde dicit: *et Verbum caro factum est.* Unde Augustinus de Civitate Dei dicit [3]: Platonicos etc. Et dicit: *di qui laggiù,* quia secretum cœli publicavit in terra; et dicit: *sopra ogni altro bando,* idest, excellentius quam aliquis alius scribens et altius. Alii tamen exponunt quod Johannes in insula Pathmos scripsit Apocalypsim, in quo libro descripsit [4] secreta Dei: sed prima expositio est magis de mente autoris, etc.

Et io udi'. Ista est secunda pars [5] generalis, in qua autor ponit aliam petitionem Johannis evangelistæ circa materiam caritatis, qui primo, ut reddat autorem magis

---

(1) E. scilicet, in libro.
(2) E. Johannis, dicens: *Tu.*
(3) S. dicit quod Platonicos etc.
(4) S. describit.
(5) E. pars huius capituli, in qua.

promptum [1] et libentem ad respondendum, commendat et confirmat eius responsionem factam. Unde dicit: *Et io udi'*, scilicet a dicto Johanne, *il sovrano*, idest, summus amor, *de' tuoi amori guarda a Dio per intelletto umano*, idest, per rationes naturales, quas fabricat intellectus humanus, sicut Aristotelis et aliorum philosophorum, *e per autoritate*, scilicet, multorum doctorum et scriptorum, *concorde a lui*, idest, consonantium ipsi intellectui, quia non discrepant a ratione naturali. — *Ma di'*. Hic Johannes facit suam petitionem; et breviter petit si autor alia habeat argumenta et probationes trahentia ipsum ad amorem divinum, præter dicta argumenta philosophica et autoritates sanctorum; unde dicit: *Ma di' ancora, se tu senti altre cose*, vel *corde*, idest, alias rationes et autoritates a prædictis, *tirarti verso lui*, scilicet, Deum; et dicit: *sì che tu suone con quanti denti questo amor ti morde*, idest, quot causis moveris ad hunc amorem. — *Non fu*. Hic autor responsurus ad petitionem Johannis, primo præmittit qualiter bene intellexerit eius intentionem, dicens: *La santa intenzione*, idest, voluntas illius sancti Johannis, *dell' aquila di Cristo*, idest, Johannis, qui in figura aquilæ repræsentatur, et quare, *non fu latente*, idest, abscondita mihi, *anzi m' accorsi ove volea menar mia professione*. Et hic nota quod autor solum adduxerat rationes et autoritates generales invitantes eum ad amorem divinum, sed Johannes vult audire magis strictas et particulares. — *Però*. Hic autor respondet strictæ petitioni Johannis, dicens: *Però ricominciai: tutti quei morsi*, idest, rationes, *che posson lo cuor far volgere a Dio, alla mia caritate son concorsi*, idest, ad generandam virtutem caritatis in corde meo. Et subdit illos morsus particulares, dicens: *chè l' essere del mondo*, idest,

---

(1) S. attentum et promptum.

quia Deus dedit esse universo, *e l' esser mio,* idest, quia dedit esse mihi, quo nihil est nobilius, *la morte ch' el sostenne perch' io viva,* idest, quia passus est pro redemtione mea. Nam maiorem caritatem non habet homo, quam ut ponat animam suam etc. Et si amicus pro amico sæpe exponit vitam, ut dicit philosophus in Ethicis, quanto fortius servus pro domino? cum tamen scribat Macrobius de servo, qui liberavit dominum ingratissimum a quo receperat pessima damna crudeliter, ubi tractat de fide servorum libro Saturnalium etc., *e quel che spera ogni fedel com' io,* scilicet, vitam æternam et ultimam felicitatem; omnia hæc, *m' hanno tratto,* idest, liberaverunt me, *del mar dell' amor torto,* idest, de amaritudine amoris fallacis temporalium, *e m' han posto alla riva,* idest, ad portum, vel initium, *del diritto,* scilicet, amore vero Dei, in quo consistit recta beatitudo; et dicit: *con la predetta conoscenza viva,* idest, cum rationibus et autoritatibus supradictis, quæ sunt vivaces et efficaces ad probandum propositum.—*Le fronde.* Hic autor ostenso quare diligat Deum, nunc ostendit quomodo diligat proximum, dicens: *Am' io,* idest, ego amo, *le fronde,* idest beatos et mortales, *onde s' infronda tutto l' orto,* idest, quibus floret paradisus et mundus, *dell' ortolano eterno,* scilicet, Dei, et dicit: *cotanto quanto di bene è porto a lor da lui,* idest, secundum quantitatem virtutis et bonitatis collatam sibi a Deo. Et hic nota quod secundum Augustinum gradus caritatis sic sunt distinguendi, quia primo debes diligere quod supra te est, scilicet Deum; secundo quod intra te est, scilicet animam tuam etc. — *Sì com' io.* Hic autor notificat gaudium, quod sequutum est ex sua professione, dicens: *Un dolcissimo canto risonò per lo cielo,* scilicet, inter illos beatos, *sì com' io tacqui,* idest, statim cum finivi responsionem; et dicit: *e la mia donna dicea con gli altri,* idest, Beatrix cantabat gratulanter cum illis

beatis: *Santo, santo, santo, Dominus Deus Sabaoth* etc. — *E come.* Hic autor ultimo ostendit quomodo Beatrix restituit sibi visionem territam oculorum, secundum quod prædixerat sibi Johannes in principio capituli; et hoc per unam comparationem naturalem, pulcram et propriam, cuius positio sit ista: ponamus quod unus sit sopitus in camera obscura, et alius cum splendidissimo lumine intrat cameram, ille subito evigilans respicit sibi circa, et videns aliquid illuminatum ab illo lumine totus terretur, et sic stat donec reformetur sensus, et virtus extimativa apprehendit verum rei visæ; et tunc cessat illa perturbatio et ignoratio. Ita ad propositum, dicit autor, quod accidit sibi, quia ad fulgentissimum splendorem evangelistæ factus fuerat totus attonitus, et quasi cæcus steterat loquendo cum ipso Johanne; sed Beatrix succurrit sibi lumine suo fugando omnem tenebram ab oculis eius; et sic vide quantum comparatio sit congruentissima facto. Nunc vide literam, quam construe et ordina sic: *E Beatrice fugò ogni quisquilia,* idest, omnem superfluitatem; quisquiliæ enim dicuntur reliquiæ fœni quæ remanent ante animalia, et vulgariter dicitur *rosiglia; degli occhi miei,* scilicet, intellectualibus, *col raggio de' suoi,* scilicet, oculorum splendentissimo; unde dicit: *che rifulgea,* idest, splendebat, *da più di mille miglia,* quasi dicat, superexcellenter; et bene hoc fingit quia Beatrix cum lumine sanctarum scripturarum restituit visionem intellectualem autori, ostendens sibi qualiter Johannes erat fulgentissimus inter apostolos, et non erat cum corpore in cœlo. Et hoc fecit, *così come si dissonna,* idest, evigilatur ab aliquo, *al lume acuto,* idest, ad splendorem acuti luminis, *per lo spirto visivo che ricorre allo splendore,* illius luminis, *che va di gonna in gonna,* idest, qui transit et penetrat de tunica in tunicam. Ad cuius intelligentiam est notandum quod sicut

tradunt physici oculus habet tunicas etc. Et dicit: *e lo svegliato*, idest, excitatus a somno, *aborre,* idest, abominatur, *ciò che vede*, propter subitam evigilationem; unde dicit: *la subita vigilia sì,* idest, in tantum, *è nescia,* idest, ignara, sive ignorans, quia nihil cognoscit in illo subito motu [1], *fin che l' estimativa nol soccorre*. Est enim extimativa etc.

Onde me'. Ista est tertia pars generalis [2], in qua autor introducit Adam primum parentem, cui movet aliqua dubia; et primo ostendit quomodo revigoratus, resumpto lumine, petivit a Beatrice de eo: unde dicit: *Onde io vidi poi*, idest, post purgationem factam a Beatrice, *me',* idest, melius et clarius quam videbam ante istam ablucinationem. Et dicit: *e quasi stupefatto,* scilicet admiratione novæ rei, quia recuperaverat acutiorem visum, *dimandai d' un quarto lume,* scilicet, Adam, qui apparuit post illos tres apostolos; unde dicit, *ch' io vidi tra noi,* scilicet separatum ab aliis; venerat enim in consortio dictorum [3] apostolorum. — *E la mia*. Hic autor ponit responsionem Beatricis ad suam petitionem, dicens: *E la mia donna,* supple, respondit: *il suo fattor,* idest, creator Deus, *vagheggia l' anima prima,* scilicet, Adæ, *che la prima virtù,* scilicet, divina, quæ est prima et summa, *creasse mai,* quia prima anima quam creavit unquam Deus fuit anima Adæ. Et dicit: *dentro da quei rai,* idest, intra radios illius quarti luminis; vel construe e converso: *la prima anima,* scilicet, Adæ, *vagheggia il suo fattor* etc., et forte melius. — *Come*. Hic autor ostendit suam dispositionem ad loquendum Adæ per unam comparationem propriam; et breviter dicit quod fecit sicut virga, quæ flante vento incurvatur ad terram, et illo cessante redit sursum: ita ipso loquente Beatrix

---

(1) S. e E. motu: et hoc facit, *fin*.
(2) E. generalis huius capituli, in qua. (3) E. aliorum.

inclinavit se deorsum præ stupore, audiens quod ille spiritus erat Adam; deinde erexit se sursum ex desiderio loquendi cum eo, qui erat primus parens omnium. Nunc vide literam, quam ordina sic: *Fec' io in tanto in quanto ella diceva,* idest, interim dum Beatrix loqueretur, *stupendo,* scilicet novitate rei, scilicet presentiæ Adæ, *e poi un disio di parlar,* scilicet, cum ipso Adam, *ond' io ardeva mi rifece sicuro,* a simili, *come la fronda,* idest, planta vel ramus, *che flette la cima,* idest, incurvat infra, *nel transito del vento, e poi si leva per la propria virtù,* scilicet, naturali, *che la sublima,* idest, erigit et exaltat. Et hic nota quomodo præsens comparatio satisfacit proposito: sicut enim virga viridis suo proprio motu tendit sursum; et si aliquando reflectitur versus terram motu violento venti, tamen revertitur versus cœlum; ita autor hic tanquam planta horti hortulani æterni, ut dixit paulo ante, virens scientia, sua virtute tendebat recte versus Deum; et quamvis inclinatus vi stuporis rei admirabilis erexit se sursum, et loquutus est Adæ sub subscripta forma. — *E cominciai.* Hic autor ponit suam orationem Adæ, et primo facit exordium, deinde petitionem. Dicit ergo: *E cominciai,* ad captandam benevolentiam: *o pomo,* o Adam, *che solo fosti prodotto,* scilicet, ab initio sæculi, *maturo,* idest, perfectum, quia Deus creavit Adam in ætate perfecta, non crescente, non declinante, et cæteri creantur in imperfecta ætate; et dicit: *o padre antico,* scilicet, totius generis humani, *a cui ciascuna sposa è figlia e nuro,* idest, nora alicuius tui descendentis. Unde nota quod si Adam hodie viveret secundum legem civilem non posset ducere uxorem. — *Devoto.* Hic facit petitionem dicens: *Io devoto quanto posso supplico a te,* idest, suppliciter et reverenter peto, *perchè mi parli;* et probat quod possit hoc facere, dicens: *tu vedi mia voglia,* scilicet, in Deo, idest, deside-

rium magnum meæ voluntatis; et dicit quod non exprimit suam voluntatem ad tollendam moram; unde dicit: *e non la dico per udirti tosto,* scilicet, ad breviandum factum dimitto narrationem tibi notam. — *Talvolta.* Hic autor volens ponere responsionem Adæ, primo ostendit eius affectionem per unam comparationem naturalem et propriam; cuius casus talis est: aliquando unum aliquod animal fasciatum pelle sua indicat suam affectionem interiorem per aliquem motum exteriorem, puta tremorem pellis; ita a simili Adam per vibrationem lucis, qua velatus erat exterius, ostendebat lætam voluntatem interiorem complacendi autori. Dicit ergo: *Talvolta uno animal coverto,* pelle sua, sicut agnus, vel simile, *broglia,* idest, vibrat, vel tremit, *sì, che l'affetto,* idest, affectio interior, puta appetitus comedendi, *convien che si paia,* idest, appareat et pateat videnti præsenti; et dicit: *per lo seguir che face a lui l'invoglia,* idest, quia motus pellis qua involutum est sequitur motum vel affectum interiorem. Et applicat dictam comparationem ad propositum, dicens: *similemente l'anima primaia,* scilicet, Adæ quæ fuit prima anima rationalis creata a Deo, *mi facea trasparere,* scilicet, exterius, *per la coverta,* scilicet, suæ lucis qua coopertus erat, *quant' ella venia gaia,* idest, vaga, *a compiacermi,* idest, ad satisfaciendum mihi de meis dubiis vel desideriis meis. Et sic breviter colligere [1] potes quod comparatio ista non est inconveniens; sicut enim animal per motum, vel tremorem pellis qua coopertum est detegit appetitum comedendi vel bibendi, ita Adam primum animal rationale per tremulam scintillationem lucis, qua inclusus erat, manifestabat appetitum loquendi cum autore. — *Indi.* Hic autor ponit responsionem Adæ ad suam petitionem, qui primo as-

[1] E. colligi potest quod.

serit se cognoscere certissime in Deo illud quod autor scire desiderat. Unde dicit: *Indi spirò,* idest, deinde illa anima primaria loquuta fuit sub hac subscripta forma: *io discerno meglio la voglia tua,* idest, desiderium interius tuæ voluntatis, *che tu,* supple, discernas, *qualunque cosa t' è più certa,* sicut te esse mortalem; et dicit: *senza essermi profferta da te,* idest, absque eo quod exprimas mihi ipsam voluntatem tuam. Aliqui tamen volunt quod autor hic inserat nomen suum proprium, ut (¹) legatur sic: *O Dante, io discerno la voglia tua* etc., et forte prima litera est melior; sufficiebat enim quod autor jam se nominaverat semel in fine Purgatorii, et ibi se excusavit dicens: *che di necessità,* etc. sicut et Virgilius dux eius nominavit se semel tantum in opere toto; similiter Horatius: sed in hoc non facio magnam vim. Et assignat rationem suæ cognitionis, dicens: *perch' io la veggio nel verace speglio,* idest, in Deo, in quo omnia vera videntur tamquam in speculo; et dicit: *che fa di sè pareglie l' altre cose,* quia Deus omnia comprehendit et continet in se, et non e converso; unde dicit: *e nulla,* scilicet, res, *face lui pareglio di sè,* idest, et nil comprehendit vel continet eum, quia nulla res est in qua appareat totus Deus tamquam in speculo, sed bene omnia apparent in speculo Dei. — *Tu vuoi.* Hic Adam explicat quæstiones de quibus autor petiturus erat: et primo primam, dicens: *Tu vuoi udir quant' è che Dio mi pose nell' eccelso giardino,* idest, in paradiso terrestri, qui est in cacumine altissimi montis purgatorii, qui pertingit usque ad cœlum; et dicit: *ove costei a così lunga scala ti dispose,* idest, in quo *giardino,* Beatrix disposuit te ad ascensum cœli, sicut plene ostensum est circa finem Purgatorii. Et facit secundam petitionem, dicens; *e quanto,* supple, tempore,

---

(¹) S. et legunt sic.

fu diletto agli occhi miei, idest, quamdiu steti in ipso paradiso deliciarum. Et facit tertiam petitionem, dicens: *e la propria cagion del gran disdegno,* idest, quæ fuit propria culpa, quæ fecit me incurrere justam indignationem æterni judicis qui expulit me a facie sua, et privavit omni gratia et prærogativa, damnans simul mecum tantam futuram posteritatem, quia reus eram maiestatis. Et facit quartam petitionem, dicens: *e l' idioma,* idest, linguagium, *ch' io usai e ch' io fei* etc.

Or, figliuol mio. Ista est quarta et ultima pars generalis [1], in qua Adam respondet singulis quæstionibus propositis: et primo ad tertiam, dicens: *Or, figliuol mio, non il gustar del legno,* idest, non simplex degustatio pomi vetiti, *fu per sè la cagion di tanto esilio,* idest, non fuit causa quare eiectus sum de paradiso terrestri, et relegatus in tam diuturnum exilium. Et assignat veram causam, dicens: *ma solamente il trapassar del segno,* idest, sed simpliciter transgressio præcepti, quia scilicet volui esse Deus sciens bonum et malum, sicut sibi persuasit serpens. Volebat enim Deus quod Adam cognosceret usque ad certum terminum, et non exiret fines mandati; et ipse inobediens transivit terminum sibi assignatum. — *Quindi.* Hic Adam respondet primæ petitioni, scilicet quantum tempus est quo ipse plasmatus manu divina fuit positus in paradiso deliciarum ad custodiam eius. Et primo computat annos quibus stetit in limbo a morte sua usque ad resurrectionem Christi, dicens: *Io desiderai questo concilio,* idest, desideravi venire ad istud cœleste consistorium [2], *quattro mila trecento e duo volumi di sole,* idest, annis; quia singulo anno sol facit revolutionem suam; et dicit: *quindi,* scilicet, in limbo, *onde tua donna mosse Virgilio,* quia Beatrix descendit

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua. (2) E. concilium.

limbum ubi erat Virgilius inter viros illustres, et monuit eum ire in succursum Dantis, sicut positum et expositum est secundo capitulo Inferni. Et subdit computationem annorum vitæ suæ. Vide ergo si anni Adam, Lamech et talium sunt anni solares, secundum Macrobium et Augustinum. Et hic nota quod vixerunt tam diu, et quod loquitur de vero anno, dicens: *e vidi lui*, scilicet, solem, *tornar a tutti i lumi della sua strada*, idest, percurrere omnia duodecim signa zodiaci circuli obliqui, de quo sæpissime dicitur in libro, et proprie Purgatorii capitulo, ubi dicit: *che se la strada lor non fosse torta novecento trenta fiate mentre ch' io fummi in terra*, idest, fui mihi, quod est dicere: et vixi in terra nongentis triginta annis; et sic computatione facta colliguntur anni etc. Et hic nota quod bene Adam tamquam senior interrogatur et respondet de annis mundi. Nota etiam quod hebræi aliter tenent de annis etc. — *La lingua*. Hic Adam respondet quartæ petitioni de idiomate quo usus fuit, dicens: *La lingua ch' io parlai fu tutta spenta*, idest, in totum perdita, *innanzi che la gente di Nembrotte fosse attenta all' opra inconsumabile*, idest interminabili, quasi dicat: ante ædificationem turris Babel, cuius Nembroth gigas fuit autor, ubi facta est divisio linguarum in confusionem superbiæ, sicut patuit in Inferni et Purgatorii canticis. Et assignat causam sui dicti, dicens: *chè nullo effetto razionabile*, idest, hominis rationalis, *fu sempre mai durabile, per lo piacer uman che rinnovella*, idest, renovatur; verba enim renovantur sicut folia arborum, ut ait Horatius in sua poetria, ibi: *multa renascentur* etc.; et dicit: *seguendo il cielo*, quia placita hominum semper sunt in motu, sicuti cœlum, vel descendunt ab influentiis cœli, et illas sequuntur. Et subdit quod a natura homo habet quod loquatur, sed quod aliter et aliter, hoc est ad placitum. Unde dicit: *che uom favella*

è opera naturale, ma natura lascia poi fare a voi secondo che v' abbella, idest, secundum quod placet vobis, sicut quod vocetis panem panem, vinum vinum, et ita de aliis; unde videmus de facto quod orbi in partibus Italiæ fecerunt inter se novum idioma, quo intelligunt se invicem, quod calmonem appellant. — *Pria.* Hic Adam confirmat dictum suum per effectum, dicens: quod Deus habuit diversa nomina secundum diversa tempora: unde dicit: *Il sommo Bene,* idest, Deus, *onde viene la letizia che mi fascia,* idest, a quo summo bono procedit lux læta quæ circumcludit me, *El s' appellava,* idest, in terra, et dicit: *pria ch' io scendessi all' infernal ambascia,* idest, angustiam inferni, quasi dicat: usquequo vixi in mundo. Et dicit: *poi,* scilicet, post primam ætatem meam, *si chiamò Eli. Eli* enim in hebraico est unum de nominibus Dei, et subdit, *e ciò conviene,* idest, oportet talem mutationem esse, *chè,* idest, quia, *l' uso de' mortali è come fronda in ramo,* idest, mutabilis velut folium, *che sen va ed altra viene,* ideo bene debemus uti vocabulis usitatis. Unde Cæsar in analogia: insolens etc. — *Nel monte.* Hic ultimo Adam respondet secundæ petitioni, scilicet quantum stetit in paradiso deliciarum: et breviter et sententialiter non vult aliud dicere nisi quod stetit in illo paradiso sex horis completis, scilicet ab hora prima usque ad sextam; quod spatium assimilat illi termino, qui dividit quartam orientalem a quarta occidentali in nostro hemisperio superiori, quem punctum transit completa hora sexta. Dies enim naturalis qui continet diem et noctem constat ex viginti quatuor horis, et habet quatuor quartas, quarum quælibet habet sex horas. Dicit ergo: *Io fu' nel monte,* scilicet, in paradiso terrestri, qui est in cacumine montis purgatorii; unde dicit: *che si leva più dall' onda,* quia est altior locus terræ, ut sæpe patuit in Purgatorii libro, maxime circa finem; et di-

cit: *con vita pura,* scilicet, sine peccato, *e disonesta,* non intelligas simul et semel, sed postea cum facto peccato discooperta sunt pudenda eorum. Et dicit: *dalla prima ora a quella ch' è seconda,* idest, sequitur; *come 'l sol muta quadra all' ora sesta,* idest, cum mutat primam quartam quæ habet sex horas, scilicet quando incipit septima.

CANTUS VIGESIMUS SEPTIMUS, *in quo introducit sanctum Petrum loquentem contra pastores ecclesiæ; et descriptio nonæ speræ.*

AL *padre, al figlio, allo spirito santo.* Postquam in superioribus tribus capitulis autor noster introduxit tres apostolos qui examinaverunt ipsum de triplici virtute theologica: nunc consequenter in isto XXVII capitulo introducit primum apostolum Petrum, qui invehit contra successores eius, et ostendit quomodo ipse autor respiciens terram raptus fuerit de octava spera ad primum mobile. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor describit invectivam Petri prædictam contra prælatos. In secunda describit ascensionem totius exercitus triumphalis ad cœlum empyreum, et reflexionem sui visus ad terram, ibi: *Sì come di vapori.* In tertia ostendit quomodo intraverit (1) cum Beatrice in nonam speram, ibi: *La mente innamorata.* In quarta et ultima exclamat contra cupiditatem mundanam, ibi: *O cupidigia.* Ad primum ergo dico quod autor describit invectivam Petri contra successores suos; sed antequam hoc faciat, continuans se ad præcedentia, ostendit quomodo illa tota congregatio sanctorum cœpit reddere laudem et gratiam Trinitati, propter tractatum factum de triplici virtute, cum tanta dulcedine cantus quod replebat totum animum eius. Dicit ergo: *Tutto il paradiso,* idest, tota illa turba beatorum, quæ ostendebatur ibi in illa octava spera in diversis ordinibus, *cominciò,* supple, canere, *gloria al*

---

(1) E. intravit cum Beatrice in nona spera, ibi.

padre, al figlio e allo spirito santo; et dicit: *sì che il dolce canto m' inebriava;* ebriebatur siquidem autor per visum tanto clarore, et per auditum tanto dulcore; unde exprimit suam duplicem ebrietatem, dicens: *ciò ch' io vedeva mi sembrava un riso dell' universo;* hic enim erant aggregati in unum omnes effectus sperarum, planetarum, scilicet, virtutes omnium beatorum continentium hic; unde dicit: *perchè mia ebbrezza entrava per l' udire e per lo viso,* quia non eram capax tantæ claritatis et dulcedinis. — *O gioia!* Hic autor extollens illam beatitudinem desideranter exclamat, dicens: *O gioia!* idest dico rem pretiosam ad differentiam felicitatis mundanæ quæ vilis est, *o ineffabile allegrezza!* idest, incomprehensibilis lætitia ad differentiam mundanæ, quæ brevis est et parva; *o vita intera d' amore e di pace!* idest, perfecta per omnes suas partes ad differentiam vitæ mortalis, quæ est defectiva, diminuta, in odio et bello; *o sicura ricchezza senza brama!* ad differentiam mundanæ opulentiæ, quæ est cum timore et indigentia, ut sæpe dictum est. — *Dinanzi.* Hic autor, præmisso festo beatorum, introducit Petrum primum apostolorum, et describit eius alterationem per unam nobilem comparationem. Dicit ergo continuans se ad præcedentia: *Le quattro face,* idest, quatuor luminaria ardentia, scilicet Petrus, Jacobus, Johannes et Adam, *stavano accese,* separatæ ab aliis, *dinanzi agli occhi miei,* scilicet, intellectualibus; et dicit: *e quella che pria venne,* scilicet, Petrus, *incominciò a farsi più vivace,* idest, cœpit magis accendi. Et subdit eius erubescentiam per comparationem, dicens: *e divenne tal nella sua sembianza,* idest, effectus est tam rubescens in apparentia, *qual diverrebbe Giove, s' egli e Marte fossero augelli e cambiassersi penne;* nam stella Jovis est coloris argenti, et Martis coloris ignei. Et hic nota quod est comparatio propria ab apostolo ad Jovem, qui

mutatur in Martem, quia erubuit verecundia prælatorum narraturus turpitudines eorum; vel quia ex benigno factus est iracundus, sicut Jupiter facit benignos et Mars iracundos. — *La provvidenza.* Hic autor ponit orationem Petri contra prælatos; et primo ostendit quomodo facto silentio ex omni parte Petrus assignavit causam suæ alterationis et ruboris, dicens: *La provvidenza,* scilicet Dei, *che comparte quivi vice et officio,* quia juste distribuit unicuique quid convenit, cui convenit, et quando, *avea posto silenzio nel beato coro da ogni parte,* quia scilicet quietaverat cantum illarum animarum ubique, ut daret locum loquendi ipsi Petro, *quand' io udi',* scilicet Petrum dicere mihi: *non ti maravigliar se io mi trascoloro,* idest, muto colorem de claro in turbulentum, quia non sum solus; unde dicit: *chè vedrai tutti costoro,* idest, omnes beatos istius curiæ, *trascolorar, dicendo io,* idest, me loquente de pastoribus vestræ inferioris curiæ. — *Quegli.* Hic incipit Petrus suam invectivam, dicens: *Quegli,* scilicet, Bonifacius VIII, *che usurpa il loco mio in terra,* idest, iniuste tenet et occupat papatum; et replicat in signum maioris indignationis, *il loco mio, il loco mio;* et dicit: *che vaca nella presenza del Figliuol di Dio,* scilicet, Christi, qui fuit primus papa, quantum ad veritatem hoc dicit quia eius electio non fuit justa, sed dolosa, *ha fatto cloaca del cimiterio mio,* idest, de Vaticano, ubi sepultum est corpus Petri, idest, fecit receptaculum sordidum de ecclesia sancta Dei; unde dicit: *del sangue e della puzza,* quia vir sanguinum est, et gerit bellum cum christianis, et simoniam committit, ex quibus litatur et fit sacrificium diabolo; unde dicit: *onde il perverso,* qui perfide factus est rebellis Factori suo, *che cadde di quassù,* scilicet, de cœlo in centrum terræ, *si placa laggiù,* idest, colitur ibi in terra. — *Di quel.* Hic autor describit alterationem et transcolorationem cœli ad verba Petri,

per unam comparationem communem et claram; et dicit breviter, quod vidit totum illud cœlum fieri rubicundum, sicut nostrum apparet in oriente, vel occasu solis. Dicit ergo: *Vid' io,* sicut prædixerat mihi Petrus, *allora tutto 'l ciel,* idest, totam illam curiam cœlestem, *cosperso,* idest, maculatum, *di quel colore,* scilicet rubeo, *che nube dipinge per lo sole avverso,* quia ille rubor causatur radiis solaribus reverberantibus in vapores, *da sera e da mane,* quando scilicet sol occidit et oritur. — *E come.* Hic autor describit mutationem coloris Beatricis per unam egregiam et pulcram comparationem. Et breviter dicit, quod Beatrix facta est rubea præ verecundia, sicut pulcra et alba domina efficitur sæpe rubea præ verecundia. Dicit ergo: *E Beatrice trasmutò sembianza,* scilicet, conspersa rubore, *così come donna onesta che permane,* idest, stat, *sicura di sè,* idest, non curans sibi de se, quia non est sibi conscia alicuius culpæ; et dicit: *e pur si fane timida ascoltando per l'altrui fallanza,* quia verecundatur de alieno fallo, non de suo. Et nota quomodo comparatio est propriissima de Beatrice ad dominam pulcram et honestam: sicut enim aliquando talis domina verecundatur non de suo defectu, sed audiens narrari (¹) defectum alterius mulieris ab alio; ita nunc Beatrix erubuit non de suo fallo, sed fallo pastoris, quo audiverat narrari a Petro. Et subdit obscurationem factam in cœlo per pulcerrimam comparationem quæ omni christiano debet esse nota, dicens: *e tal eclissi credo che in cielo fue,* scilicet, solis et aliorum siderum, *quando patì la suprema possanza,* idest, in passione Christi (²). Et hic nota quod autor merito fingit talem obscurationem, quia de rei veritate prava vita prælatorum cedit ad (³) verecundiam et fœdationem fidei catholicæ,

(¹) S. narrare.
(²) E. Domini nostri Jesu Christi.
(³) S. in verecundiam.

quia minus honoratur et appretiatur. — *Poi.* Hic autor revertitur ad narrationem Petri, et ostendit mutationem vocis non minorem mutatione coloris, dicens: *Poi le parole sue procedetter con voce tanto transmutata da sè,* scilicet, ab ipsa voce prima, quia vox eius facta est rauca et acerba exclamatione [1], *che la sembianza,* idest, color, *non si mutò piue,* scilicet, quam vox. — *Non fu.* Hic ponit specialiter verba Petri, qui primo deplorat quod ecclesia Dei murata [2] sanguine suo et aliorum sanctorum pontificum sit facta venalis more meretricio prostituta, dicens: *La sposa di Cristo,* scilicet, ecclesia, *non fu allevata,* idest, aucta ab initio, *del sangue mio, di Lino;* hic fuit papa secundus etc., *di quel di Cleto;* hic fuit papa tertius, *per esser usata ad acquisto d' oro,* sed ad vitam æternam acquirendam, et thesaurizandum in cœlis; unde dicit: *ma per acquisto d' esto viver lieto;* et subdit: *e Sisto, e Pio, Calisto e Urbano:* omnes isti fuerunt papæ hoc ordine mediante: Sixtus enim fuit etc., et ita de aliis; *sparser lo sangue dopo molto fleto,* quia prius multum fleverunt persequutionem christianorum, et ultimo ipsi martyrio mactati sunt. Sixtus quidem etc. — *Non fu.* Hic Petrus conqueritur de partialitate quam iniuste fovent pastores ecclesiæ, dicens: *Non fu nostra intenzion che parte del popolo cristiano,* quæ dicitur guelpha, *sedesse a destra mano de' nostri successori,* quasi dicat, reciperet honorem vel favorem a prælatis; et e contra, *parte,* scilicet, alia partialitas quæ dicitur ghibellina, *dall' altra,* supple, sederet a manu sinistra, idest reciperet odium et iram. Et hic vide, quod hodie omnis pars est facta infesta ecclesiæ, culpa malorum pastorum, quorum insatiata cupiditas avaritiam et rapacitatem ubique

---

(1) S. ex exclamatione.

(2) Così legge il nostro testo; l' Estense invece ha: *mutata* (sic) forse *nutrita*.

exercebat, et potissime Florentia guelphissima civitas omnis rebellionis fuit autor, et ultimo Bononia sequuta est. — *Nè che.* Hic Petrus dolet quod pastores aliquando faciunt iniusta bella, dicens: *Nè che le chiavi che mi fur concesse,* idest, et non fuit nostra intentio quod claves datæ mihi ad aperiendum regnum cœlorum, *divenisser segnaculo,* idest, efficerentur armatura vel insignium, *in vessillo,* idest, banderia vel signo; et dicit: *che combattesse contra i battezzati.* Et hic nota quod hoc totum intelligit autor de pravis pastoribus, qui iniuste suscipiunt bella contra christianos, sicut Bonifacius, qui tunc sedebat, fecit contra Colonnenses; et Nichola [1] de Ursinis, qui iniuste dedit operam quod Sicilia rebellaret Carolo, quæ tamen fuerat sibi concessa per ecclesiam. Unde non debes intelligere quod ecclesia non possit juste arma tractare et bella gerere, quia contrarium est, ut concedit Augustinus, Gregorius et multi; ideo autor excusatur, quia ex caritate facit, ut alii sibi caveant a talibus; sed certe in tantum sunt vitia familiaria hodie prælatis, quod non erubescunt, sed rident cum ista narrantur de ipsis. — *In vesta.* Hic Petrus ampliat suam querelam, et dicit, quod non solum istud àccidit in pastore principali ecclesiæ, sed fere ubique reperiuntur tales. Dicit ergo: *Lupi rapaci,* scilicet, vorantes gregem Domini, *si veggion in vesta di pastori,* idest, in habitu pastorali. Et ex hoc convertit se versus justitiam divinam, dicens: *o difesa di Dio perchè pur giaci!* quasi dicat: o vindicta Dei, cur tantum dormis? cur non excitas iram tuam contra istos? — *Del sangue.* Hic Petrus prædicit duos pastores futuros gallicos qui fuerunt summe rapaces, scilicet Johannem XXII et Clementem IV; unde *Caorsini,* quia Johannes fuit de Caturgio civitate Galliæ, in qua sunt generaliter

---

(1) 4, **Nicolaus de Ursinis.**

omnes usurarii, sicut expositum (1) est in Inferno: et in hoc notat eum infamia cupiditatis avaræ; iste enim vocavit suos ad summa beneficia et ditavit; *e Guaschi,* quia Clemens IV fuit de Vasconia, et in hoc notat eum infamia rapacitatis; nam Vascones in partibus Galliæ vulgariter dicuntur habere caudam lupinam propter rapacitatem, juxta illud: *Anglicus anguinam caudam fert, Vasco lupinam.* De isto Clemente dictum est in Inferno et alibi sæpe; *s' apparecchian di ber del sangue nostro,* idest, sorbere et sugere de acquisitione facta laboriose cum sanguine ipsius Petri, Lini, Cleti, Sixti, Pii, Calisti et Urbani et aliorum multorum sanctorum pontificum, et etiam apostolorum et martyrum. Et ex hoc Petrus indignans prorumpit in unam exclamationem, dicens: *O buon principio,* scilicet, sedis apostolicæ, *a che vil fine convien che tu caschi!* quasi dicat: ad vilissimum et miserabilem, cum jam incideris in manus talium. — *Ma l' alta.* Hic Petrus facit suam deprecationem ad Deum, ut cito mittat illum qui exterminaturus est avaritiam prælatorum. Et breviter rogat quod providentia divina quæ defendit Romam ab Hannibale et aliis barbaris mediante virtute et potentia Scipionis, nunc defendat ecclesiam romanam ab istis barbaris avaris mediante virtute principis romani futuri, de quo diffuse dictum est primo capitulo Inferni; et hoc tacite replicat hic autor. Ad literam ergo dicit autor: *Ma l' alta provvidenza,* scilicet, divina, *che difese la gloria del mondo,* idest (2), maiestatem, vel culmen imperii, *a Roma,* scilicet, contra Hannibalem et suos, *con Scipio,* idest, prudentia et probitate magni Scipionis Africani, qui providentia sua retraxit Hannibalem de possessione Italiæ, et feliciter illum debellavit in Africa, sicut scriptum est Inferni capi-

(1) E. e S. exposui in Inferno.
(2) E. idest imperium, vel maiestatem, vel culmen imperii.

tulo: unde Augustinus de Civitate Dei, Scipio ille etc., *soccorrà tosto,* scilicet, mittendo veltrum, et dicit: *sì com' io concipio,* idest, comprehendo, ex dispositione cœli, ut autor expresse dicit Purgatorii finali capitulo, ubi dicit: *ch' io veggio* etc. — *E tu.* Hic Petrus reflectit sermonem suum ad autorem, et imponit sibi quod referat in terra quæ vidit in cœlo de pastoribus ecclesiæ, dicens: *E tu figliuol, che tornerai ancor giù,* scilicet, ad mortalem mundum, *per lo mortal pondo,* idest, propter corpus corruptibile, *apri la bocca, e non asconder quel ch' io non ascondo,* quasi dicat: et propala ibi in terra id quod manifesto hic in cœlo.

Sì come. Ista est secunda pars generalis [1], in qua autor describit ascensionem illius exercitus triumphalis ad cœlum supremum, et reflexionem sui visus ad terram. Et primo describit recessum illorum beatorum per unam comparationem a contrario; et breviter vult dicere, quod sicut tempore hyemali quando ningit vellera nivis cadunt deorsum; ita a simili ipsi beati ascendebant sursum. Construe sic literam, et expone: *Vid' io l' etere,* idest, regionem æthercam cœli, *farsi così adorno, e fioccare in su,* idest, et emittere [2] spiritus tamquam vellera nivis sursum; unde dicit: *di vapori trionfanti,* idest, illorum spirituum triumphalium; et dicit: *ch' avean fatto soggiorno con noi quivi,* idest, qui remanserant, et moram traxerant nobiscum ibi in octava spera, quando Christus et Maria recesserant. Et hoc vidi: *sì come l' aer nostro fiocca in giuso,* scilicet, versus terram, *di vapori gelati,* idest, ex vaporibus aqueis congelatis in media regione aeris et conversis in nivem, sicut tangitur Purgatorii capitulo; et hoc facit: *quando il corno della capra del cielo si tocca col sole,* quod est dicere, quando

(1) E. generalis huius capituli, in qua.

(2) E. e S. mittere.

sol est in capricorno, sicut a medietate mensis decembris usque ad medietatem mensis januarii, secundum vulgus. Et hic nota quod comparatio ista est satis propria ad exprimendum ascensum istorum, quia sicut vapores albi et leves descendunt deorsum lente et plane in multitudine copiosa; ita isti spiritus puri et leves ascendebant sursum honeste et modeste in turba numerosa. — *Lo viso.* Hic autor ostendit quomodo sequutus fuit illos cum oculo usquequo distantia localis removit eos ab eius conspectu; unde dicit: *Lo viso mio seguiva i suoi sembianti,* idest, actus illorum recedentium; et dicit: *e seguio, finchè 'l mezzo,* scilicet, spatium, *gli tolse il trapassar del più avanti,* idest, abstulit ipsi visui meo posse transire ulterius sequendo eos, *per lo molto,* idest, propter magnam distantiam. — *Onde.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix persuaserit sibi ut reflecteret suum visum deorsum, dicens: *Onde la donna,* scilicet, Beatrix, *che mi vide asciolto dell' attendere in su,* quia scilicet visus meus non poterat amplius videre illos tendentes sursum, tantum erant remoti, *mi disse: adima il viso,* idest, inclina deorsum, quia satis respexisti sursum, *e guarda come tu se' volto,* quia cœlum continuo volvitur. — *Dall' ora.* Hic autor ostendit quomodo viderit se revolutum cum cœlo, dicens: *Io vidi mosso me per tutto l' arco,* idest, quartam partem circuli; et dicit: *che,* idest, quem arcum, *fa il primo clima dal mezzo al fine,* idest, a meridie usque ad occidentem, ita quod elapserant sex horæ diei, *dall' ora ch' io avea guardato,* scilicet, deorsum, *prima,* scilicet, cum primum fui in ipsa spera octava, et respexi prima vice in signo geminorum, sicut est scriptum supra capitulo XXII huius Paradisi, ubi dixit: *col viso ritornai* etc. Et hic nota quod astrologi distinguunt septem climata etc. Et nota quod autor non vult aliud dicere sententialiter in effectu, nisi

quod videbat totum illud spatium terræ, quod est ubi dies est maior tredecim horis, usquequo est duodecim horarum et quarta pars unius; et ideo subdit: *sì che io vedea di là da Gade,* ubi sunt columnæ Herculis, idest, ultra hemisperium occidentale, *il folle varco di Ulisse,* quod ipse autor finxit Inferni capitulo XXVI; et dicit: *e di qua presso,* supple videbam, *il lito,* sydoniæ regionis, quod est in Syria, ubi Jupiter rapuit Europam virginem; unde dicit: *nel qual,* scilicet, litore sydonio, *Europa si fece dolce carco,* scilicet, Jovis, qui asportavit eam onus leve et suave sibi. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod, sicut fingit Ovidius libro Metamorphoseos, Agenor fuit rex phœniciæ regionis, cuius filia fuit Europa etc., tandem mandavit tribus filiis, ut quærerent eam etc. Veritas est quod Jupiter rex Cretæ rapuit Europam, cum navi habente signum tauri, vel ascendente tauro etc. Et tu hic obiicies: qualia sunt ista ridiculosa, ne dicam obscena, quæ poetæ scripserunt, fingentes flagitia deorum, adulteria, furta, et cætera turpia? respondebo tibi, quod negari non potest, quin poetæ finxerunt multa vana et inhonesta, sed tamen ex hoc poetria nobilissima non culpanda; culpandi potius sunt poetæ in talibus. Homines enim fuerunt, et non solum homines sed pagani: sic magnos theologos, magnos hæreticos vidimus et magnos morales cum pessimis moribus. Sicut enim ista consequentia non valet; Origenes magnus theologus fuit magnus hæreticus, ergo theologia mala scientia est; ita non valet ista: Valerius Martialis poeta dicit multa spurcissima et obscena; ergo poetria pessima scientia est; culpa est non artium, sed artium male utentium. Ex hoc non derogabit Valerius Martialis Marciano Capellæ, et ita de aliis. — *E più.* Hic autor ostendit quare non poterat videre plus de situ terræ, dicens: *il sito di questa aiuola,* idest, terræ, quam autor

vocat areolam, idest, parvam aream sicut scriptum est supra capitulo, ubi dixit: *l'aiuola che ci fa tanto superbi* etc. *mi fora più discoperto,* scilicet, versus orientem, sed sol impediebat quia recesserat uno signo et plus, scilicet a me, vel ab oriente; unde dicit: *ma il sol procedea sotto i miei piedi partito un segno e più,* quia sol de mane erat in ariete et ipse in signo geminorum: et loquitur de residuo orientis quod habebat discurrere.

La mente innamorata. Ista est tertia pars generalis, in qua autor describit suum ascensum ad speram nonam; et primo describit suam affectionem erga Beatricem, dicens: *La mente,* scilicet mea, *innamorata,* scilicet, de Beatrice; unde dicit: *che donnea,* idest, dominatur, *con la mia donna sempre, ardea più che mai,* idest, ardentius desiderabat, *di ridur gli occhi ad essa;* solet enim autor convertere visum ad Beatricem quando vult ingredi novam materiam; ideo dicit, quod nunc optabat plus quam unquam optaverit, hucusque intelligas, quia continuo crescit eius amor et desiderium, donec pervenerit ad finem omnium, in quo omnia [1] desideria quietantur. — *E se natura.* Hic autor ostendit qualem viderit ipsam Beatricem, et describit eius excellentissimam pulcritudinem per comparationem pulcritudinis formarum pulcerrimarum naturalium et artificialium, dicens comparatione non esse dignam. Dicit ergo: *E se natura o arte fe pasture,* idest, pulcritudines, *in carne umana,* sicut in muliere vivente, *o nelle sue pitture,* sicut in muliere picta vel sculpta; et dicit: *da pigliar occhi per aver la mente,* quia amor transit per oculos ad animam; unde Salomon: mulier autem viri pretiosam animam capit. Et nota quod autor bene facit comparationem primo de forma naturali, secundo artificiali, quia natura mulieris

---

(1) E. omnium.

plus cæteris allicit visum et animum. Unde Aristoteles dicit de Helena primo Ethicorum, quod senes etc. Et artificialis etiam aliquando delectat in tantum quod, sicut scribit Valerius, inventus est homo, qui captus est forma Veneris sculptæ (1), et illam cognovit. Dicit ergo: *tutte adunate,* idest, omnes dictæ pasturæ tam naturales quam artificiales reductæ in unum, *parrebber niente vèr lo piacer divino,* idest, respectu placibilitatis illius divinæ mulieris, *che mi rifulse,* idest, qui resplenduit in faciem meam, *quando mi volsi al suo viso ridente,* idest, lætum et jocundum. — *E la virtù.* Hic autor ostendit quomodo virtute Beatricis ipse ascenderit ad nonam speram, dicens: *E la virtù che lo sguardo m' indulse,* idest, quam ridens aspectus Beatricis dedit mihi, *mi divelse,* idest, extraxit, *del bel nido di Leda,* idest, de pulcro signo geminorum; nam Castor et Pollux filii Jovis nati ex Leda matre Helenæ finguntur translati in signum geminorum, sicut alibi expositum est in Purgatorii cantica, ubi dicit: *se Castore e Polluce* etc. Et dicit: *m' impulse,* in hoc notat vim et efficaciam virtutis, *nel ciel velocissimo,* idest, in primum mobile. — *Le parti.* Hic autor describit formam ipsius nonæ speræ excusans se si non refert per quam partem eius intraverit, dicens: *Le parti sue vivissime,* idest, divinissimæ, *ed eccelse,* idest, altæ quia est super omnes speras, *son sì uniformi,* quia tota virtus omnium sperarum inferiorum est unita in ista nona spera, *ch' io non so dire,* idest, non possum describere, *per qual luogo Beatrice mi scelse,* idest, selegit me ducendum. — *Ma ella.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix manifestaverit sibi naturam et virtutem huius speræ, dicens: *Ma ella che vedeva il mio disire,* quia scilicet desiderabam aliquid scire de conditione istius primi mo-

---

(1) E. insculptæ.

bilis, *incominciò,* supple, dicere, et dicit: *ridendo, tanto lieta, che Dio parea nel suo volto gioire;* et bene dicit, quia erat amodo propinqua Deo. Et ecce quid primo dixit: *La natura del mondo,* idest, totius universi, *che quieta il mezzo,* idest, terram, quæ est suum centrum, cuius sola spera est immobilis; et dicit: *e muove tutto l' altro intorno,* idest, omnes alias speras tam cœlestes quam elementares, quæ sunt continuo mobiles, *comincia quinci,* idest, incipit motum suum ab isto primo mobili, *come da sua meta,* idest, tamquam a suo termino vel principio. — *E questo.* Hic Beatrix ostendit excellentiam huius cœli, quia a nullo dependet nisi a solo Deo immediate, et cæteræ speræ dependent ab eo; unde dicit: *E questo ciel non ha altro dove,* idest, ubi, quia non est in loco, *che la mente divina,* quia fundatur in sola mente divina; et dicit: *in che,* idest, in qua mente, *s' accende l' amor che 'l volge,* idest, intelligentia quæ movet ipsum, *e la virtù ch' ei piove,* et similiter virtus quam pluit, idest, mittit ad alias speras inferiores. Unde nota quod secundum ordinem naturalem elementa sunt subdita speris planetarum, et speræ planetarum octavæ speræ, et octava nonæ; ita quod totum istud mundanum conceptum est subditum nonæ speræ; et ipsa nona spera est subdita divinæ menti, et ab ipsa recepit (1) tantam illam virtutem quam habet in ista inferiora. — *Luce.* Hic Beatrix ostendit quomodo nullum corpus claudit, vel continet istud cœlum, quia solum cœlum empyreum, quod totum lux et amor Dei claudit ipsum. Unde dicit: *Luce et amor,* idest, cœlum empyreum, *comprende lui,* idest, istud cœlum primum, *d' un cerchio,* idest, in modum circuli, *sì come questo gli altri,* idest, sicut istud cœlum nonum comprehendit omnes cœlos contentos

(1) E. recipit totam illam.

sub eo. Et dicit: *colui che 'l cinge,* scilicet, Deus, *solamente intende quel precinto,* scilicet, dictum cœlum empyreum. Et hic nota diffinitionem cœli empyrei. — *Non è.* Hic Beatrix dicit quod motus nonæ speræ est mensura omnium aliorum motuum; unde dicit: *Suo moto,* idest, motus primi mobilis, *non è distinto per altro,* idest, ab alio motu, *ma gli altri,* scilicet, motus e converso, *son mensurati da questo,* scilicet, motu, idest, proportionati æqualiter in partibus totius temporis vel anni. Et probat a simili, *sì come diece da mezzo e da cinque,* idest, sicut numerus denarius mensuratur et proportionatur a numero quinario, ita motus planetarum mensuratur per unam revolutionem, et hæc est unius diei, per triginta revolutiones, et hæc est unius mensis. Et ideo subdit: *e omai può esser manifesto a te,* scilicet, ex dictis, *come 'l tempo,* idest, motus, *tegna le sue radici in cotal testo,* scilicet, in primo mobili, *e le fronde negli altri,* idest, si motus nonæ speræ est mensura aliorum, ut dictum est, ipse est radix temporis, cum nihil aliud sit tempus, nisi numerus motus, sicut dicit philosophus libro Physicorum; et si radix est in ipso, ergo suæ partes extenduntur per motus aliorum cœlorum; et hoc est quod ipse appellat frondes. Nam primum mobile facit totam revolutionem in viginti quatuor horis, et ideo dat radicaliter horas, dies, menses et annos, quæ postea distinguuntur per solem etc.

O cupidigia. Ista est quarta et ultima pars generalis [1], in qua Petrus sumpta occasione ex prædictis exclamat contra cupiditatem, generale malum, quæ mergit mentes mortalium ita in affectione terrenorum, quod non possunt erigere oculos ad istam mirabilem regionem cœli dispositissime ordinatam. Unde Petrus iratus

---

(1) E. generalis huius capituli, in qua.

indignanter et dolenter exclamat, dicens: *O cupidigia che affonde i mortali,* idest, quæ mergis homines, *sì sotto te,* tenes eos ligatos sub jugo tuæ potestatis, *che nessuno ha podere,* idest, pauci habent facultatem et potentiam, *di trarre gli occhi,* idest, rationem et intellectum ita affundatos, *fuor delle tue onde!* idest, extra tuas illecebras. — *Ben fiorisce.* Hic autor ostendit quomodo homines qui videntur in pueritia boni faciliter depravantur per unam comparationem naturalem et propriam, quæ stat in hoc: Nos videmus de facto quod pruni in vere adducunt multos flores qui producerent multa pruna bona nisi corrumperentur a pluvia continua, quæ convertit pruna vera in pruna imperfecta plena vermibus (1), quæ postea damnificant et rodunt non solum frondes, sed etiam totum novellum (2) rami; ita a simili homines in prima ætate florenti ostendunt innocentiam, puritatem, verecundiam, honestatem, et convertunt in malitiam, immunditiam, lasciviam, luxuriam, petulantiam; et paullatim crescens inficit et polluit animam et corpus, et infert maiora damna (3) homini, scilicet, atrociora scelera et facinora, sicut prædam, usuram, fraudem, proditionem, et singula mala quæ descripta sunt distincte in libro primo Inferni. Nunc ergo perpendere potes quam subtilis sit ista comparatio, quæ forsan prima facie rudis videbatur. Nunc vide literam: *Il volere,* idest, bona voluntas, *ben fiorisce negli uomini,* sed non venit ad fructum, ut statim dicit; *ma la pioggia continua converte le susine vere,* idest pruna, quæ per se videbantur vera perventura ad maturitatem et perfectum fructum, *in bozzacchioni,* idest, in pruna destructa a pluvia, quæ sic vocantur in Tuscia. Et declarans quod dixit, subdit: *fede et innocenza son reperte,* idest inventæ, *solo nei parvoletti,* idest, in pueris; et

---

(1) E. verminibus. (2) E. novellæ.
(3) S. damna hominum homini.

dicit: *e poi ciascuna,* idest, paullo post, tam fides quam innocentia, *fugge pria che le guance sien coperte,* a barba, quia scilicet antequam pullulent pili in facie jam aruerunt illa bona initia, et pullulaverunt vitia loco eorum. — *Tal.* Hic Petrus confirmat suum dictum generale per effectus particulares, dicens primo: *Tal balbuziendo ancor,* idest, aliquis parvulus infans, qui nondum scit articulate loqui, *digiuna,* quando non tenetur et non obligatur, *che poi divora qualunque cibo,* scilicet licitum et illicitum, *per qualunque luna,* idest, quocumque tempore, quasi dicat, qui postea comedit carnes in quadragesima et vigiliis præceptis; et dicit: *con la lingua sciolta,* idest, cum pervenerit ad talem ætatem quod eius loquela sit distincta et expedita. Et subdit alium effectum, dicens: *e tal,* idest, aliquis, immo verius quilibet, *balbuziendo,* in infantia, nam dicitur infans quasi fari non valens, *ama ed ascolta la madre sua, che disia poi di vederla sepolta,* quia scilicet optat suam mortem accelerari, immo sæpe verberat ipsam. — *Così.* Hic Petrus ex dictis concludit, quod homines in mundo non sunt boni, neque vivunt innocenter nisi per totum tempus puritatis (1) et pueritiæ. Et litera ista quæ multis obscura videtur potest intelligi et exponi primo materialiter sic: *Così,* idest, isto modo prædicto, *la pelle bianca,* idest, pellis pueri quæ est primo alba; unde dicit, *della bella figlia,* idest, naturæ humanæ quæ est filia solis (2), *si fa nera,* idest, efficitur nigra, *nel primo aspetto di quel,* scilicet, solis, *che apporta mane,* scilicet, cum oritur super nos, *e lascia sera,* idest, cum occidit et recedit a nobis; quasi dicat: cum primo puer incipit ire ad solem pellis eius alba cito denigratur in brevi. Et potest exponi moraliter sic: *la pelle bianca,* idest, puritas et innocentia, *della bella*

(1) E. puritatis et innocentiæ, aliter pueritiæ. (2) S. hominis.

figlia, idest, humanæ creaturæ, *di quel che apporta mane, e lascia sera,* scilicet solis, solis dico justitiæ, scilicet Dei, qui affert mane, idest, lucem gratiæ, et dimittit sero, idest, remittit tenebrositatem peccati, *si fa nera,* idest, fœda et turpis inquinatione peccati, *nel primo aspetto,* idest, in prima ætate. Alii tamen exponunt aliter retorquentes istud dictum ad prælatos, de quorum cupiditate dixit supra; et dicunt quod pellis pulcræ filiæ solis, idest ecclesiæ, quæ est filia Dei, efficitur ex alba nigra, idest ex pura et virtuosa, obscura et vitiosa. Sed licet ista expositio (1) videatur subtilis, tamen non habet locum hic; quia, ut patet ex dictis, autor exclamat contra generalem cupiditatem hominum, cuius est causa cupiditas particularis prælatorum, ut statim sequitur: et præterea ecclesia Dei non tam cito mutata est ex bona in prava; ideo concludit generaliter, sicut expositum est. — *Tu.* Hic Petrus ostendit autori quæ (2) sit potissima causa cupiditatis et depravationis vitæ hominum; et dicit quod est culpa pastoris, sicut alibi sæpe dixit. Dicit ergo excludens admirationem autoris: *Tu, perchè non ti facci maraviglia,* scilicet, quare omnes sunt ita dediti cupiditati generaliter, *pensa che in terra non è chi governi,* scilicet, nec temporale nec spirituale, quia Bonifacius usurpat utramque potestatem, ut jam sæpe dictum est: ex quo sequitur quod gens humana deviat a via recta, quæ ducit ad cœlum, et discurrit per devia vitiorum, quæ ducunt ad mortem. Dicunt enim multi et arguunt: videmus quod prælati sunt summe cupidi, qui non sentiunt angustiam rei familiaris, cum non habeant uxorem neque filios, et si habent, non audent dicere quod sui sint; ergo quanto magis homines impliciti curis sæcularibus et multis incommodis? — *Ma prima.* Hic Petrus

---

(1) E. comparatio. (2) E. quid sit.

prædicit vindictam cito futuram a cœlo; et breviter et sententialiter vult dicere, quod fiet reformatio mundi antequam mensis januarii in totum exeat tempus hyemis. Ad cuius dicti intelligentiam est prænotandum quod secundum computistas annus habet trecentos sexaginta quinque dies et horas sex, minus centesima pars unius diei secundum subtiliorem considerationem; quæ centesima pars in singulis centum annis producit et facit unam diem; et ideo dicit autor quod priusquam januarius exeat de quarta hyemali, quæ incipit in medio decembris, cum sol est principio capricorni, et desinit in fine piscium, scilicet, in medietate martii, quod erit post transitum quatuor millium quingentorum annorum, reformabitur mundus. Nunc descendo ad literam, quam ordina et construe sic: *Ma questi cerchi superni,* idest, istæ speræ cœlestes, *ruggeran sì che la fortuna,* scilicet, prospera, *che tanto s' aspetta,* idest, adventus veltri, qui debet extirpare cupiditatem de mundo, qui multum expectatur et desideratur; unde autor desideranter exclamat ad cœlum per (1) adventum istius in Purgatorii cantica, ubi dicit: *O cielo* etc., *volgerà le poppe u' son le prore,* idest, mutabit gubernacula mundi per contrarium præsentis cursus, quia sicut nunc est in vitiis, ita dirigetur in virtuosum finem. Unde dicit: *sì che la classe correrà diretta,* idest, navigium quod nunc ruit oblique per scopulos vitiorum, diriget tunc cursum suum recte ad portum virtutis et salutis. Et notanter dicit, *classe,* quia classis continet plures naves; et ita utrumque regimen et sacerdotium et imperium; et etiam alia regna mundi bene dirigentur. Et dicit: *e vero frutto verrà di po' il fiore.* Hoc respicit id quod dictum est supra, quod (2) voluntas floret in hominibus, sed non venit ad fructum:

---

(1) S. e E. pro adventu. (2) E. scilicet quod.

vult enim dicere quod cessante avaritia prælatorum, quæ depravat bonam voluntatem hominum in se, sequitur fructus veræ virtutis. Et hoc dico erit, *prima che gennaio tutto si sverni,* idest, in totum ponatur extra hyemem, *per la centesma che è laggiù negletta.* Et hic nota quod ista centesima non est omissa ex ignorantia, sed data opera; nam qui fecit calendarium sponte omisit ad tollendam confusionem etc. Sed hic oritur dubitatio quod autor videtur contradicere sibi ipsi ponens tam longum spatium annorum, cum tamen dixerit finali capitulo Purgatorii hoc futurum in brevi, ubi dicit: *ch' io veggio certamente* etc. Dicendum breviter quod est usitatissimus modus loquendi, nam tota die sæpe dicimus: antequam transeant mille anni vel decem millia annorum ego faciam vindictam de tali; et tamen per istum numerum magnum ego intelligo et do aliis intelligi valde parvum; et sic tollitur dubitatio etc.

CANTUS VIGESIMUS OCTAVUS, *in quo distinguitur ordines angelorum, ubi movetur et dissolvitur una quæstio.*

Poscia che 'ncontro alla vita presente. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit nonam speram, nunc consequenter in isto XXVIII capitulo describit ordines angelorum qui ostenduntur sibi in nona spera. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales; in quarum prima in generali describit principium, virtutem et ordinem angelorum productorum ex mente divina. In secunda movet unam quæstionem, et solvit circa ordinationem angelicæ naturæ, ibi: *La donna mia.* In tertia et ultima distinguit singulariter, et nominatim dictos ordines, ibi: *E poi che le parole.* Ad primum ergo dico quod in prima parte autor describit in generali principium, virtutem et ordinem angelorum. Et primo continuans dicta dicendis describit apparitionem Dei, vel divinæ mentis in specie unius per unam comparationem domesticam et propriam, cuius casus est talis: aliquando accidit quod homo respiciens in speculum, subito et insperato videt lumen duplerii repræsentari in illo; propter quod statim retroflectit se a tergo ut videat certitudinem rei apparentis in speculo; ita a simili autor respiciens in oculos Beatricis vidit unum lumen ardentissimum et fulgentissimum, propter quod statim se convertit ut videret si vere sic esset in re, sicut viderat in apparentia. Nunc ergo respice literam, quam sic construe et ordina. *E la mia memoria si ricorda ch' io feci, riguardando nei begli occhi,* scilicet, Beatricis, de pulcritudine

quorum totiens dictum est; et dicit: *onde amor fece la corda a pigliarmi,* quia scilicet oculi Beatricis fuerunt rete quod primo captivavit oculos et mentem autoris, sicut sæpissime dictum est. Et hoc feci, *così come colui che se n' alluma dietro,* idest, illuminatur flamma post tergum, *vede fiamma di doppiero in specchio prima che l' abbia in vista o in pensiero,* idest, priusquam videat oculo, vel cogitet videre in mente ipsam flammam veram, cuius formam et imaginem videt in ipso speculo. Unde dicit: *e si rivolge per veder se 'l vetro,* idest, speculum quod constat ex vitro et plumbo, *li dice il vero,* et reperit sic esse; unde dicit: *e vede ch' el s' accorda con esso,* scilicet, quod vitrum concordat cum vero, quia scilicet idolum apparens in speculum conformatur et convenit cum re vera extra existenti; quod declarat per simile, dicens: *come corda con suo metro,* idest, sicut chorda in cithara, vel alio instrumento musico, concordat cum cantu sibi correspondente. Et nota quod comparatio recte ostendit propositum, quia homo non potest immediate videre Deum, nisi sub imagine respiciens oculos Beatricis, idest per speculationem et contemplationem sacræ theologiæ tamquam per speculum. Et subdit quando sic retrospexit (1), dicens: *poscia che quella che imparadisa la mia mente,* idest, Beatrix, quæ facit me contemplari paradisum, *aperse il vero,* idest, patefecit veritatem, *incontro alla vita presente,* scilicet, modernam vitiosam, *de' miseri mortali,* idest, hominum subiacentium miseræ (2) cupiditati, contra quos Beatrix loquuta fuit vera in præcedenti capitulo. — *E come.* Hic autor descripta sua reflexione, nunc describit rem veram quam vidit, cuius formam viderat in oculis Beatricis, scilicet, mentem divinam. Et breviter

---

(1) E. respexit. (2) E. miseriæ et cupiditati.

dicit quod vidit unum lumen excellentissimum, cuius acumen oculus sustinere non poterat. Ordina sic literam. *E vidi un punto*, scilicet, Deum, qui est immobilis tamquam centrum; et dicit: *che raggiava lume,* quia ipse est lux vera illuminans totum, et dicit, *sì acuto, che il viso ch' egli affoca,* idest, quem ipsum lumen ardentissimum reverberat, *conviensi chiudere per lo forte acume.* Et non mirum, quia si oculus corporalis cogitur claudi ad splendorem luminis solaris, quanto magis oculus intellectualis ad radium æterni solis, qui fecit solem sensibilem et lunam, quæ appellamus luminaria magna? Et hoc vidi, *com' io mi rivolsi,* idest, statim cum retrospexi, *e come li miei,* scilicet, oculi, *furon tocchi da ciò che pare in quel volume,* idest, in primo mobili, quod continet intra se omnia volumina; et dicit: *quandunque*, idest, quotiescumque, *ben s' adocchi,* idest, subtiliter speculetur, *nel suo giro,* idest, in eius spera, vel orbe; quasi dicat, statim quando vidi lucem vivacissimam, et virtutem unitissimam illius cœli, quæ manant a mente divina. — *E quale.* Hic autor explicat excellentiam illius luminis per unam comparationem nobilem; et breviter videtur dicere, quod illa stella quæ videtur nobis minor posita penes ipsum punctum, videtur luna quando est rotunda. Dicit ergo: *E quale stella,* idest, illa stella quæ *par,* scilicet, in cœlo, *quinci,* scilicet, oculis hominum in terra, *più poca,* quasi dicat, quæ videtur minima omnium stellarum, *locata con esso,* scilicet, puncto prædicto eo modo, *come stella si colloca con stella,* scilicet, in eadem spera. Et hic nota ad clariorem intelligentiam huius comparationis quod autor non vult aliud dicere judicio meo nisi quod sicut luna quæ est minima stella cœli apparet nobis maxima propter vicinitatem loci; ita illa stella, quæ videtur nobis minima propter distantiam loci, posita juxta illud punctum videtur nobis maxima ratione

claritatis illius puncti luminosissimi, quæ fecerat [1] ipsam videri clare non obstante immensa distantia: probatio huius, quia claritas huius luminis facit videri ordines angelorum positos circum et prope se in specie ignis sub forma quantitatis maioris quam sit ipsa luna, ut statim indicat litera sequens. — *Forse.* Hic autor descripto primo principio sub forma puncti fixi et immobilis, nunc consequenter intendit describere ordines angelorum sub forma circulorum igneorum. Et primo describit primum circulum per comparationem pulcram et propriam: et breviter dicit quod primus ordo angelorum in forma circuli ignei girabatur [2] velocissime circa supradictum punctum divinitatis, ita propinquus sicut ille circulus vaporalis qui cingit lunam qui vocatur halo ab Aristotele secundo Methaurorum, de quo jam facta [3] est mentio sæpe. Construe sic literam: *Un cerchio d'igne,* idest, unus ordo angelorum ardentissimus in forma circulari, *si girava intorno al punto,* scilicet, Deum; et explicat velocitatem sui motus per comparationem propriam, dicens: *sì ratto c' avria vinto quel moto,* scilicet, primi mobilis, *che più tosto cigne il mondo,* quia ut totiens dictum est nona spera in viginti quatuor horis facit suum motum ab oriente in occidentem; et sic velocissime circuit mundum quem intra se continet. Et nota quod comparatio præsens proprie declarat propositum, quia sicut nona spera, quæ est altior et vicinior Deo cæteris, movetur celerius et habet plus de virtute, ut patuit in præcedenti capitulo; ita primus ordo angelorum propinquior Deo movetur velocius, et habet plus de ardore amoris divini; qui ordo primus correspondet ipsi primo mobili, et ipsum movet et gubernat, ut statim patebit. Et dicit: *distante,* idest, longinquus a dicto puncto, *forse cotanto,*

---

(1) E. facit. (2) E. giratur. (3) E. jam fecit mentionem sæpe.

quanto pare appresso alo, scilicet, unus circulus, scilicet, halo, *cinger la luce,* idest, circa lunam; et dicit: *che 'l dipigne,* quia luna format et colorat ipsum circulum circa se, *quando 'l vapor che il porta più è spesso,* quia vapor est materia in qua fundatur forma dicti circuli, et potissime quando est bene spissus. — *E questo.* Hic autor breviter perstringit cæteros ordines angelorum, dicens: *E questo,* scilicet, ordo primus præscriptus, *era circumcinto da un altro,* quia scilicet secundus girabatur circa primum pari forma circuli ignei, *e quel,* scilicet, secundus circulus, *dal terzo,* scilicet circulo, *e il terzo,* scilicet circulus, *poi dal quarto,* scilicet circulo, *et il quarto,* scilicet circulus, *dal quinto,* scilicet circulo, *e poi il quinto,* scilicet circulus, *dal sesto,* scilicet circulo. — *Il settimo.* Hic autor tangit circulum septimum, cuius magnitudinem describit per comparationem propriam. Et breviter dicit: quod si circulus pluviæ, cuius medietas tantum apparet nobis, esset totus integer, non posset continere intra se istum circulum septimum. Dicit ergo: *Il settimo,* scilicet circulus, *sopra seguia sì sparto già di larghezza,* idest, tam latus, *che 'l messo di Juno,* idest, iris, quæ dicitur nuntia Junonis, ut expositum fuit supra capitulo, ubi dixit: *quando Giunone a sua ancella iube* etc. *intero,* idest, si esset integer, quia scilicet ostenderet se totum nobis, *sarebbe arto,* idest, strictus, *a contenerlo,* scilicet, illum septimum circulum. Et hic nota quare circulus iris non apparet nisi medius. Et sequitur: *così l'ottavo e 'l nono,* idest, ita eodem modo octavus circulus circumcingebatur a nono: et subdit quod quanto circulus erat distantior ab illo puncto, tanto eius motus erat tardior; et quanto circulus erat vicinior puncto, tanto erat ardentior; unde dicit: *e ciascheduno,* scilicet, dictorum circulorum, *si movea più tardo, secondo ch' era più distante,* idest, remotus, *dall'uno,* idest, a puncto; quoniam verum

bonum et unum convertuntur Deo, qui merito dicitur unus etc. Et dicit: *e quello,* scilicet, circulus, *avea la fiamma più sincera,* idest, puriorem, *cui men distava la favilla pura,* idest, a quo minus distabat punctus prædictus flagrantissimus et purissimus, hoc est mens divina. Et assignat rationem quare, dicens: *credo però che più s' invera di lei,* idest, magis accenditur illa favilla, et plus cognoscit de illa æterna et incommutabili veritate. Et hic nota quod contrarium est in circulis naturalibus, sicut in speris elementorum et cœlorum; similiter in artificialibus, sicut videmus in horologio.

La donna mia. Ista est secunda pars generalis, in qua autor disputat unam quæstionem circa motum ordinum angelorum; et primo vult dare intelligi quod in ipso generata est dubitatio et admiratio de motu angelicarum sperarum. Ad cuius intelligentiam est breviter prænotandum, quod autor miranter (1) dubitabat videns, quod motus illarum sperarum erat contrarius motui qui videtur hic inferius. Videmus enim sensibiliter quod si plures circuli, quorum unus contineat alterum, moventur circa unum centrum æqualiter, quod circulus magis distans a centro fortius movetur quam ille qui est vicinior, ut tam cito compleat suum motum; et est exemplum naturale in rota currus, quia velocior apparet eius motus in circumferentia quam in stello (2), idest, axe. Unde Beatrix videns autorem in ista admiratione, ad removendum ipsum assignat rationem, quare circulus vicinior puncto prædicto facit velociorem motum secundo, et secundus tertio et sic de aliis. Et dicit quod hoc est quia est magis ignitus amore puncti, scilicet Dei, a quo dependet cœlum et tota natura. Nunc ergo ad literam dicit autor: *La donna mia,* scilicet, Beatrix, *che mi vedea*

---

(1) S. mirabiliter dubitabat. (2) E. in scello, idest, aere.

in cura forte sospeso, scilicet, ex dubio generato in mente eius, *disse: da quel punto,* scilicet, Deo, *dipende il cielo e tutta la natura.* Et subdit: et ideo, *mira quel cerchio che più gli è congiunto,* scilicet, primum ordinem angelorum, scilicet, seraphim [1], et dicit: *e sappi che 'l suo muover è sì tosto,* idest, et scias quod eius motus est ita velox, *per l' affocato amore ond' egli è punto,* idest, ardenti amore divino quo accensus est, quasi dicat: quod quanto est propinquior primo motori, tanto magis sentit eius virtutem, et tanto plus videt de prima causa. — *Et io.* Hic autor proponit suam quæstionem, et breviter vult dicere: bene video rationem quare circulus vicinior velocius movetur; sed dubito quare mundus sensibilis, qui est exemplum ductum ab illo mundo exemplari, non habet similem motum. Dicit ergo: *Et io a lei,* supple, dixi, *ciò che m' è proposto,* scilicet per te oculis meis intellectualibus, *m' avrebbe sazio,* idest, satisfecisset dubitationi meæ, *se 'l mondo,* idest inferiores speræ, *fosse posto con l' ordine ch' io veggio in quelle ruote,* idest, in illis speris angelicis; sed contrarium videmus, quia hic desuper angeli propinquiores centro sunt diviniores; sed inferius quanto homines vel speræ sunt remotiores a centro mundi, tanto sunt diviniores. Unde subdit: *ma nel mondo sensibile si puote vedere le ruote,* scilicet, e contra, idest, circulos vel orbes, *tanto più divine,* supple, esse, *quant' elle son più rimote dal centro,* idest, a terra. — *Onde.* Hic autor concludit quid expediat sibi scire ad quietationem sui dubii. Construe sic literam: *Onde conviemmi udir ancor,* quia non sufficit id quod dixisti, *come l' esemplo,* scilicet, inferius, *e l' esemplare,* idest, desuper, *non vanno d' un modo,* idest, non moventur, idest, non concordant; exemplar enim appellatur illud a quo trahi-

---

(1) E. seraphinorum.

tur exemplum, sicut patet in pictura vel scriptura. Et fatetur insufficientiam suam, dicens: *chè io per me,* idest, ex sola scientia mea, sine tuo adminiculo, *indarno contemplo a ciò,* quasi dicat: mea speculatio non sufficit ad videndum et cognoscendum hoc; et hoc dico expedit, *se 'l mio desir dee aver fine,* idest, si meum dubium debet quietari secundum desiderium meum, *in questo tempio miro ed angelico,* idest, in isto primo mobili in quo apparent mihi ordines angelorum; unde dicit: *che ha per confine solo amore e luce,* idest, cœlum empyreum, quod est factum ex luce et amore, sub quo ista spera nona est subdita immediate, ut patet in præcedenti capitulo, ubi dicit: *Luce e amor d' un cerchio lui comprende.* — *Se li.* Hic autor ponit responsionem (¹) Beatricis ad propositam quæstionem, quæ primo ostendit unde proveniat eius insufficientia, quia scilicet a defectu investigationis. Unde dicit sub metaphora propria: *Se li tuoi diti,* idest, digiti rationis, *non sono sufficienti a tal nodo,* scilicet, solvendo, idest, ad tam nodosam et difficilem quæstionem solvendam, *non è maraviglia,* et ecce rationem, *tanto è fatto sodo,* idest, adeo ille nodus est factus solidus et induratus, *per non tentare,* idest, quia non exquisisti modum. — *Così.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix fecerit ipsum attentum ad dicenda; et continuans dicta dicendis, dicit: *Così la donna mia,* supple, dixit, arguens negligentiam meam; *poi disse: piglia quel ch' io ti dicerò,* idest, concipe mente illud quod dicam tibi ad solutionem dicti nodi; et hoc dico, *se vuoi saziarti,* idest, si vis quietare animum tuum dubium; et dicit: *e t' assottiglia intorno da esso,* idest, et speculare subtiliter circa id. — *Li cerchi.* Hic Beatrix incipit solvere dictam quæstionem. Et ad intelligentiam huius solutionis (²) est

---

(¹) E. responsum. (²) E. quæstionis.

prænotandum, quod autor vult ostendere sententialiter in effectu, quod novem ordines angelorum proportionatissime correspondent novem speris cœlorum, et est in eis summa convenientia in motu et quantitate; ita quod quantitas intensiva ordinis primi convenit cum quantitate extensiva primi mobilis, et ita de cæteris; et hic ponatur ordo angelorum cum ordine cœlorum etc. Hoc prænotato veniendum est ad literam, in qua Beatrix primo tangit quantitatem sperarum cœlestium, dicens: *Li cerchi corporali,* scilicet, cœlestes visibiles, *sono ampi et arti,* idest, largi et stricti, magni et parvi secundum magnitudinem et parvitatem virtutis; unde dicit: *secondo il più e 'l men della virtute, che si distende per tutte lor parti,* idest, secundum quod sunt capaces virtutis et influentiæ datæ sibi ab intelligentia. Et subdit quare sic expedit, quia (1) scilicet pariant mirabiles effectus; unde dicit: *maggior bontà,* idest, maior virtus cœli, *vuol far maggior salute,* idest, salubriorem effectum; et ideo, *maggior salute maggior corpo cape,* idest, occupat et requirit maius corpus, vel e converso (2) maius corpus est capax maioris salutis. Et dicit: *s' egli ha le parti ugualmente compiute.* — *Dunque.* Beatrix hic dicit convenientiam sperarum angelicarum ad speras cœlestes, dicens: *Dunque costui,* idest, ista nona spera, quæ est primum mobile et maius corpus sperarum mobilium, *che rape tutto quanto l' alto universo seco,* idest, quod trahit secum omnes (3) speras contentas sub eo, *corrisponde al cerchio che più ama e che più sape,* idest, primo ordini angelorum, qui est propinquior Deo; qui ordo est maior in virtute, licet videatur minor in apparentia; et ita octava spera quæ est juxta nonam gubernatur a secundo ordine angelorum, scilicet cherubim, qui sunt juxta sera-

(1) E. quia pariunt. (2) S. e contra. (3) E. universas.

phim, et ita de cæteris speris et ordinibus: et sic potest concludi, quod maior circulus plus sentit de virtute divina; ideo gubernatur ab illa intelligentia quæ plus amat Deum. — *Perchè.* Hic [1] Beatrix concludit propositum intentum [2] ex dictis, dicens: *Perchè tu vedrai mirabil conseguenza,* idest, convenientiam, *di maggio a più,* idest, de maiori circulo ad plus virtutis; et ita eodem modo, *di minore a meno,* idest, a minori circulo ad minus virtutis; et hoc dico: *se tu circonde la tua,* vel *sua misura,* idest, compensas quantitatem, *alla virtù,* scilicet, suæ; et dicit: *non alla parvenza,* idest, quantitati apparenti, *delle sustanzie,* idest, sperarum, *che t' appaion tonde,* idest, quæ videntur circulares, quasi dicat: si tu consideras quantitatem intensivam et non extensivam. Est enim quantitas extensiva corporalis apparens; intensiva vero spiritualis non apparens, sicut gratia exempli dicimus quod Augustus fuit grandissimus omnium hominum, non quidem magnitudine corporali, quia fuit corpore brevis, sed virtute et potentia. Similiter dicimus: Alexander magnus fuit largus, cum tamen fuerit brevis staturæ. — *Come.* Hic autor ostendit quomodo illud dubium remotum est ab animo eius per solutionem Beatricis; et hoc facit per unam comparationem claram: et breviter vult dicere quod remansit ita lucidus et clarus, excussa omni dubitatione ex animo ad responsionem [3] Beatricis, sicut sæpe cœlum, quod prius erat nubilosum, remanet clarum et serenum fugata omni nube ad flatum vel spirationem boreæ. Dicit ergo: *Così fec' io, poi che la mia donna mi provvide del suo risponder chiaro,* idest, responsione clara qua indigebam; et dicit: *e il ver si vide,* scilicet, per me, *come stella in cielo,* supple, clare videtur fugata nubilositate. Et hoc dico: *come l' emisperio dell' aere,* scilicet, nostrum su-

---

(1) E. Hic autor dicit quod Beatrix.

(2) E. intentis, dicens.

(3) E. responsum.

perius, *rimane splendido e sereno quando borea soffia,* idest, spirat, *da quella guancia ond' è più leno,* idest, a tramontana, ubi est suavior; et est propria metaphora, quia ore spiramus et sufflamus. Et dicit: *perchè,* idest, propter quod *la roffia,* idest superfluitas, *che pria turbava,* scilicet ipsam serenitatem aeris, *si purga et risolve,* et dicit: *sì che 'l ciel ne ride,* idest, ridere et lætari videtur, *con le bellezze d' ogni sua paroffia,* quia purgata omni caligine cœlum ostendit pulcritudinem suam ex omni parte; quia si de die hoc accidit apparet nobis sol pulcerrimus omnium corporum, si de nocte apparent nobis multa pulcra sidera. Et hic nota quod comparatio est conveniens et propria: sicut enim a tramontana lucida, quæ (1) dirigit homines ad portum salutis, venit ventus qui pellit nubes et serenat totum aerem; ita a Beatrice luminosa, quæ dirigit homines ad patriam felicitatis, provenit doctrina, quæ purgat nubem ignorantiæ, et inducit claritatem veritatis in totum animum etc.

E poi che le parole. Ista est tertia (2) pars generalis, in qua autor explicat specialiter et seriatim dictos ordines angelorum. Et primo describit eorum apparitionem gaudiosam per comparationem claram. Unde continuans dicta dicendis, dicit: *Ferro che bolle,* scilicet in igne, *non altramente,* quasi dicat, similiter, *disfavilla come i cerchi,* scilicet, novem, *svavillaro,* et hæc erat emissio angelorum, qui se mirabiliter ostenderunt; et pro hoc, *poi che le parole sue restaro,* idest, postquam Beatrix fecit finem verbis suis. Et subdit: *l' incendio lor seguiva ogni scintilla,* quia singuli angeli trahebant secum suum ardorem et splendorem. Et designat multitudinem angelorum per unam comparationem jocosam, dicens: *et eran tante,* scilicet illæ scintillæ, *che 'l numero loro s' immilla,*

---

(1) S. qua diriguntur homines.

(2) E. tertia et ultima pars generalis huius capituli, in qua.

idest, multiplicatur per milliaria, *più che 'l doppiar degli scacchi,* quasi dicat, quod erant innumerabiles sicut in ludo scachorum etc. Et hic nota quod comparatio ferri bene convenit proposito; sicut enim ex ferro candente cum trahitur ex igne resultant multæ favillæ rutilantissimæ, ita ex omni circulo igneo emicuerunt multi angeli volantes tamquam favillæ ardentissimæ. — *Io sentiva.* Hic autor describit cantum excellentissimum dictorum angelorum sic volantium et disfavillantium, dicens: *Io sentiva osannar,* idest, cantari hosanna, *di coro in coro,* quia omnes angeli dictorum novem ordinum laudantes et magnificantes Deum cantabant, *hosanna,* idest, salvifica, quia omnes (¹) precantur salutem omnium; et dicit: *al punto fisso,* idest, ad Deum immobilem, *che gli tiene all' ubi,* idest, qui tenet eos ad se, tamquam ad eorum ubi; et dicit, *e terrà sempre,* idest, tenebit in futurum per infinita sæcula, *nel qual,* scilicet ubi, *sempre foro,* scilicet, de præterito postquam creati sunt. — *E quella.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix explicaverit sibi seriose dictos ordines angelorum, et primo duos ordines primos; unde connectens dicta dicendis, dicit: *E quella che vedeva i pensier dubj nella mia mente,* quia scilicet cogitabam et dubitabam quid sibi vellet illa disfavillatio; quamvis enim videret illam circulationem angelicam circa Deum, tamen ignorabat eorum distinctionem et proprietatem; *disse: i cerchi primi,* idest, duo circuli primi magis prope punctum sunt duo ordines angelorum; unde dicit: *t'hanno mostrato i serafi e i cherubi,* scilicet, in disfavillationibus eorum. Et subdit quare tam velociter moveantur, dicens: *così veloci,* scilicet, in motu, *seguono i suoi vimi,* idest, vincula quæ tenent eos ligatos ad ubi, *per simigliarsi al punto,* scilicet Deo, *quanto ponno,* et dicit, *e*

(¹) E. omnes hi precantur.

possono, scilicet, similari puncto, *tanto quanto son sublimi,* idest, alti, excellentes, *a veder,* scilicet, divinam essentiam. — *Quegli.* Hic Beatrix specificat tertium ordinem, scilicet, thronorum, dicens: *Quegli altri amori,* idest, angeli ardentes amore simul cum primis; unde dicit: *che 'ntorno gli vonno,* scilicet circa duos primos, *si chiaman troni del divino aspetto,* quia Deus per ipsos ordinat judicia sua, et dicit: *perchè 'l primo ternaro terminonno,* quasi dicat: sicut est completus primus ternarius trium ternariorum; nam novem ordines sunt distincti in tres ternarios, quorum quilibet continet tres ordines; unde primus ternarius continet seraphim, cherubim et thronos. Et subiungit quod eorum delectatio est tanto profundior delectatione aliorum ternariorum, quanto eorum visio magis profundatur in Deo, et quanto plus habet cognitionis de eo qui est ultimus finis. Dicit ergo: *e dèi sapere,* scilicet, tu magnus theologus, *che tutti,* scilicet, prædicti tres ordines, *hanno diletto quanto la sua veduta si profonda nel vero,* idest, in Deo, qui est ipsa veritas; et dicit: *in che s' acqueta ogni intelletto,* quia animus tandem quiescit reperto ipso vero, sicut dictum est supra in capitulo huius Paradisi, ubi dicit: *posasi in esso come fera in lustra.* — *Quinci.* Hic Beatrix ex dictis elicit unam sententiam notabilem; et breviter dicit, quod esse beatum angelorum fundatur in actu videndi Deum, non in actu amandi; unde dicit: *Quinci si può vedere,* scilicet ex eo, quod dictum est de istis angelicis spiritibus, qui vident divinam essentiam, *come l' esser beato,* scilicet, angelorum, *si fonda nell' atto che vede,* idest, in visione vel cognitione, *non in quel ch' ama,* idest, non in amante vel actu amoris; et dicit: *che poscia seconda,* idest, sequitur post visionem vel cognitionem. Et hic nota quod hoc dicit autor quia amor nascitur a cognitione, et tanto quis plus amat quanto plus videt; unde ad per-

fecte amare oportet quod præcedat perfecta cognitio rei, ita quod visio vel corporalis vel intellectualis præcedit amorem. Unde Augustinus super Genesim capitulo XI, dicit: natura quæ peccare non potest est in sanctis angelis. Ideo dicit autor in litera, quod beatitudo angelorum fundatur in eorum visione perfecta, idest, secundum naturam eorum, et non in eo qui amat, idest, non in actu sui amoris qui sequitur ex gratia infusa. Et subdit quod secundum suam visionem recipit gratiam, dicens: *e mercede,* idest, merces cognitionis dictorum angelorum, *che grazia partorisce e buona voglia,* idest, quæ parit gratiam et benevolentiam; et dicit: *buona voglia,* scilicet, ut velit illud quod Deus vult, *è misura del vedere,* idest, est mensurata et proportionata cognitioni eorum; et dicit: *così di grado in grado si procede,* quia scilicet in cæteris sequentibus merces et præmium est secundum visionem et cognitionem eorum; unde sequentes quia minus vident, minus habent mercedis beatitudinis. — *L' altro.* Hic Beatrix determinato de primo ternario, in quo contemplari potest ab homine summa potentia Dei patris, qui respicit istam hierarchiam quæ est prima caritate, scientia, intelligentia, nunc determinat de secundo ternario, in quo potest contemplari summa sapientia filii. Specificat ergo ipsum secundum ternarium sic: *L' altro ternaro,* scilicet, secundus, *che così germoglia,* idest, viret et viget, *in questa primavera sempiterna,* idest, in cœlo ubi est sempiterna viriditas; et dicit: *che,* idest, quod ver, *notturno ariete non dispoglia,* idest, autumnus, quando sol est in libra, quam vocat arietem [1], quia in utroque fit æquinoctium; et distinguit istum arietem, scilicet libram, quæ facit nobis autumnum, et aufert nobis viredinem, ab ariete illo qui facit nobis ver et affert viredinem, per id quod

---

(1) E. arietem, sicut aliquando libram vocat arietem, quia in.

dicit *notturno*. Ad quod sciendum quod astrologi attribuunt varias proprietates signis planetarum. Aliqua enim vocant masculina, aliqua fœminina, aliqua diurna, aliqua nocturna, aliqua humana, aliqua bestialia, alia fixa, alia mobilia etc. Modo ad propositum: aries est signum diurnum, libra vero nocturnum; ideo bene vocat eam arietem nocturnum propter convenientiam quam habet secum in æquinoctio; *sverna Osanna,* idest, cantat hosanna, sicut et alii (1) de aliis choris, ut dictum est paullo ante, *perpetualemente,* idest æternaliter; et dicit, *con tre melode,* scilicet, trium cantuum, quia omnis ordo facit suum cantum distinctum secundum diversitatem officiorum, qui tamen omnes mirabili proportione conveniunt et consonant; unde dicit: *in tre ordini di letizia,* idest, exultantium angelorum, *onde s' interna,* idest, ex quibus constituitur ipse ternarius. — *In essa.* Hic Beatrix specificat nominatim ipsos tres ordines, ex quibus est constitutus iste secundus ternarius, dicens: *Le tre dee,* idest, deitates, *son in essa gerarchia,* scilicet, secunda prædicta. Dicitur autem *gerarchia* etc. Et ecce quæ: *prima dominazioni,* huius officium est etc., *e poi virtudi,* huius officium est etc. Et dicit: *l' ordine terzo è di podestadi;* et huius officium est etc. — *Poscia.* Hic Beatrix (2) distinguit tertium ternarium, in quo potest contemplari summa et ferventissima caritas Spiritus Sancti, dicens: *Poscia principati et arcangeli si girano ne' duo penultimi tripudii,* idest, ordinibus qui in circulo vel rota moventur, sicut illi qui tripudium faciunt: Principatum officium est etc. Archangelorum officium est etc. Et dicit: *l' ultimo,* scilicet, tripudium, *è tutto d' angelici ludi,* idest, factum ex angelis ludentibus et festantibus simul cum aliis coram æterno

(1) S. sicut illi de aliis. — E. sicut et illi de aliis.

(2) E. Beatrix describit in generali principium et effectum virtutis omnium ordinum præscriptorum, dicens: *Questi ordini* etc. Sed prius distinguit.

rege. Est autem officium angelorum etc. Et hic nota quod angelus est nomen generale ad omnes novem ordines angelorum, et est nomen speciale ad istum ultimum ordinem prædictum. — *Questi.* Hic Beatrix describit in generali principium et effectum virtutis omnium ordinum præscriptorum, dicens: *Questi ordini,* scilicet prædicti novem angelorum, *tutti l' ammirano* vel *rimirano di su,* scilicet, in prædicto punto, *e vincon di giù,* scilicet, speras cœlestes, quas habent sub gubernatione sua; unde dicit: *sì che tutti son tirati verso Dio,* scilicet, sursum, a quo recipiunt infusionem virtutis et gratiæ, *e tutti tirano,* scilicet, deorsum ipsam virtutem immittentes per corpora cœlestia. — *E Dionisio.* Hic Beatrix adducit duas opiniones duorum doctorum, qui descripserunt ordines angelorum; et præfert opinionem unius, dicens: *E Dionisio.* Hic est ille Dionysius Areopagita, de quo dictum est supra, qui inter alios libros suos fecit librum de angelica hierarchia, in quo distinxit ordines angelorum, eo modo quo dictum est, quem ecclesia sequitur; et ideo autor tamquam christianus bene dicit quod Dionysius concordat secum. Unde dicit: *si mise a contemplar questi ordini con tanto disio,* idest, tam desideranti studio et scrutinio, *che li nomò,* idest, nominavit, *e distinse com' io,* idest, eo ordine, quo ego nominavi et distinxi ipsos ordines. Et subdit opinionem Gregorii diversam ab opinione Dionysii, dicens: *ma Gregorio poi si divise da lui,* idest, discrepavit in ordinatione: posuit enim Gregorius etc. Et dicit quod Gregorius postea recognovit errorem suum, dicens: *onde,* ipse Gregorius, *rise di sè medesmo sì tosto come aperse gli occhi in questo cielo*, quasi dicat, cum veniens ad cœlum primo vidit istos ordines angelorum. Et hic nota quod doctores conantur concordare Gregorium cum Dionysio, sicut Thomas de Aquino qui dicit etc.; tamen autor cui non

placebat talis coloratio sic fingit. — *E se.* Hic ultimo Beatrix concludens capitulum ostendit quare opinio Dionysii sit verior, et per consequens acceptabilior, dicens: *E non voglio ch' ammiri se mortale in terra,* idest, si Dionysius adhuc vivens cum mortali corpore in mundo mortali, *profferse tanto segreto ver,* idest, ita manifestavit veritatem tam occultam. Et ecce rationem quare non debeas mirari, *chè chi 'l vide quassù,* idest, quare Paulus apostolus qui vidit hoc in cœlo, quando raptus ad tertium cœlum vidit ea quæ non licet homini revelare, *gliel discoperse,* idest, manifestavit sibi. Et dicit: *con altro assai del ver di questi giri,* idest, dictorum ordinum angelorum. Et hic nota quod cum dicitur Paulus raptus ad tertium cœlum non debet intelligi superficialiter etc. Item nota quod dictus Dionysius magnus philosophus conversus ad prædicationem Pauli factus discipulus eius didicit ab eo omnia quæ scripsit de ista (1) materia etc.

---

(1) E. de hac materia.

CANTUS VIGESIMUS NONUS, *in quo de natura angelorum tractatur, ubi ponitur casus malorum, et tanguntur quædam dubia.*

QUANDO *ambidui li figli di Latona.* Postquam in superiori capitulo autor noster tractavit et determinavit de distinctione novem ordinum angelorum; nunc consequenter in isto XXVIIII capitulo agit et tractat ubi, quando, et qualiter natura angelica creata fuit, et de natura et numero angelorum. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor pertractat tres quæstiones circa materiam angelorum. In secunda describit casum [1] malorum et tangit dubia de intellectu, memoria et voluntate angelorum, ibi: *Nè giugneriesi.* In tertia arguit illos qui postponunt, vel pervertunt scripturam, ibi: *Voi non andate.* In quarta et ultima revertitur ad principalem materiam angelorum, et tangit de numero eorum, ibi: *Ma perchè sem.* Ad primum ergo dico quod in prima parte generali autor pertractat tres quæstiones circa materiam angelorum; et primo continuans dicta dicendis ostendit apparationem Beatricis ad alia dicenda, et fingit quod conversa in Deum respexit modicum tacite; quod momentum temporis designat per unam comparationem nobilem: et breviter et sententialiter vult dicere quod sicut sol et luna quando sunt in signis oppositis in hemisperio nostro superiori, ita quod sol est in oriente, luna vero in occidente, subito mutant locum, quia unus ascendit, alter descendit; ita a simili Beatrix parum re-

---

(1) S. causam malorum.

spexit punctum divinitatis, et statim revolvit se ad autorem, et cœpit loqui de materia jam inchoata. Nunc ordina et construe sic literam, quæ videtur aliqualiter intricata: *Beatrice si tacque col volto dipinto di riso,* idest, visu adornato lætitia, *riguardando fisso nel punto,* scilicet, Deum, *che m' avea vinto,* quia, ut dictum est in præcedenti capitulo, ad immensitatem luminis huius puncti oportuit visum claudi. Et Beatrix, dico, tacuit *tanto quanto è dal punto che 'l zenith i libra.* Zenith enim appellatur in astrologia ille punctus cœli qui perpendiculariter respicit caput nostrum, qui in instanti transit et mutatur, quia cœlum est in continuo motu. Et dicit: *in fin che l' uno e l' altro,* scilicet, sol et luna, *si dilibra,* idest, egreditur a libra, idest, æqua lance, *da quel cinto,* idest, ab horizonte, *cambiando l' emisperio,* quia scilicet sol in ariete ascendit hemisperium nostrum, et luna in libra descendit cito, quia utrumque est in continuo motu. Unde ad intelligendam claram comparationem propone tibi unum qui teneat bilanciam æqualiter, quæ ad parvum motum, vel ad appositionem minimi ponderis perdit æqualitatem, quia una pars ascendit, altera descendit subito. Hoc autem accidit, *quando ambidui li figli di Latona,* idest, sol et luna, qui secundum fictionem poeticam dicuntur filii Latonæ; et quare dictum est et declaratum plene Purgatorii capitulo XX, *coverti del montone e della libra;* et bene dicit, quia cum dicimus sol est in ariete, et luna est in libra, ponitur *in* pro *sub,* quia de rei veritate planeta non est in signo sed sub signo: quomodo enim proprie est in signo, cum sit maxima distantia inter planetam et signum? et præcipue luna, quæ est infima, nimium distat a zodiaco qui est in octava spera, *fanno zona inseme,* idest, cincturam, *dell' orizzonte,* quia sunt in eodem circulo, qui dicitur horizon, idest, terminator visus, et recta linea opponuntur,

sicut patet in hac figura a latere posita (1). Et hic nota quod comparatio est pulcra et propria. Sicut enim in posito (2) casu luna quæ recipit lumen a sole modicum stat sibi opposita in recta linea, ita Beatrix quæ recipit lumen a sole vero, scilicet Deo, modicum respexit recte ipsum punctum Deum, sed statim declinavit ad autorem. — *Poi cominciò.* Hic autor ponit orationem Beatricis ad se, quæ dicit autori quare prævenit ipsum non expectata petitione eius. Unde dicit: *Poi cominciò,* scilicet, illa Beatrix dicere: *io dico, non dimando quel che tu vuoi udire;* et assignat rationem, dicens: *perch' io l' ho visto là ove s' appunta ogni ubi et ogni quando,* quasi dicat: quia vidi hoc in puncto prædicto divinitatis in quo omnia firmantur, et a quo omnia disponuntur. — *Non per aver.* Hic Beatrix primo respondet primæ quæstioni, quam autor conceperat facere in mente sua; et quæstio est: si ante creationem mundi et angelorum fuit tempus. Ad quod respondet Beatrix quod solus Deus est æternus, et omnia creavit ante tempus, cætera vero habent initium temporis. Ordina et expone sic literam: *L' eterno amore,* idest, Deus manens æternus in amore, *s' aperse in nuovi amori,* idest, manifestavit se in novas creaturas, quæ non sunt sine amore; unde autor in Purgatorii capitulo: *nè creator nè creatura mai fu senza amore.* Aliqui tamen dicunt quod verius videtur, quod autor loquatur de novem ordinibus angelorum, qui excellentissime ardent amore divino, quia alia fuerunt creata successive in tempore sex dierum; sed certe hoc non obstat, quia qui manet in æternum fecit omnia simul; ideo potest intelligi tam de novis creaturis, quam de novem ordinibus angelorum; ideo bene potest dicere, *in nuovi amori,* vel *in nove amori,* tamen secunda litera est melior, quia est

---

(1) La figura manca nei nostri Codici.

(2) E. in proposito.

de intentione autoris, ut ipse tangit in fine huius partis; et dicit: *in sua eternità fuore di tempo,* idest, ante tempus, idest, incomprehensibilis et incircumscriptus, *fuor d' ogni altro comprendere come i piacque,* idest, ex sola voluntate non necessitate. Et assignat rationem quare hoc fecit; et primo excludit rationem non veram, dicens: *non per aver in sè acquisto di bene,* quasi dicat: non creavit creaturas vel angelos ut acquireret sibi aliquod bonum extrinsecum; et dicit: *che non può essere,* quia Deus est omnipotens, et qui est omnipotens nihil deficit, et cui nihil deficit, nihil acquirit. Et ecce rationem veram: *ma perchè suo splendore,* scilicet, bonitas et gloria, scilicet, lux et amor, *potesse dir: sussisto,* idest, in me permaneo et resplendeo, quasi dicat: *io per me mi sto, risplendendo,* idest, expandendo radios suæ gloriæ extra se, scilicet in aliis, quasi dicat: ut eius bonitas et gloria participaretur in aliis. Et hic nota quomodo: — *Nè prima.* Hic Beatrix respondet uni quæstioni tacitæ, quam autor posset immediate facere; unde ipsa præveniens ipsum dicit: sed statim quæres: quid faciebat Deus antequam crearet mundum? Respondeo tibi quod ille amor divinus, *nè si giacque quasi torpente,* idest, accidiosus vel otiosus, *prima,* idest, ante istam creationem; et reddit rationem, dicens: *chè lo discorrer di Dio,* idest, discursus creatoris, *sopra queste acque,* idest, creaturis; unde Genesis primo dicitur: et spiritus Domini ferebatur super aquas, *nè procedette prima nè poscia,* idest, ante creationem vel post. Et notanter dicit quod non processit; nam procedere notat tempus; similiter prius et posterius notat tempus, quia ponitur in diffinitione temporis [1], quæ talis est: tempus est mensura motus, secundum prius et posterius, ut dicit philosophus

---

[1] E. temporis, quia tale tempus est mensura.

V Physicorum: et etiam quies notat tempus, ideo non jacuit torpens, quia, ut dictum est, non in tempore sed in sua æternitate fecit omnia; unde ab æterno habuerat in mente sua mundum exemplarem, quem postea produxit in actum, et tunc primo fecit tempus; nam si, ut dictum est, tempus est mensura motus, et motus non potest esse sine corpore, ut scribitur IV Physicorum; ergo ante corpus creatum erat impossibile esse tempus. — *Forma.* Hic Beatrix respondet secundæ quæstioni quam autor facturus erat, scilicet, utrum creatio fuerit in instanti, an per successionem temporis. Ad quod respondet Beatrix quod fuit in instanti productio materiæ et formæ. Unde dicit: *Forma,* quæ dat esse rei, et conservat eam in esse, *e materia,* ex qua cum alio fit aliquid, scilicet, cum forma, *congiunte,* scilicet, in substantiis compositis, *e purette,* scilicet, in simplicibus, idest materia per se, vel forma per se, *che non avea fallo,* idest, perfectæ sine defectu, *usciro ad essere,* scilicet, simul sine successione: et ostendit quomodo per simile, dicens: *come tre saette,* supple, exeunt simul, *d' arco tricorde,* idest, ab arcu habenti tres chordas: nam substantiarum quædam sunt formæ simplices, quædam [1] compositæ ex materia et forma. Quod autem ista productio fuerit sine successione patet, quia successio est motus de uno termino ad alium, sicut patet in generatione, quæ movetur de loco a quo, et vadit ad terminum ad quem; creatio non habet terminum a quo, quia a nullo, ergo non potest esse motus, nec per consequens successio. — *E come.* Hic Beatrix ostendit possibilitatem huius productionis instantaneæ per unam comparationem naturalem et claram, quæ breviter stat in hoc; quod sicut radius solis veniens ad tria corpora dyaphana subito il-

---

(1) E. quædam materiæ simplices, quædam compositæ.

luminat ipsa in instanti, ita quod accessio non videtur ante illuminationem, nec luminatio [1] ante accessionem; ita a simili splendor bonitatis et gloriæ divinæ in instanti expandit se in creaturis. Nunc construe literam sic: *E il triforme effetto,* idest, triplex prædictus, *del suo sire,* scilicet, Dei, *raggiò tutto insieme nell' esser suo senza distinzione in esordire,* scilicet, sine processu temporis tribus modis; et hoc fecit: *così come raggio,* scilicet, solis, *risplende,* scilicet, in instanti, *in vetro, in ambra od in cristallo,* quæ omnia sunt corpora lucida et transparentia; unde dicit: *sì che intervallo,* idest, spatium temporis, *non è dal venire all' esser tutto.* Et vide quomodo comparatio est conveniens de radio divinæ gloriæ ad radium solis: sicut enim radius solis subito apparet in tribus corporibus dyaphanis, ita splendor divinus subito apparuit in tribus effectibus prædictis. — *Concreato.* Hic Beatrix ostenso quomodo creatio rerum fuit in instanti, nunc ostendit quomodo eorum distinctio fuit etiam instantanea. Et ad plenam intelligentiam huius literæ est diligenter prænotandum, quod Deus volens universum esse perfectum, fecit distinctionem in creaturis ad perfectionem eius; quia si omnes essent unius gradus non posset in illo solo sua perfectio demonstrari; ideo, ut probat Thomas de Aquino contra gentiles, omnes creaturæ generaliter sunt divisæ in tres gradus, scilicet, intellectuales simpliciter, et istæ sunt super cœlos; corporales simpliciter, et istæ sunt circa centrum mundi in infima regione; corporales et intellectuales simul, et istæ sunt in medio. Illæ quæ sunt intellectuales simpliciter, sicut angeli, sunt distinctæ in tres hierarchias, ut patuit in præcedenti capitulo; corporales simpliciter sunt distinctæ in tres gradus, scilicet, infimum, sicut petræ, metalla: medium,

(1) E. illuminatio.

sicut arbores, herbæ et plantæ: supremum, sicut bruta. Eodem modo intellectuales et corporales simul sunt in triplici gradu, quia aliquæ intellectivæ substantiæ sunt coniunctæ cum corporibus tamquam motores, sicut intelligentiæ moventes cœlos; aliæ sunt iunctæ cum corporibus tamquam sua forma, sicut homines. Modo omnes prædictæ substantiæ diversimode habent plus et minus bonitatis, secundum quod plus et minus se aperuit æternus amor in eis; et prædicta distinctio et ordinatio simul creata sunt, ut dicit autor in litera, quam sic expone: *Ordine e construtto,* idest, constructio, *fu concreato,* idest, simul creatus, *alle sustanzie;* et primo tangit sublimiorem gradum substantiarum, dicens: *e quelle,* scilicet, substantiæ intellectuales simpliciter inter alias, *furon cima nel mondo,* idest, tenuerunt excelsum gradum, scilicet, angeli; unde dicit: *in che,* idest, in quibus, *puro atto fu produtto:* actus purus est ille qui est sine aliqua materia, nec impotentia, ut fiat aliud quia non est aptus pati, ideo est incorruptibilis; et in tali est maior bonitas. Et dicit: *pura potenzia;* illa est pura potentia rei quæ est apta pati et non agere, sicut petræ, arbores, bruta, et in tali est minor bonitas, *tenne la parte ima,* idest, infima. Et subdit medium gradum bonitatis, dicens: *tal vime,* idest, tale vinculum, *che giammai non si divima,* idest, numquam dissolvitur, scilicet, amor divinus, vel ordo naturalis, *strinse nel mezzo,* idest, coniunxit in medio gradu, *potenzia con atto,* quasi dicat, quod corpus coniunctum cum intellectu tenent medium gradum bonitatis, sicut intelligentiæ moventes orbes et homo. — *Geronimo.* Hic Beatrix intendit solvere tertiam quæstionem quam autor facturus erat. Et primo excludit opinionem Hieronymi tamquam non veram; quam opinionem primo tangit in litera. Ad cuius intelligentiam clariorem est prænotandum, quod Hieronymus scribit in

epistola ad Titum sic: sex millium nondum nostri temporis completur annorum numerus, et quanta tempora a sæculorum origine fluxisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni et dominationes, cæterique ordines Deo servierunt. Videtur ergo Hieronymus velle quod longus ordo sæculorum fuerit a creatione angelorum ad creationem mundi. Ad literam ergo, dicit Beatrix (1): *Geronimo,* qui dicitur scivisse totum, *vi scrisse,* scilicet, vobis hominibus in epistola prædicta, *lungo tratto de' secoli,* idest, longum curriculum (2) annorum fuisse, *degli angeli creati,* idest, a creatione angelorum, *anzi che l'altro mondo fosse fatto,* idest, usque ad creationem mundi; sed veritas aliter se habet. Et hic nota quod Thomas de Aquino excusat Hieronymum; et dicit quod Hieronymus loquitur secundum opinionem græcorum; sed talis excusatio videtur debilis autori nostro, quia tali modo fere possunt excusari omnes errores quantumcumque magni; ideo impugnat dictum Hieronymum. — *Ma questo.* Hic Beatrix impugnat opinionem Hieronymi, dicens: *Ma questo vero,* idest, veritas istius rei, *è scritto in molti lati,* quasi dicat, in multis libris, *dagli scrittori dello Spirito Santo,* idest, a sanctis doctoribus sacræ Scripturæ. Et dicit: *e tu te ne avvedrai se bene aguati;* idest, et tu perpendes de hoc, si solerter rimaris in scripturis theologorum. Et subdit unam rationem naturalem probantem hoc, quæ potest sic formari secundum Thomam: angeli sunt pars universi; ergo si unum esset creatum ante aliud, esset defectiva creatio universi, et non haberet suam perfectionem: hoc autem est impossibile si consideremus Creatorem, qui est summe perfectus et semper facit sua opera perfecta. Dicit ergo: *et anco la ragion,* idest, humana ratio, ultra testimonium sacræ Scripturæ, *lo vede alquanto, che,* idest, quæ ratio,

---

(1) E. ipsa Beatrix.

(2) E. circulum.

non concederebbe che i motori, idest, intelligentiæ moventes orbem, *fosser cotanto,* idest, tamdiu, *senza sua perfezione,* idest, sine orbibus, quia tunc sequeretur quod per tam multa sæcula fuissent frustra. Ergo concludendo: oportebat quod motores et mundus mobilis simul crearentur, quia utrique sunt partes universi, et faciunt unum totum; aliter imperfecta fuissent opera Creatoris perfectissimi. — *Or sai.* Hic Beatrix concludit se solvisse autori tres quæstiones, dicens: *Or sai tu,* quasi dicat, nunc scire potes ex his quæ dixi, *dove,* quia, scilicet in æternitate, ut patuit ex prima quæstione, *e quando,* scilicet, quando creatum fuit universum, ut patuit ex tertia quæstione, *e come,* quia scilicet in instanti, ut patuit ex secunda quæstione, *questi amori,* scilicet, novem ordines angelorum, *furon creati;* et dicit: *sì che tre ardori,* idest, tres quæstiones quibus flagrabat animus tuus, *sono già spenti,* idest, extincti quia solutæ sunt, *nel tuo disio,* idest (1), desiderio.

Nè giugneriesi. Ista est secunda pars generalis, in qua Beatrix describit casum malorum angelorum, et declarat quædam dubia circa naturam angelicam: et primo tangit modicum spatium quod fuit a creatione angelorum ad casum malorum, dicens et bene: *Nè giugneriesi numerando al venti,* idest, non posses numerare usque ad viginti, immo non ad duo, quia peccaverunt in instanti suæ creationis, *sì tosto come parte degli angeli,* scilicet, mali, *turbò il subietto de' vostri elementi,* scilicet, terram, quia fuerunt depulsi in infernum. Et subdit confirmationem bonorum, dicens: *l' altra,* scilicet, pars, idest, angeli boni, *rimase,* scilicet, firma in servitio Dei; unde dicit: *e cominciò quest' arte,* scilicet, cantum et gaudium, *che tu discerni,* sicut patuit in præcedenti capitulo; et

---

(1) E. idest, tuo desiderio.

dicit, *con tanto diletto che mai non si diparte da circuire,* scilicet, illum punctum divinitatis circa quod continue moventur circulariter, ut prædictum est supra. — *Principio.* Hic Beatrix describit autorem huius ruinæ malorum angelorum, dicens: *Il maledetto superbire,* idest, detestabilis superbia Luciferi; unde dicit: *di colui che tu vedesti,* scilicet, in centro inferni, *costretto da tutti i pesi del mondo,* quia omnia gravia tendunt ad centrum, *fu principio del cadere,* non quod fuerit causa compulsiva, sed persuasiva, alliciens eos cum dixit: ero similis Altissimo. — *Quelli.* Hic Beatrix describit confirmationem bonorum, dicens: *Quelli che vedi qui,* scilicet, circa Deum, *furon modesti,* idest, humiles et grati, *a riconoscer sè,* idest, ad recognoscendum beneficium, *della bontate,* scilicet divina, *che gli avea fatti presti a tanto intendere,* quia scilicet, non permiserunt se seduci tali suggestione, unde receperunt gratiam quæ confirmavit eos in gratia. Unde subdit: *perchè le viste loro furo esaltate,* scilicet, ad plus videndum, quia cognoverunt divinam essentiam quantum est possibile creaturæ; quæ visio semper tenet eos amoratos; et dicit: *con grazia illuminante,* scilicet, gratia præveniènte, *e con lor merto,* ita quod gratia fuit prædestinata meritis; et dicit: *sì ch' hanno ferma e piena volontate,* scilicet, confirmatam in bonum, ita quod non possunt amplius peccare. — *E non voglio.* Hic Beatrix ex dictis elicit unum notabile, scilicet, quod recipere gratiam est meritorium in angelis; quod dictum videtur obscurum, cum potius videatur e converso, quia gratia est causa meriti, non meritum causa gratiæ. Dicendum breviter quod angelus habuit gratiam antequam esset beatus, per (1) quam gratiam meruit beatitudinem; ideo autor intendit dicere, quod recipere gratiam a Deo fuit meritorium bea-

(1) E. propter quam.

titudinis angelorum in qua sunt. Ad literam ergo dicit Beatrix autori: *E non voglio che dubii, ma sii certo, che ricever la grazia è meritorio,* scilicet, beatitudinis, qua ipsi sunt beati per Dei visionem. Et dicit: *secondo che l'affetto,* idest, voluntas, *gli è aperto.* — *Omai.* Hic Beatrix concludit in hac materia, et dicit autori quod satis dictum est de angelis vel quod satis multa potest contemplari de angelis per ea quæ dicta sunt. Dicit ergo: *Omai puoi contemplare,* idest, speculari, *dintorno a questo consistorio,* idest, collegium angelorum et consortium, *senz' altro aiutorio,* idest, absque eo quod aliud (1) amplius dicantur, *se le parole mie son ricolte,* idest, si bene collegisti et notasti quæ ego dixi de natura angelica. — *Ma perchè in terra.* Hic Beatrix declarat, quomodo intellectus, memoria et voluntas sit in angelis; et primo proponit se declaraturam errorem æquivocantium doctorum in dictis nominibus, dicens: *Ma ancor dirò perchè tu veggi pura la verità che si confonde laggiù,* scilicet, in mundo mortali plenissimo errorum, *equivocando,* idest, æquivoce capiendo intelligere, memorare, et velle, quæ aliter in angelis, aliter in hominibus se habent, *in sì fatta lettura,* qualis fit ibi (2): Æquivocum enim dicitur etc. Et hoc faciam, *perchè in terra si legge,* scilicet, publice in cathedra, *per le vostre scuole che la natura angelica è tal che intende, e si ricorda, e vuole,* idest, habet intellectum, memoriam et voluntatem. Ad cuius dicti intelligentiam est notandum quod angelus non intelligit per species quas abstrahat (3) a rebus, nec intelligit componendo et dividendo, sicut nos facimus, nec per discursum ratiocinando; et ideo vult dicere autor quod capiendo istud vocabulum *intelligere,* ipsum est magis proprium potentiæ nostræ animæ quam angelis, salvo quod æquivoce (4)

(1) E. aliquid.
(2) E. fit tibi.
(3) E. abstrahit.
(4) E. æquivocari.

potest attribui angelis, et sic confunditur veritas. In angelis enim non sunt intellectus agens, nec possibilis, qui sunt in anima hominis, cum intelligere sit in nobis aliquando in potentia, aliquando in actu. Ergo intellectus non potest dici in angelo nisi æquivoce vel similitudinarie; quia angelus intelligit per species innatas, quia tamen aliqui volunt quod sit simpliciter unum; ideo autor contra tales sic loquitur in litera: de voluntate autem sciendum est quod homo vult bonum per discursum rationis, angelus in instanti. Sicut ergo angelus excellentius intelligit homine, ita debet intelligi, quod in eo sit inclinatio in bonum excellentior quam inclinatio quæ est in nobis [1], quæ appellatur voluntas; et sic est æquivocum. De memoria autem sciendum est quod memoria proprie non est in angelo; nam memoria est potentia animæ fundata in organo corporali, quæ in angelo esse non potest, cum sit substantia spiritualis; præterea memoria est solum de præterito; angelus vero videt in Deo præsentialiter vera et futura. — *Queste.* Hic Beatrix exequitur quod promisit de memoria tantum, et ostendit quod non est in angelo, dicens: *Queste sustanzie,* scilicet, angeli, *poi che furon gioconde della faccia di Dio,* idest, postquam fuerunt beatæ visione divina, *non volser viso da essa,* scilicet, facie Dei, quam continuo contemplantur; et dicit: *da cui nulla si nasconde,* idest, cui nihil est occultum. Et quia nunquam removent visum a facie Dei, ideo subdit quod illa facie vident præsentialiter præteritum, præsens et futurum; unde subdit: *però non hanno veder interciso,* idest, interruptum et immutatum, *da nuovo obietto,* quia non vident rem novam, quasi dicat, quod non cognoscunt nec recolunt sicut nos per obiecta sensuum, qui sæpe decipiuntur. Unde con-

---

(1) E. bonis.

cludit: *e però non bisogna rimemorare per concetto diviso,* sicut in nobis, quia ibi vident omnia semper. — *Sì che.* Hic Beatrix ex dictis arguit errorem doctorum in terris, quorum aliqui ex ignorantia, aliqui ex certa scientia faciunt somnia vana. Unde dicit: *Sì che si sogna laggiù,* scilicet, in terris, *non dormendo, credendo dicer vero,* peccando per ignorantiam, *e non credendo,* dicere verum, peccando scilicet, ex certa scientia, quod est peius; unde dicit: *ma più colpa e più vergogna è nell' uno,* scilicet, in eo qui scienter peccat, non ignoranter; nam certa scientia plus aggravat peccatum quam ignorantia.

Voi non andate. Ista est tertia pars generalis, in qua Beatrix arguit modernos doctores, qui non ex ignorantia, sed ex certa scientia pervertunt scientias propter appetitum apparentiæ, ut videantur excellentiores aliis dicendo nova et inusitata. Dicit ergo: *Voi non andate giù,* scilicet, in mundo mortali, *per un sentiero,* immo diverso calle per diversas opiniones et expositiones *filosofando,* idest, legendo, scribendo, disputando in philosophia et artibus. Et ecce quare: *tanto vi trasporta,* idest, extra rectum tramitem, *l' amor dell' apparenza e il suo pensiero,* quia magis cogitatis (1) apparere quam esse: sicut videmus de facto hodie fere in omnibus facultatibus quod aliqui impugnant Priscianum, aliqui Tullium, aliqui Aristotelem; et si non verbo facto trahentes dicta (2) eorum ad suam opinionem a qua sunt sæpe alienissimi (3). — *Et ancor* Hic Beatrix addit aliud maius inconveniens eorum qui pervertunt divinam scripturam, vel negligunt, quod magis displicet Deo. Dicit ergo: *E questo,* scilicet, fallum, *ancor si comporta quassù,* scilicet, in cœlo in conspectu æterni Judicis, *con men disdegno,* quia portat minus di-

(1) E. excogitatis. (2) E. verba. (3) E. alienissima.

spendium, *che quando la divina scrittura è posposta,* sicut multi prædicatores, qui verecundantur allegare Matthæum, et Marcum, sed solum habent in ore Aristotelem, Averroim, Platonem, Plotinum, et ita de multis (¹); ideo dicit: *e quando è torta,* sicut tota die pervertunt textum Scripturæ, trahendo ad sensus peregrinos, ne dicam improprios vel impertinentes. — *Non vi.* Hic Beatrix arguit temeritatem talium doctorum, qui non ad fructum et utilitatem legentium, sed ad superbam gloriam conantur quotidie facere opera nova; et dicit quod non considerant offensam Dei et sanctorum doctorum, qui magno labore et humilitate fundaverunt eam vel ipsam. Unde dicit: *Non vi si pensa,* scilicet, per tales, *quanto sangue,* scilicet, Christi et sanctorum, *costa seminarla nel mondo, e quanto piace,* scilicet Deo, *chi umilmente s' accosta con essa,* scilicet scriptura sancta. Et subdit finem ad quem unusquisque studet et vigilat, dicens: *ciascun s' ingegna e face sue invenzioni per apparere,* quia scilicet volunt potius apparere et ignorare, quam perfecte scire et non videri, velut si fructus scientiæ consistat solum in apparentia; contra quos ait Persius: *scire tuum nihil est* etc. Loquitur enim Persius ironice, licet multi ignoranter intelligant contrarium; sed certe talia opera bene reddunt sibi vicem, quia sæpe non durant donec vivunt, immo cito impugnantur et vilipenduntur. Et dicit: *e quelle,* scilicet (²) inventiones, *son trascorse da' predicanti, e 'l vangelio si tace.* — *Un dice.* Hic Beatrix ostendit evidenter quomodo conantur facere novas inventiones et adducere novas opiniones in uno puncto passionis Domini, ut sic per unum possis intelligere idem de multis: punctus autem est de illa eclipsi quæ apparuit tempore mortis Christi (³), de qua dicunt

(¹) S. aliis multis. (²) E. scilicet novæ inventiones.
(³) E. Jesu Christi.

aliqui, qui conantur subtiliter exponere, quod luna quæ erat tunc quinta decima recucurrit per sex signa et interposuit se linealiter soli subito; per quam interpositionem lumen solis non pervenit deorsum, et sic facta est eclipsis. Dicit ergo: *Un,* idest, aliquis doctor, *dice che la luna,* quæ erat plena, *si ritorse,* scilicet, usque ad meridionalem circulum, *nella passion di Cristo,* quæ fuit in hora nonæ, *e s' interpose,* scilicet, inter visum nostrum et solem, *perchè 'l lume del sole giù non si porse,* idest, non extendit se ad terram, quasi dicat, propter quod facta est eclipsis. — *E mente.* Hic Beatrix impugnat et irridet dictam opinionem tamquam falsam et impossibilem, quia interpositio lunæ non fuit causa istius eclipsis, quia sol naturaliter loquendo nunquam eclipsari potest simul et semel omnibus gentibus; luna vero sic. In passione autem Domini facta est eclipsis universalis toti orbi; ergo supernaturaliter facta est. Dicit ergo: *e mente,* idest, ille talis sic dicens mentitur per gulam, nec scit quid dicat; nec dicas, *mentre,* sicus textus multi habent, quia tunc esset litera penitus suspensiva et imperfecta. Et ecce quomodo mentitur: *che la luce,* scilicet, solaris, *si nascose da sè,* scilicet, absque aliqua operatione naturali, quia sol justitiæ patiebatur; ideo Dionysius Areopagita qui tunc erat magnus philosophus et astrologus, videns istam eclipsim non naturalem, ex magna admiratione prorupit in exclamationem sic dicens: *aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur;* et tamen ante conversionem suam ipse habuerat illam opinionem jam impugnatam, sicut ipse scribit in epistola ad Polycarpum, quia quando viderat illam eclipsim non naturalem non putaverat ipsam generalem toti mundo. Et assignat rationem sui dicti, dicens: *però tale eclissi rispose,* æqualiter, *agli Ispani,* scilicet, in occidente, *e agl' Indi,* scilicet, in oriente, *come a' Giudei,* scilicet, in

meridie. Et hic nota quare eclipsis solis non potest simul fieri omnibus nationibus, sed in uno climate tantum. — *Non ha.* Hic Beatrix ostendit quod non vult prosequi dictas inventiones novas et vanas quia sunt innumerabiles, ita quod esset longum et inutile transcurrere plures; et confirmat hoc per exemplum jocosum, quia talis materia est ridiculosa, et sæpe inducitur ad dandum delectationem et risum vulgo; unde dicit: *Firenze,* scilicet, patria tua, quæ est civitas florida et populosa multum, *non ha tanti Lapi e Bindi,* quia plurimi sunt sic vocati in Florentia, et plures erant tempore autoris quam modo. Et primo nomen Lapi bene convenit ibi: lapa enim est herba crapulosa, a qua Lapus avarus et loquax de facili adhærens alteri et rapiens; sicut et Venetiis sunt Marcus et Marinus, quæ nomina conveniunt ibi, quia Marcus est patronus civitatis, et Marinus a mari in quo positus est et intus et foris. Et dicit: *quante sì fatte favole,* idest, similes confabulationes, *si gridano,* scilicet, a prædicantibus (1), *per anno in pergamo,* idest, in pulpito, scilicet, publice; et dicit: *quinci e quindi,* scilicet hinc inde opponendo, quia unus conatur dicere contrarium eius quod dixit alter. Et subdit pravum effectum qui sequitur ex talibus fabulis, quia scilicet amissio temporis et diminutio fidei; unde dicit: *sicchè le pecorelle,* idest, auditores simplices et lascivi, qui audiunt prædicatorem et pastorem fraudulentum, *che non sanno,* idest, ignorantes, *tornan dal pasco,* idest, a pabulo, *pasciute di vento,* idest ventosis et vanis verbis, quæ inflant et non alunt; et dicit: *e non le scusa non veder lo danno,* idest, ignorantia non excusat eos, quia non est justa ignorantia, quia crassa etc. — *Non disse.* Hic Beatrix multum detestatur et damnat superbam vanitatem istorum ostendens, quod

---

(1) E. prædicatoribus.

contradicunt Christo et discipulis eius, cuius præceptum primo ponit circa actum prædicandi, dicens: *Non disse Cristo al suo primo convento,* idest, collegio apostolorum, *andate e predicate al mondo ciance,* sicut isti prædicant; *ma,* e contra, *diede loro verace fondamento,* quod fuit [1]: ite et prædicate evangelium omni creaturæ. Et subdit quomodo apostoli obediverunt mandato Christi, dicens: *e quel,* scilicet, evangelium, *tanto,* idest, solummodo, *sonò nelle sue guance,* idest, in oribus ipsorum; quod probat per effectum, quia arma quibus defenderunt fidem sumpserunt ex solis verbis evangelii; unde dicit: *sì che a pugnare,* scilicet, contra infideles, *per accender la fede,* scilicet, in cordibus eorum induratis et frigidis pestifera assuetudine, *fecero scudi e lance,* idest, argumenta et rationes ad opponendum et defendendum fidem, et pungendum et vulnerandum adversarios fidei, *dell' evangelio,* simpliciter; ah quotiens audivi prædicari physica, astrologica et medicinalia mulierculis! ideo non miror si autor lavat ita eis caput. — *Ora.* Hic Beatrix ostendit quomodo moderni prædicantes faciunt oppositum antiquorum discipulorum, dicens: *Ora si va,* idest, hodie itur ad prædicandum, *con motti e con iscede,* idest, truffis; et ecce quare: ut det risum populo, et ipse recipiat ventosam gloriam. Unde dicit: *et il cappuccio,* scilicet, fratris prædicantis, *gonfia,* idest, inflatur vento inanis gloriæ, *pur che ben si rida,* scilicet, a populo audienti; et dicit: *e più non si richede,* scilicet, per prædicatorem, quia non quærit facere alium fructum animarum, sed habere caponem, lucium, vinum vel turtam, et sæpe pecuniam multam a pingui mercatore, divite muliere, et famoso fœneratore. — *Ma tale.* Hic Beatrix ostendit quod pœna est parata statim culpæ, licet sit occulta, dicens: *Ma tal*

---

[1] E. fuit cum dixit illis Jesus.

uccello, scilicet, diabolus qui fingitur cum alis et unguibus, levis ad modum avis, sicut plene positum est in inferno, *s' annida nel becchetto,* idest, absconditur in puncta capucii. Vult dicere autor quod quando prædicator ita lætatur et gloriatur, ridente populo, diabolus latet a tergo ridens fortiter, et tenens eum per crines, dicens: habeo te; unde dicit: *che se 'l vulgo il vedesse,* scilicet, illam talem avem, idest, dæmonium, *vederebbe la perdonanza*, idest, indulgentiam, quam prædicator dat in fine prædicationis, cum dicit: habetis tot annos et tot quarantenas de indulgentia; et cum dicit: indulgentiam, absolutionem etc. — *Per cui.* Hic Beatrix arguit insanam credulitatem hominum, qui ad omnem prædicationem tam faciliter inclinantur sine ratione vel probatione aliqua. Unde petit indignanter: *Per cui tanta stoltezza crebbe in terra, che si converrebbe ad ogni promission,* fallacis indulgentiæ, *sanza pruova d' alcun testimonio,* scilicet privilegii, quod faciat fidem de autoritate magna quam asserunt se habere; vel absque probatione alicuius doctoris sancti, cuius autoritate roborent dictum suum; unde videmus tota die quod credunt, favent, donant, offerunt trutannis, ceretanis, inventoribus qui pulsant campanellas. Et subdit quomodo tales impinguantur, dicens: *di questo,* scilicet, tali promissione indulgentiæ, *santo Antonio ingrassa il porco,* scilicet, quia porcus nutritur et datur istis porcis, scilicet, meretrices; et dicit, *pagando di moneta senza conio,* idest, pecunia falsa, scilicet, fallaci indulgentia etc.

Ma perchè. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Beatrix tractat de natura angelorum; et primo persuadet autori, ut revertatur ad principalem materiam, a qua satis recesserat, dicens: *Ma perchè sem' assai digressi,* idest, quia fecimus satis magnam digressionem a principali proposito, arguentes errorem doctorum et præ-

dicatorum modernorum; ideo, *ritorci gli occhi,* idest, reflecte et reduc speculationem intellectualem, *oramai verso la dritta strada,* idest, principalem materiam angelorum (1); et dicit: *sì che la via si raccorci,* idest, ut materia brevietur, *col tempo,* quia modicum restat de tempore cum simus amodo in fine viæ (2). — *Questa.* Hic Beatrix ostendit multitudinem angelorum esse valde numerosam, dicens: *Questa natura,* scilicet angelica, *s' ingrada sì oltre in numero,* quasi dicat, isti angeli adeo sunt innumerabiles, *che mai non fu loquela, nè concetto mortal che tanto vada,* quasi dicat quod nunquam homo potuit ingenio comprehendere vel explicare sermone numerum angelorum. Et confirmat dictum suum autoritate Danielis prophetæ qui non determinat numerum; unde dicit: *e vedrai che numero determinato si cela,* et si celatur, ergo non determinatur, *in sue migliaia, se tu riguardi quel che si rivela per Daniel,* quia Daniel VIII capitulo scribit: *mille millia ministrabant ei, et decem centena millia assistebant ei;* et sic posuit numerum finitum pro infinito, ut dicit autor, non quia angeli sint infiniti, sed quia non sunt comprehensi sub numero certo. — *La prima.* Hic Beatrix ostendit quomodo gloria divina diffunditur et distribuitur plus et minus per dictos ordines angelorum, dicens: *La prima luce,* idest, æternus splendor Dei, *che tutta la raia,* idest, irradiat dictam naturam angelicam, *si recepe in essa,* scilicet, natura angelica, *per tanti modi,* scilicet, tam variis et diversis, *quanti son li splendori,* idest, angeli, *a che s' appaia,* idest, parificat, quia tantum dat se quantum angelus est receptibilis suæ gratiæ. Et subdit quomodo ordines angelorum, quilibet secundum actum quem concepit, sequitur affectum amandi. Unde dicit: *onde la dolcezza,*

---

(1) E. angelorum, dicens: *sì che.*
(2) E. viæ nostræ. — *Questa.*

scilicet, ipsius amoris, *diversamente ferve e tepe,* idest, est fervens et tepida plus et minus amando, *in essa,* scilicet, natura angelica, *però che l' affetto d' amare,* idest, voluntas amandi, *segue all' atto che concepe,* idest, quem concepit ipsa natura angelica; unde seraphin in actu caritativo incenduntur amore divino et sunt magis supremi; cherubin in actu sapiente [1], throni in actu judiciorum, et ita de aliis. — *Vedi.* Hic Beatrix concludit excellentiam altitudinis et amplitudinis divinæ bonitatis; unde dicit autori: *Vedi omai,* quasi dicat, videre potes et cognoscere per ea quæ dicta sunt, *lo eccelso e la larghezza,* idest, celsitudinem et latitudinem, *dell' eterno valor,* idest, divinæ bonitatis, *poscia che s' ha fatti tanti speculi,* idest, angelos in quibus relucet tam differenter, et repræsentatur divina bonitas, quæ [2] per ipsos transmittitur ad cæteras creaturas; et dicit: *in che si spezza,* idest, in quibus speculis angelicis distribuitur, *valor,* dico, *manendo uno in sè come davanti,* scilicet, ante creationem universi, quia in ipsum non cadit additio, diminutio, vel mutatio etc.

---

(1) E. sapientiæ. (2) E. quia per.

CANTUS TRIGESIMUS, *in quo tractatur de separatione angelorum, et ponitur ascensus ad cœlum empyreum.*

Forse sei mila miglia di lontano. Postquam in capitulo proxime præcedenti autor noster tractavit et determinavit de angelica natura: nunc consequenter in isto XXX capitulo agit et tractat de essentia et de effectu cœli empyrei, et transmutatione et intratione autoris ad videndam omnem gloriam paradisi. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum autor describit disparitionem angelorum et supremam (1) excellentiam pulcritudinis Beatricis. In secunda describit suum ascensum ad cœlum empyreum, quod describit sub figura, ibi: *Cotal qual.* In tertia describit ipsum in propria forma, ibi: *Non è fantin.* In quarta et ultima describit unam sedem vacuam in qua expectatur anima illustris moderni principis, ibi: *In quel gran seggio.* Ad primum ergo dico, quod in prima parte generali autor describit supremum gradum pulcritudinis Beatricis; sed primo antequam veniat ad hoc (2), describit disparitionem angelorum per unam nobilissimam comparationem. Ad cuius comparationis plenissimam intelligentiam est prænotandum, quod autor sententialiter in effectu vult dicere quod ille casus apparuit in illo cœlo nono, qui solet accidere in isto nostro mundo. Nam videmus quod appropinquante ortu solis incipiunt disparere stellæ, et sic illi angeli cœperunt paullatim recedere ab oculis eius, et disparere usque ad unum, solo sole justitiæ ostendente se, et remanente ibi in eius

(1) S. apparentem excellentiam.
(2) E. ad hoc describendum, disparitionem angelorum ponit per unam.

conspectu; sicut de mane in principio diei omnia sidera cœli incipiunt recedere a visu nostro, et disparere sole sensibili oriente, et solo remanente in conspectu nostro. Autor ergo describit hunc actum per longam circuitionem verborum. Ad quod sciendum quod secundum astrologos et geometras tota terra habet in circuitu viginti quatuor millia milliariorum, et [1] sol totam girat in viginti quatuor horis, ita quod omni hora transit mille milliaria. Sequitur ergo quod cum dico hora sexta est longe a sole per sex millia milliaria, quod signum est in prima hora, ita quod autor non vult aliud dicere, nisi quod sumus in principio primæ horæ diei. Præmittit ergo autor casum istum in litera, quam construe sic: *L' ora sesta,* quæ est meridies in æquinoctiali, *ci ferve,* idest, est fervens nobis, quia tunc sol summe calet, *di lontano,* idest, a longe, *forse sei mila miglia,* quæ sunt cursus quartæ partis diei naturalis; nam, cum dies naturalis habet horas viginti quatuor, sol in qualibet hora discurrit mille milliaria huius ambitus terræ. Et dicit: *e questo mondo,* idest terra, *china già l' ombra quasi al letto piano,* quasi dicat, quod nox quæ est umbra terræ recedit a nobis. Et hoc dico fit, *quando il mezzo del cielo a noi profondo,* idest, hemisperium nostrum superius quod nobis est altum: aliqui tamen dicunt inferius, ita quod autor ponit istum casum in hemisperio inferiori, *comincia a farsi tale,* quia scilicet efficitur tam clarum lumine solis advenientis, *ch' alcuna stella,* scilicet, rara, *perde il parere,* quia scilicet disparet, ita quod non possumus amplius eam videre; et dicit: *infino a questo fondo,* idest, usque ad terram istam, quia non disparet in cœlo, sed tantum visui nostro istam terram vel terram inferiorem. Et subdit quod quanto magis lux solis

---

[1] E. et eam sol girat.

ascendit hemisperium, tanto magis omnis stella celatur nobis, adeo quod solum videtur sol. Unde dicit: *e come la chiarissima ancella del sol,* idest, aurora quæ est prænuntia solis, *vien più oltre,* idest, magis ascendit hemisperium, *così il cielo si chiude,* scilicet a nocturnis luminibus, *di vista in vista,* idest, de stella in stellam, *infino alla più bella,* idest solem, qui postea solus apparet et lumine suo velat nobis cætera sidera; et est pulcerrima stella antonomastice.—*Non altrimenti.* Hic autor applicat præmissam comparationem ad propositum, et dicit, quod ita a simili disparuerunt angeli per apparitionem veri solis, scilicet Dei, sicut disparent sidera cœli per apparitionem solis materialis. Unde dicit: *Non altrimenti,* idest, similiter sicut dictum est de stellis, *il trionfo,* scilicet, angelorum, qui triumphant in cœlo de gloriosa victoria quam habuerunt de angelis malis; et dicit, *che lude,* idest, qui ad modum ludentis et festantis girantur, *sempre dintorno al punto che mi vinse,* idest, circa Deum cuius lumen visus suus sustinere non valuit, ut patuit supra: et dicit, *parendo inchiuso da quel ch' egli inchiude:* hoc dicit quia Deus videtur inclusus ab angelis qui circumdant eum, quos tamen ipse includit, quia ipse totum claudit et continet pugillo suo, *si stinse a poco a poco al mio vedere,* quasi dicat, quod paullatim perdidit conspectum angelicorum spirituum a minus lucentibus ad magis lucentes, donec divina lux superveniens superexcessit, ita quod nihil apparebat præter ipsam; unde subdit: *perchè veder nulla,* quia scilicet nihil videbat amplius de natura angelica ibi, *et amor,* scilicet, Beatricis, *mi costrinse tornar con gli occhi,* idest, speculatione intellectuali, *a Beatrice.* Et hic nota quod autor merito fingit quod rediverit ad Beatricem, quia tractaturus erat de altiori materia; quasi dicat: tractato de natura angelica quantum liber iste patitur, oportet tractare de divina, al-

tissima et superexcellentissima; ideo ad exaltandum stylum expedit revidere maius lumen theologiæ. — *Se quanto.* Hic autor intendit ostendere supremum gradum pulcritudinis Beatricis; unde excusat se a descriptione huius postremæ pulcritudinis, quia omnis descriptio esset parva et pauca ad manifestandam istam ultimam et summam pulcritudinem. Unde dicit: *se quanto si dice di lei,* idest, si totum id quod scribitur de pulcritudine eius, *infino a qui,* idest, per totum librum a principio usque ad istum passum, *fosse conchiuso tutto in una loda,* ita quod tot laudes particulares factæ diversimode de ea reducerentur in unam, *poco sarebbe a fornir questa vice,* idest, ad perficiendum istum tractatum. Et bene dicit: nam autor, ascendendo gradatim per omnes speras beatorum et angelorum, continuo superexaltavit pulcritudinem Beatricis; nunc vero cum pervenerit ad visionem Dei, quidquid diceret de pulcritudine (1) esset parum, immo nihil. — *La bellezza.* Hic autor reddit rationem sui dicti, dicens: *La bellezza ch' io vidi si trasmoda,* idest, transit modum et mensuram, *non pur di là da noi,* idest, non solum ultra intellectum humanum; et dicit, *ma certo io credo che solo il suo fattor,* scilicet Deus qui fecit ipsam theologiam, *tutta la goda,* idest intelligat; quasi dicat autor, quod nec intellectus (2) beatus, nec angelicus intelligit perfecte Deum, nec per consequens totam theologiam, quando tractat de ipso Deo; ideo bene Simonides interrogatus quid esset Deus, egregie et caute se exoneravit etc. — *Da questo.* Hic autor profitetur insufficientiam suam in hoc per comparationem; et breviter dicit quod nullus fuit poeta unquam, comœdus vel tragœdus ita superatus a materia sua ardua, quam assumpserit describendam (3), sicut nunc ipse autor a præsenti

(1) E. pulcritudine Beatricis foret parum.
(2) E. intellectus humanus beatus. (3) S. ad scribendam.

materia. Unde dicit: *io mi concedo vinto da questo passo,* per quem nunc habeo transire, *più che giammai comico o tragedo fosse suprato,* idest, superatus, *da punto di sua tema.* Comicus enim appellatur poeta qui describit comœdiam, idest, bassam materiam; tragicus vero qui describit tragœdiam, idest, altam materiam, ut expositum est plene primo capitulo Inferni et alibi sæpe. Et hic nota quod autor merito hoc fingit, quia nunquam fuit poeta qui tam altam materiam sumpserit, sicut autor nunc qui describit divinam essentiam in trinitate et unitate, humanitate et divinitate; et sic perpendere potes quomodo comparatio sit propria. — *Chè come.* Hic autor describit debilitatem suæ mentis per locum a simili; et breviter arguit sic: sicut se habet oculus infirmus ad lucem solis, ita mens mea ad lucem Beatricis, quæ nunc ostensura erat mihi æternum solem. Unde dicit: *Chè lo rimembrare del dolce riso,* idest, memoria dulcis lætitiæ (1) Beatricis, *scema la mente mia da sè medesma,* idest, debilitat meam memoriam et diminuit, *così come sol,* supple, scimat lucem, *in viso che più trema,* idest, maxime in infirmo et debili. Sic (2) enim se habet oculus noctuæ ad lucem solis (3) etc. — *Dal primo.* Hic autor ostendit quomodo hic finitur ultimum de potentia in descriptione pulcritudinis Beatricis, et breviter dicit, quod per totum discursum istius Paradisi nunquam tantum exaltavit pulcritudinem Beatricis quin (4) potuerit adhuc magis exaltare ipsam; sed modo amplius non potest cum pervenerit ad ultimum finem. Construe sic literam: *Il seguir,* idest, prosequi pulcritudinem Beatricis, *non m' è preciso,* idest, non est ablatum vel amputatum mihi, *al mio cantar,* idest, meæ descriptioni poeticæ, *dal primo giorno,* idest,

(1) E. memoriæ.

(2) E. Sicut enim.

(3) S. solis, ita sensus noster ad ea quæ incomprehensibilia sunt in natura. — *Dal.*

(4) E. quando potuerit magis.

a primo loco sive principio huius libri, ubi incipit: *La gloria di colui* etc.; unde dicit: *ch' io vidi il suo viso in questa vita,* scilicet æterna; et non intelligas hic de vita corporali, in qua autor primo vidit oculis corporalibus Beatricem, et captus est amore eius, quia tantum autor incipit describere exaltationem pulcritudinis istius dominæ in principio Paradisi; et dicit: *infino a questa vista,* idest, ad istam visionem extremæ pulcritudinis, cuius excellentia nullatenus explicari potest, quia superius descripsi mundum pulcrum; nunc autem descripturus sum Deum qui est pulcerrimus ipse. Et subdit: *ma or convien che il mio seguir,* idest, meum procedere ulterius in descriptione pulcritudinis eius, *desista,* idest, cesset; unde dicit: *poetando più dietro a sua bellezza;* et probat dictum suum per similitudinem propriam dicens: *come ciascuno artista,* idest, quilibet artifex, supple desistit et cessat, *all' ultimo suo,* idest, fini suo, sicut pictor quando facit ultimum de potentia in figura, in qua expendit omnes vires ingenii sui, desistit et cessat; de quo loquitur Valerius, quod consumpsit omnes vires sui ingenii; ita poeta noster in finali descriptione suæ poetriæ desistit.

Cotal. Ista est secunda pars generalis, in qua autor describit suum ascensum ad cœlum empyreum, quod describit in generali. Et primo ostendit quomodo Beatrix excellentissima fecerit eum attentum ad cœlum empyreum, dicens: et ipsa Beatrix, *Cotal,* quasi dicat, pulcerrima tamquam in suo ultimo termino; unde dicit, *qual io la lascio a maggior bando,* idest maiori præconio excellentioris poetæ theologi; sed quis erit ille et laudabimus eum? imaginare ubi vel quando fuit hucusque theologus, qui sciret describere materiam hanc? *che quel della mia tuba,* idest, quam sit præconium meæ vocis poeticæ, quæ non potest amplius proclamare. Et dicit: *che deduce l' ardua sua materia terminando,*

quia scilicet festinat ad finem suæ altæ et fortis materiæ, qua non est dare altiorem nec fortiorem, *ricominciò,* supple, dicere, *con atto e voce d'espedito duce: noi siamo usciti fuor del maggior corpo,* idest, extra nonam speram, *al ciel ch'è pura luce,* idest, ad cœlum empyreum. Et subdit descriptionem vel illius veræ lucis, dicens: *luce intellettuale,* ad differentiam lucis corporalis, quam sæpe tenebra offuscat; et dicit: *piena d'amore,* scilicet, divino, quia cœlum empyreum, in quo est Deus omnipotens cum angelis et beatis (1) est totum conflatum ex luce et amore, ut jam sæpe dictum est, sed dicit: *amor di vero bene,* scilicet, summi boni ad differentiam boni temporalis, quod non est verum sed fallax bonum; sed dicit: *pien di letizia,* ad differentiam amoris vel boni corporalis quod est plenum amaritudine et tristitia; et dicit: *letizia che trascende ogni dolciore,* quia (2) omne dulce et delectabile est in illa lætitia sempiterna; et hic facit colorem rhetoricum, qui dicitur gradatio. — *Qui.* Hic Beatrix proponit autori familiam quam visurus est in curia æterni regis, dicens: *qui vederai l'una e l'altra milizia,* scilicet, chorum beatarum animarum, et chorum angelorum; angelorum, inquam, militantium in cœlo; animarum quæ militaverunt in terra. Angeli enim boni a principio pugnaverunt in cœlo contra angelos malos, sicut animæ beatæ pugnaverunt in terra contra adversarios, quæ modo triumphant in paradiso. Vel expone: *l'una e l'altra* (3), idest, illos de Veteri et Novo Testamento, quia utrique militaverunt in terra, et nunc triumphant in cœlo; sed prima expositio est verior, ut autor expresse dicit infra ubi dicit: *Sì ch'io vidi.* Et dicit: *e l'una,* scilicet, militiam, videbis, *in quelli aspetti,* scilicet, hu-

(1) E. et Beatrix. (2) S. quia dulce et delectabile est lætitia sempiterna.

(3) E. e S. *l'altra,* scilicet, circa trinitatem et circa nostram Dominam: vel dicas: *l'una e l'altra,* idest, illos.

manis, *che tu vedrai all' ultima giustizia,* idest, in die judicii quando animæ humanæ erunt reconiunctæ corporibus post resurrectionem, in quo aspectu humano tunc etiam videbuntur Christus (1) et beata Virgo. — *Come.* Hic autor ostendit quomodo lux divina superveniens subito circumclusit eum ad videndam (2), et vigoravit et disposuit eum ad divinam gratiam, per unam comparationem propriam et expressivam talis actus: et breviter vult dicere quod lux divina subito impetu cooperuit ipsum ita, quod nihil videre poterat sicut lampus qui fit quando fulgurat, qui suo splendore privat oculos actu videndi, ita quod nihil aliud vident. Construe sic literam: *Luce viva,* scilicet, divina, quæ nunquam moritur, nunquam deficit, *mi circonfulse,* idest, circumlustravit me, *e lasciommi fasciato di tal velo,* idest, tam excellenti, *del suo fulgore,* idest, splendore, *che nulla m' appariva,* idest, nil aliud videbam, a simili, *così come subito lampo,* supple, circumfulget et velat visum, *che discetti,* idest, dividat, *gli spiriti visivi,* scilicet, oculorum humanorum, *sì che priva l' occhio dell' atto di più forti obietti,* quia scilicet non potest videre alia obiecta fortiora in illo momento; vel forte melius diceret: *de' men forti.* — *Sempre.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix videns eum attonitum hortata est eum prædicens sibi effectum illius excellentis lucis quæ venit propter facere ipsum dispositum ad videndam gratiam suam, et gloriam paradisi. Unde dicit Beatrix: *Sempre l' amore,* scilicet, Deus, *che queta questo cielo,* idest, quietat et stabilit cœlum empyreum, quod nescit motum, sicut cæteræ speræ inferiores, quæ nesciunt quietem, *accoglie in sè,* scilicet, hominem quem vocat ad videndum se, *così fatta salute,* sicut fecit in te, o Dantes: et assignat causam, di-

(1) E. Dominus noster Jesus Christus. (2) E. videndum.

cens: *per fare il candelo,* idest, ardentem spiritum hominis, *disposto a sua fiamma,* idest, ad eius amorem et lucem. — *Non fur.* Hic autor declarat veritatem (1) illius effectus in se, sicut Beatrix prædixerat, dicens: *Queste brevi parole,* scilicet, dicta per Beatricem, *non fur venute più tosto dentro a me, ch' io compresi me sormontare,* idest, me supercrescere in virtute; unde dicit, *sopra mia virtute,* idest, ultra virtutem solitam: sicut enim crescente pulcritudine Beatricis gradatim crevit virtus autoris; ita nunc Beatrice perveniente ad ultimum gradum pulcritudinis, virtus autoris pervenit ad summum gradum virtutis. Unde subdit: *e di novella vista mi raccesi,* quia resumpsi acutiorem et fortiorem visum; unde dicit: *tale, che nulla luce è tanto mera,* idest, pura et clara, *che gli occhi miei non si fosser difesi;* et merito, quia si poterant sustinere lucem summam, facile poterant sustinere lucem solis et omnem aliam. — *E vidi.* Hic autor describit paradisum transumptive; et sua alta et nobili phantasia fingit se unum lumen in modum fluminis decurrentis inter duas ripas floridas, et ex flumine saltabant ardentes favillæ in ripas fluminis, quæ captato odore florum resaliebant et se mergebant in aquam fluminis. Ad cuius fictionis evidentiam est prænotandum quod aliqui vana somniantes ignoranter dixerunt, quod autor hic figurat cœlum crystallinum, et fundant se super dictum prophetæ, qui dicit: Benedicite aquæ quæ super cœlos sunt Domino; sed certe istud est fatuum et falsum dicere, tum quia autor jam intravit cœlum empyreum, sicut jam patuit paulo ante, ergo super cœlum empyreum non describeret crystallinum, posito quod esset dare tale cœlum, tum quia autor dicet paullo infra, quod oportet bibere de tali aqua: ideo dico quod per

---

(1) E. virtutem.

istud lumen decurrens ad modum fluminis autor figuraliter manifestat divinam gratiam. Sicut enim aqua fluminis descendit a monte ad vallem, ita divina gratia descendit et fluit a Deo ad mentes hominum. Per duas ripas intelligit duos choros beatorum (1) Veteris et Novi Testamenti, quos irrigat aqua dicti fluminis. Flores sunt ipsi sancti et beati qui virent humore dictæ (2) aquæ. Favillæ volantes sunt angeli (3) ardentes, qui ministrant et portant istam gratiam. Nunc ergo litera clarebit, quæ est de se difficilis et obscura, quam sic expone: *E vidi lume,* scilicet unum lumen copiosum, *in forma di riviera,* idest, unius rivi vel fluminis; et dicit, *fulvido di fulgori,* idest, rubeum splendore, *intra duo rive dipinte di mirabil primavera,* idest, adornatas variis et mirabilibus floribus in forma, colore et odore, quasi dicat, florentissimis spiritibus beatorum. — *Di tal.* Hic autor, descripto flumine amœnissimo, describit aves portantes de aqua dicti fluminis ad flores, dicens: *Faville vive,* idest, angeli volantes splendidi et vivaces, *uscian di tal fiumana,* idest, illius rivi fulgidi vel fluidi; et dicit: *e si mettean nei fiori d' ogni parte,* idest, ex utraque ripa, a simili, *quasi rubino che,* idest, quem, *oro circonscrive,* idest, claudit; quasi dicat: singulæ favillæ, idest, angeli includebantur intra singulos flores, sicut rubinus includitur et ligatur in auro; et est conveniens comparatio: angelus enim rubens, splendidus bene comparatur auro perfecto et probato in fornace tribulationis huius mundi. Et subdit alium actum dictarum favillarum, dicens: *poi,* illæ favillæ angelicæ, *come inebbriate dagli odori,* quia angeli miro modo amorantur sanctis et virtuosis operationibus perfectorum, *riprofondavan sè nel miro gurge,* idest, iterum mergebant se in aqua prædicti mirabilis fluminis

(1) E. beatorum, Veteris scilicet et Novi. (2) E. eiusdem aquæ.
(3) E. angeli amore Dei ardentes.

ad ingurgitandum de aqua; et dicit: *e s' una,* scilicet, favilla, *intrava,* idest, in gurgitem, *un' altra n' uscia fuori.* Et per hoc notat quod angeli sunt in continuo exercitio ministrantes et portantes diversis de divina gratia. — *L'alto disio.* Hic Beatrix commendat desiderium autoris, qui toto animo desiderabat scire quid sibi vellet istud stupendum spectaculum: et dicit quod oportet quod contentet desiderium suum; unde dicit: *L' alto disio,* idest, ardens desiderium, *che mo t' infiamma et urge,* idest, accendit et impellit, *d' aver notizia di ciò che tu vei,* idest, habendi cognitionem de omnibus visis, quia scilicet, vis cognoscere quid est illud flumen, quid flores riparum, quid favillæ quæ portantur (1) aqua fluminis et ebriantur odore florum, *tanto mi piace più quanto più turge,* idest, quanto plus intumescit et excrescit, quia quanto intensior erit sitis, tanto dulcior erit potus: et ideo subdit: *ma convien che tu bei di questa acqua;* hæc est illa aqua de qua loquitur autor in Purgatorio, ubi dicit: *La sete natural che mai non sazia, Se non con l' acqua onde la femminetta Samaritana domandò la grazia.* Hæc ergo aqua est divina gratia. Et dicit: *prima che tanta sete in te si sazii,* idest, antequam tantum desiderium quietetur in te; et declarat a quo audiverit prædicta verba, dicens: *così mi disse il sol degli occhi miei,* idest, Beatrix, cuius radiis illuminabantur oculi intellectuales autoris. — *Anche.* Hic autor addit quomodo Beatrix ad accendendam magis suam sitim subiunxit, quod res visæ per eum sub dicta forma, quamvis viderentur ita mirabiles et delectabiles, non erant in propria forma, sed ostendebantur sibi sub figura; unde dicit: et illa Beatrix, *anche soggiunse: il fiume e li topazii,* idest, illæ favillæ pretiosæ, *ch' entrano et escono*, scilicet de dicto rivo

---

(1) S. portant aquam fluminis.

e 'l ridere dell' erbe, idest, viriditas florum, *son ombriferi prefazii,* quasi dicat, sunt præfigurativi et significativi, *di lor vero,* idest, eorum propriæ et veræ essentiæ, ita quod sunt quædam præfigurationes et prædictiones rerum verarum sequutarum. Et respondet quæstioni tacitæ, quia enim autor posset obiicere: ista divina occulta ostenduntur hominibus in terra sub figura et velamine, sed hic in summo cœlo apud summam lucem deberent ostendi clare. Hanc dubitationem excludit Beatrix, dicens: *non che queste cose siano acerbe da sè,* quia de rei veritate istud non est falsum, aquæ (1), nec flores, nec favillæ; sed sunt lumen divinæ gratiæ, animæ beatæ, angelici spiritus, odor (2) bonitatis beatorum. Et ecce quare talia videantur, *ma è difetto dalla parte tua,* idest, ratione infirmæ virtutis tuæ visivæ; unde dicit: *che non hai viste ancor tanto superbe,* idest, altas et nobiles, ita quod superbum capitur hic in bona parte, sicut sæpe apud Virgilium et alios; et hoc est quia nondum gustasti de dulcedine huius aquæ.

Non è fantin. Ista est tertia pars generalis, in qua autor describit cœlestem curiam in propria forma, quam prius descripserat sub figura; et primo ostendit quomodo factus avidissimus ad persuasionem Beatricis inclinaverit se ad bibendum de aqua illa, per comparationem domesticam et claram, dicens: *Non è fantin che sì subito rua,* idest, extendat se et inclinet, *col volto verso il latte,* scilicet, matris vel nutricis; et dicit: *se si svegli,* idest (3), evigilet, *molto tardato dall' usanza sua,* idest, si multum dormuit (4) ultra solitum, quia tunc est valde famelicus, *come fec' io,* idest, sicut subito ego rui, *chinandomi all' onda,* idest, ad aquam dicti fluminis, *che si deriva,* idest, deorsum labitur, *perchè vi s' immegli,* idest, melioretur ex

(1) E. aqua.
(2) E. ordo.
(3) S. idest, vigilet.
(4) E. dormivit.

potu illius gratiæ. Et ostendit quare inclinaverit se ad bibendum de aqua, dicens: *per far ancor migliori spegli,* idest, specula, *degli occhi,* quasi dicat: habebam oculos bonos, quia vigoratos luce, quæ circumfulsit me paullo supra, sed non sufficiebant adhuc; ideo ad faciendum ipsos meliores volui bibere de illa aqua quæ non bibitur nisi cum oculis intellectualibus, intelligas. Et nota quod comparatio est propria de infantulo ad matrem vel nutricem, quia, ut alias dictum est, Beatrix tamquam pia mater diligenter fovet alumnos suos, primo lacte, deinde pane, idest, levi et forti doctrina. Sicut ergo infantulus qui multum stetit sine cibo, urgente fame, se porrigit versus lac; ita autor qui multum steterat, videre suo, sine declaratione illius figuræ, urgente desiderio, subito se inclinavit versus undam ad sedandam sitim. — *E sì come.* Hic autor describit effectum illius potationis et efficaciam illius aquæ, quæ vigoravit virtutem visivam ad videnda prædicta in propria forma et vera essentia; unde dicit: *E sì come,* idest, quam cito, *la gronda delle palpebre mie,* idest, extremitas vel summitas oculorum meorum, *bevve di lei,* idest, gustaverunt summotenus de illa aqua, *così mi parve di sua lunghezza divenuta tonda,* idest, quod longum fluminis visum fuit sibi esse effectum rotundum, quia scilicet videbat rosam rotundam; et ita forma florum et favillarum mutata est ibi, sicut manifestatur statim. — *Poi.* Hic autor declarata mutatione fluminis, declarat mutationem florum et favillarum per unam comparationem propriam; et breviter vult dicere quod accidit de istis sicut de hominibus, qui aliquandiu portaverunt larvas sub quibus non cognoscebantur, qui postea illis depositis apparent in propria forma humana et pulcriori; ita a simili beati et angeli, qui primo latuerunt sub figura florum et favillarum, postea depo-

sita illa figura apparuerunt autori in propria forma humana et angelica. Construe sic literam: *Poi li fiori e le faville mi si cambiaro in maggior feste,* idest, apparuerunt mihi in pulcriori et nobiliori figura: et quæ fuerit illa figura ostendit, dicens: *sì ch' io vidi ambo le corti del ciel manifeste,* scilicet, hominum et angelorum; et ita apparuerunt, *così come gente stata sotto larve;* est enim larva velamen, quo quis transfigurat faciem propriam quæ vulgo appellatur *maschera — che pare altro che prima,* quia videtur facies pulcra et sana, ubi primo apparebat turpis et terribilis; et hoc dico: *se si sveste,* idest, si illa gens expoliet se, *la sembianza non sua,* idest, apparentiam impropriam et alienam; et dicit, *in che disparve,* idest, sub qua latuit et occultata fuit: et sic vide quomodo comparatio est consona huic transmutationi. — *O splendor.* Hic autor descripturus veram formam paradisi implorat subsidium divinæ gratiæ, ut possit referre qualitatem huius visionis; unde dicit: *O splendor di Dio,* idest, o lux divina, *per cui io vidi,* idest, cuius gratia ego vidi, degustata illa aqua, quæ erat lumen discurrens ad modum aquæ, ut paullo ante dictum est, *l' alto trionfo,* scilicet, beatos et angelos qui triumphant in alto cœlo de eorum victoriis, ut totiens dictum est; unde dicit, *del regno verace,* quod semper floret et nunquam perdit regem, sub quo et a quo sunt omnia regna regum, quæ transfert de gente in gentem, *dammi virtù,* idest, præsta mihi potentiam, *a dir com' io lo vidi,* idest, ad describendum veram formam in qua vidi ipsum triumphum hominum et angelorum. — *Lume.* Hic autor facta invocatione continuo describit regnum, in quo gloriatur dictus triumphus. Et breviter vult dicere quod illud lumen divinum, quod primo videbatur extendi in longum, erat nunc rotundum; et hoc est quod vocatur cœlum empyreum, quod non est corporale sicut cæteri cœli,

immo spirituale, immobile, nec est aliud quam ipsa lux divina et amor divinus. Unde dicit: *Lume è lassù,* idest, apud punctum altissimum, *che face visibile lo Creatore,* scilicet, Deum invisibilem, *a quella creatura,* scilicet, beatæ vel angelicæ; et dicit: *che ha la sua pace solo in veder lui,* quia aliud non est paradisus quam videre Deum: vult ergo in effectu dicere, quod lumen divinæ gratiæ disponit spiritum beatum et angelicum ad videndum (1) tantum quantum placet ipsi Creatori videri per ipsam creaturam. Nulla enim est creatura videns quam non oporteat esse illuminatam ab illa luce. — *E si.* Hic autor describit qualitatem et quantitatem illius luminis quod facit dictum cœlum empyreum, dicens: et illud lumen, *si distende,* idest, dilatatur, *in circular figura,* et plena ipso lumine, quæ figura circularis est perfectior quam intelligere possumus; et dicit de quantitate, *in tanto, che la sua circonferenza sarebbe troppo larga cintura al sole,* quasi dicat: quamvis sol sit maius corpus cœleste; est enim maior terra centies, et illuminet totum mundum vicibus, tamen esset centrum et punctum intra illud cœlum empyreum, et minimum punctum. Et subdit quomodo fiat visibile dictum lumen; sicut lumen solis efficitur nobis visibile per reverberationem et refractionem radiorum in terram, ita illud lumen divinum per reflexionem suorum radiorum super speram nonam. Unde (2), *tutta sua parvenza,* idest, tota apparentia illius luminis, *fassi di raggio,* illius eiusdem luminis, *reflesso al sommo del mobile primo,* idest, super convexum nonæ speræ: et dicit: *che,* idest, quod primum mobile, *prende quinci,* scilicet, a radio summi luminis, *vivere e potenza,* quia capit motum, virtutem, et potestatem quam habet super omnes cœlos quos

---

(1) E. ad videndum se tantum. (2) E. Unde dicit: *tutta.*

secum trahit, movet et regit, ut totiens dictum est. — *E come.* Hic autor descripto loco nunc describit flores, per unam comparationem delectabilem; et breviter vult dicere, quod illæ animæ beatæ circumcirca in gyrum speculabantur se in illo lumine quod descendit in circularem figuram, et ab illo recipiunt fulgorem et beatitudinem. Et ad intelligendam plane comparationem est præsciendum quod autor ponit talem casum: ponatur quod sit unus collis pulcer, amœnus, vestitus arbusculis et floribus, et sub eo ad pedes eius currat unum flumen limpidissimum, in cuius aqua appareat figura istius colliculi cum toto ornatu suo; ita a simili illæ animæ quæ erant in concavitate rosæ speculabantur se in illa luce purissima, quæ erat in circulo medio ubi est flos rosæ, et trahebant inde visionem suæ beatitudinis et magnitudinem gloriæ. Hoc præmisso veniendum est ad literam, quam ordina et construe congrue quia est satis intricata et difficilis. Dicit ergo sic: *E vidi,* scilicet ego Dantes, *sì soprastando,* idest, stans supra primum mobile, vidi, *quanto di noi ha fatto ritorno lassù,* quasi dicat: quotquot animæ rationales rediverunt ad cœlum et beatificatæ sunt ibi, *specchiarsi intorno intorno al lume,* quod erat in medio circuli; et dicit: *in più di mille soglie,* idest, in infinitis sedibus, quia innumerabiles sunt gradus beatitudinis, unde ponit numerum pro numero. Et hic nota ad pleniorem intelligentiam dictorum et dicendorum unum exemplum grossum: respice unam scutellam quæ habeat in medio fundo unum circulum lucis; deinde per concavitatem interius usque ad supremam extremitatem sit plena sedibus animarum beatarum; nunc redi supra: et illæ animæ beatæ ita speculabantur se in lumine, *come clivo,* idest, monticulus pendens, *si specchia in acqua di suo imo,* idest, quæ labitur in concavitate vallis ad radices illius clivi; et dicit: *quasi*

per vedersi adorno quando è opimo, idest, fertilis et abundans, *nel verde e nei fioretti,* scilicet, tempore veris. Et nota quod autor facit hic colorem rhetoricum, qui dicitur confirmatio, quia attribuit proprietatem rei animatæ rei inanimatæ; dat enim videre monticulo, quod est proprium ipsius hominis videntis ipsum monticulum: et est pulcerrimus modus loquendi, quem valde commendat Aristoteles in sua poetria, et dat ibi [1] exemplum pulcerrimum etc. Et tangit latitudinem immensam huius luminis circularis arguens a minori sic: *e la larghezza di questa rosa,* idest, istius luminis cœli empyrei, quod est in forma candidæ rosæ, ut autor manifestabit in principio sequentis capituli, *quanto è nell' estreme foglie,* idest, quantum debet esse in extremitate, idest, in circumferentia, quasi dicat: multissimum sive plurimum, *se l' infimo grado,* idest, bassior prope circulum rosæ, ubi est lux, *raccoglie in sè sì grande lume,* idest, capit et continet talem et tantam lucem. — *La vista.* Hic autor describit magnam potentiam sui visus qui comprehendebat totum, ita quod precatio superius facta ab autore bene erat exaudita; unde dicit: *La vista mia,* idest potentia visiva intellectualis, *non si smarriva nell' ampio,* idest, latitudine, *e nell' altezza, ma tutto prendeva,* idest, in totum comprehendebat, *il quanto e 'l quale,* idest, qualitatem et quantitatem, *di quella allegrezza,* idest, illius lucis luminosæ, quæ continet intra se omnem lætitiam, delectationem et beatitudinem, quia ibi est summum bonum. — *Presso.* Hic autor respondet cuidam quæstioni tacitæ; posset enim sibi obiici: quomodo dicis verum quod tu comprehenderis cum visu amplitudinem et altitudinem illius cœli empyrei? istud videtur impossibile per naturam, quod potentia visiva oculi humani tantum

---

(1) E. et dat sibi exemplum pulcerrimum ut ibi etc. Et.

comprehendat. Respondet autor et bene, quod istæ differentiæ naturales, altum, bassum [1], longinquum non habent locum ibi, ita quod distantia loci non impedit visionem. Dicit ergo: *Presso e lontano lì nè pon nè leva,* quasi dicat, nihil operatur, nihil habet facere; et reddit rationem optimam, dicens: *chè,* idest, quia, *la legge natural,* idest, naturæ naturatæ vel rationalis, *nulla rilieva,* idest, nihil portat et nullum habet locum, *dove Dio governa senza mezzo,* idest, in cœlo empyreo, ubi Deus non utitur instrumento cœli, sicut facit in istis inferioribus; sicut gratia exempli ista lex et regula naturalis [2], scilicet quod illa spera quæ plus appropinquat [3] cœlo, centro mundi, est materialior, et quæ magis distat est formalior, non habet locum ibi, et ita de omnibus. — *Nel giallo.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix ipsum ad medium rosæ traxerit, et ostenderit sibi totum populum beatorum. Construe sic literam quæ male construitur a multis: *Beatrice trassemi,* talem supple, *qual è colui che tace e dicer vuole,* quasi dicat, traxit me tacitum, sed parantem loqui et petere: et ecce quomodo traxit me, *nel giallo della rosa sempiterna,* idest, florem qui est in medio; et dicit: *che si rigrada,* idest, quæ rosa gradatim extenditur, *e dilata e redole odor di lode,* ex illis tot floribus beatis qui sunt in ea, *al sol che sempre verna,* idest, ad radium æterni solis Dei, qui facit ibi sempiternum ver, et illam rosam facit perfectam pulcritudine, latitudine et odore, et semper conservat, ita quod non floret ad tempus sicut nostræ rosæ quæ cito arent et vanescunt. Et subdit: *e disse,* supple, illa Beatrix, *mira quanto è il convento delle bianche stole!* idest, vide et inspice quantum est collegium animarum beatarum! de quibus albis stolis loquitur Johannes in Apocalypsi, ut

---

(1) E. bassum, longum, propinquum non habent.
(2) E. naturalis est, scilicet. (3) E. appropinquat centro.

alibi dictum est. — *Vedi.* Hic autor ostendit quid Beatrix ostenderit [1] sibi, dicens: *Vedi nostra città quant' ella gira!* idest, vide quantum habet de ambitu nostra cœlestis Jerusalem. Et dicit: *vedi li nostri scanni sì ripieni,* idest, sedes rosæ repletas beatis, *che poca gente omai ci si disira.* Et hic nota quod autor dicit, quod pauca gens amplius expectatur ibi respectu multitudinis quæ ibi est; et dat intelligi quod tempus venit ad suum finem. Debet enim gens humana beata esse determinata in numero certo, scilicet quod tot sint salvi, quot angeli mali qui ceciderunt secundum aliquos; alii tamen dicunt quod adhuc sint tot quot sunt boni angeli, ita quod sint duo ordines, unus totus animarum, alter angelorum æqualium in numero: vel melius secundum Thomam, Deus scit numerum electorum, ideo autor non nominat determinate deficientiam; sed caute dicit: *poca gente,* quia sumus in ultima ætate, in qua finiturus est mundus.

In quel gran seggio. Ista est quarta et ultima pars [2], in qua autor describit in speciali unam sedem vacuam eminentem inter alias, in qua expectatur anima illustris cuiusdam magnifici principis. Ad cuius literæ intelligentiam est præsciendum, quod iste de quo autor loquitur hic fuit Henricus VI imperator, qui imperabat tempore autoris, qui de consensu Clementis IV de Vasconia descendit in Italiam et multa magnifice gessit, quæ vide etc. Ad literam ergo autor prænuntiat indignam et intempestivam mortem huius Henrici. Construe ergo sic literam: *E l'alma,* idest, anima illustris, *dell' alto Enrico,* idest, magnanimi imperatoris Henrici VI, qui alta tentabat; unde dicit: *che fia là giù agosta,* idest, quæ anima imperabit in terra; omnis enim imperator vocatur augustus a Cæsare Augusto, ut dictum est primo capitulo Inferni,

---

(1) S. ostendit sibi.

(2) E. pars generalis huius capituli, in qua.

et alibi sæpe; et dicit: *ch' a drizzar Italia verrà in prima ch'ella sia disposta,* quasi dicat: non invenit eam bene dispositam ad rectum et certum regnum unius monarcæ propter partialitates, tyrannides et bella intestina, *sederà in quel gran seggio,* idest, insidebit illud altum solium, quale decet maiestatem imperialis culminis in principe tam virtuoso; et dicit: *a che tu gli occhi tieni,* idest, quod solum tu specialiter inspicis, *per la corona che v' è già su posta,* idest, propter coronam gloriæ quæ est jam præparata meritis suis, sicut coronam imperialem digne promeruit in terra; et dicit, *pria che tu ceni a queste nozze,* quasi dicat: antequam moriaris et venias ad istam gloriam, ubi etiam tu expectaris divina gratia et meritis tuis. Unde volo quod intelligas tacite, quod Beatrix ostendit autori sedem ipsius vacuam cum corona laurea suspensa desuper. Et bene dicit: antequam cœnet ibi, quia Henricus præfatus mortuus est MCCCXIII die XXIV augusti in Tuscia in castello quod dicitur Bonconvento; autor vero mortuus est MCCCXXI de mense septembris in festo sanctæ crucis in civitate Ravennæ, ubi sepultus est apud locum fratrum minorum in sepulcro magno cum tali epitaphio quod fecit Johannes de Virgilio bonus contemporaneus eius et amicus. — *La cieca.* Hic Beatrix assignat causam generalem quare Henricus non diriget Italiam, dicens: *La cieca cupidigia,* idest, cupiditas, quæ obcæcat vos italicos, ita ut non videatis proprium commodum, *che v' ammalia,* idest, quæ fascinat vos more incantatricum, *v' ha fatti simili al fantolino che muor per fame e caccia via la balia,* et est pulcerrima similitudo: sicut enim infantulus aliquando pro nihilo indignatus afficitur fame, et tamen renuit cibum quem porrigit sibi pia nutrix sua, ut quietet fletum eius; ita vos italici pro nihilo irati et indignati sicut pro vana partialitate morimini fame, et omni malo incommodo

propter bella vestra, et tamen respuitis succursum et remedium quod aliquando porrigit vel mater ecclesia, vel imperialis aula; tamen, quidquid dicat autor, nescio quid utile faciant in Italia gallici vel germanici, nisi rapinas publice et privatim. — *E fia.* Hic Beatrix assignat causam specialem quare Henricus non potuit consequi finem suum, scilicet illegalitatem Clementis IV de Vasconia; unde dicit: *E tale fia allora Prefetto nel foro divino,* quasi dicat: unus erit tunc papa Præfectus rebus sacris: et non dicas, *perfetto,* sicut multi textus habent, quia tunc esset implicatio contradictionis in litera; *che non andrà con lui per un camino palese e coverto,* quia manifeste videbatur favere sibi, et occulte erat sibi infestus; et ordinavit et consensit quod rex Robertus resisteret sibi, et impediret eius coronationem et processum; propter quod Henricus damnavit et privavit ipsum Robertum in civitate Pisana: et continuo Clemens revocavit et annullavit sententiam Henrici, sicut de utroque actu vidi publica instrumenta. — *Ma poco.* Hic Beatrix prænuntiat mortem et pœnam prædicto Clementi in brevi, dicens: *Ma,* dictus Clemens papa, *sarà poi poco sofferto da Dio nel santo ufficio,* scilicet, in papatu; et bene parum, quia Clemens supervixit dicto Henrico circa septem menses cum dimidio, ut audivi. Et dicit: *ch' el sarà detruso,* idest, impulsus [1], *là dove Simon mago è per suo merto,* idest, in tertiam bulgiam, ubi puniuntur simoniaci; et dicit: *e farà quel d'Alagna andar più giuso,* idest, Bonifacium VIII qui fuit de Anagnia civitate Campaniæ, ut scriptum est Inferni capitulo XVIIII, ubi autor etiam prænuntiavit [2] dictam mortem et pœnam infamiæ Clementis. Et hic ultimo nota quod autor tantopere deplorat indignam mortem Henrici, et commendat

---

(1) E. pulsus. (2) E. prænuntiat.

eius altam virtutem, quia ipsum cognovit in vita et familiariter coluit, quia per eum speravit reduci in patriam. Quod conatur persuadere sibi in aliquibus epistolis suis, sed multo fortius in quodam suo libello quem intitulavit Monarchiam, qui liber fuit quasi occultus usque ad tempus Bavari etc. Sed de rei veritate autor potuit juste commendare Henricum istum, a cuius laudibus non abstinent etiam linguæ adversariorum etc.

CANTUS TRIGESIMUS PRIMUS, *in quo introducitur beatus Bernardus loquens de beata Virgine.*

In *forma dunque di candida rosa.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster descripsit paradisum in generali, nunc consequenter in isto XXXI capitulo declarat dictam formam generalem, et introducit in speciali Bernardum qui ostendit sibi Dominam. Et totum præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales: in prima quarum autor describit actum et habitum angelorum aulicorum huius excelsæ curiæ. In secunda facit suam invocationem ad Deum, et describit suam felicissimam contemplationem, ibi: *O trina luce.* In tertia introducit virum contemplativum Bernardum in suum advocatum, et ascensionem Beatricis ad sedem suam, ibi: *La forma general.* In quarta et ultima dictus Bernardus ostendit autori paradisum et in speciali (1) nostram Dominam, ibi: *E'l santo Sene.* Ad primum ergo dico quod autor in prima parte generali describit actum et habitum militiæ angelicæ: et primo continuat se ad præcedentia. Et ad intelligendam clare istam literam continuativam est prænotandum, quod sicut patuit in præcedenti capitulo autor noster vidit gloriam paradisi ex longa fieri rotundam, non quia prius esset aliter quam postea, sed quia longa figura pluribus est nota, sed nulla est tam perfecta nec adeo capax sicut rotunda; ideo autor descripturus paradisum incœpit a

(1) S. specialiter.

notioribus, sicut docet philosophus in principio Physicorum; et primo notificat tale principium in universali, deinde descendit ad particularia, sicut philosophus docet ibidem; et dat exemplum, quia primo videmus rem in confuso, sicut unam figuram pictam, deinde in particulari videmus lineamenta, umbras et plicaturas vestis: ita ad propositum autor noster declarat dictam formam rotundam in universali, sed in sequenti capitulo in particulari ut patet. Dicit ergo repetens illud quod tactum erat de rosa: *Dunque,* istud igitur non est hic illativum vel conclusivum, sed continuativum, *la milizia santa,* scilicet, humani generis, *che Cristo fece sposa nel suo sangue,* idest, quam Christus redemit suo sanguine, et sic dotavit eam dono suæ gratiæ, *mi si mostrava in forma di candida rosa;* non intelligas quod illa militia sancta haberet figuram rosæ, quia hoc esset falsum, sed (1) in lumine illo circulari, scilicet cœlo empyreo, quod habet formam rosæ, ita quod illud *in* notat ibi continentiam localem, ita quod vult dicere, quod illa militia ostendebat se locatam intra illam candidam rosam. Et hic nota quod autor subtiliter figuravit paradisum in forma rosæ, quia illa lux divina quæ facit ipsum cœlum empyreum procedit ab ipso puncto Deo qui est trinus et unus. Rosa namque, sicut per se patet, habet in se tria, scilicet, substantiam, colorem, odorem; et tamen est una rosa et non plures divisæ; ita trinitas individua habet in se tres personas, et tamen est solum una deitas in essentia; ergo bene ista lux est una et trina. Unde autor paullo infra dicit: *o trina luce.* — *Ma l' altra.* Hic autor describit actum sive exercitum angelorum: et ostendit per unam comparationem pulcerrimam et nobilissimam sumptam ab apibus, quomodo capiebant de

---

(1) E. sed erat in.

luce et beatitudine illius rosæ, et portabant et ministrabant beatis situatis in foliis rosæ; et sic faciebant suum volatum inter Deum et rosam, sicut apes volant a suo alveario ad flores et a floribus ad alvearium. Nunc ordina literam, et expone [1] sic: *Ma l' altra,* scilicet, militia angelica, *che vede,* scilicet, magis prope et profunde, *e canta,* idest, laudat, *la gloria di colui,* scilicet Dei, *che la innamora,* idest, quæ accendit eam suo amore divino, et quam animæ beatæ magis sunt promptæ ad videndum et amandum; et dicit: *e la bontà che la fece cotanta,* idest, et quæ angelica militia videt et cantat bonitatem divinam, quæ fecit ipsam naturam angelicam tam grandem et capacem tantæ gloriæ et amoris, *descendea,* scilicet a puncto divinitatis, *nel gran fiore,* scilicet, in rosam, quæ erat maxima et amplissima, ut patet ex dictis in præcedenti capitulo; et dicit: *che s' adorna di tante foglie,* quia singula folia rosæ sunt sedes animarum beatarum. Et e converso revolabant sursum ad Deum; unde dicit: et illa militia angelica, *risaliva quindi,* scilicet, ab isto magno flore, *là dove il suo amor sempre soggiorna,* idest, ad punctum divinitatis, ubi semper amor angelorum immoratur et adhæret. Et hoc faciebant angeli, *sì come schiera d' api che s' infiora una fiata,* idest, quæ volat ad flores et insidet illos ad colligendum mel sive rorem: et e converso, *et altra,* scilicet vice, *si ritorna,* ab ipsis floribus ad alvearium suum, ubi habet totum amorem et studium suum; unde dicit: *là dove suo lavoro s' insapora,* quia ibi laborat in conficiendo mel sapidissimum et dulcissimum. Et hic nota quam elegantissime et convenientissime ista comparatio repræsentet sedulum exercitium angelorum per officiosum studium apum; apes enim sunt naturaliter promptæ et præsto

---

(1) E. et sic expone eam.

ad servitium sui ducis, et ita angeli ex sui natura leves et prompti ad servitium Dei. Apes delectantur in odore florum, et ex illis colligunt mel, quod portant ad alvearium; et ita angeli delectantur et ebriantur odore bonorum operum sanctorum, ut dictum est capitulo præcedenti, et dulcedinem illorum operum portant et repræsentant coram Deo. Apes inutiles et inertes expellunt ab alveario, ita angeli pravos et damnosos arcent a regno Dei, a cœlo empyreo rotundo plenissimo dulcedinis et suavitatis. Apes faciunt duplicem fructum, scilicet mel et ceram, et ita de multis proprietatibus quas scribit Aristoteles in libro de naturis animalium, et Virgilius libro Georgicorum, ubi mirabiliter exaltat istam naturam apum (1) et cætera. — *Le faccie.* Hic autor descripto actu angelorum, nunc describit habitum eorumdem, dicens: et illi angeli, *avean tutte le faccie di fiamma viva;* angeli repræsentantur cum faciebus rubeis inflammatis ad figurandum ardentem amorem caritatis, quæ est in ipsis angelis; et dicit: *e l' ale d' oro,* ad innuendam perfectam sapientiam angelorum, vel incorruptibilitatem (2). Sicut enim aurum non recipit corruptionem nec pollutionem, ita natura angelica est æterna et impeccabilis. Et dicit: *e l' altro,* idest totum residuum substantiæ habebant, *tanto bianco, che nulla neve a quel termine arriva,* ad innuendum naturam angelicam puram et mundam ab omni macula; et hoc dicit, quia nulla anima beata attingit ad tantam puritatem quanta est in angelo, qui nunquam peccavit. — *Quando.* Hic autor ostendit quomodo dicti angeli in descensu ministrabant beatis beatitudinem; unde dicit: et illi angeli, *porgevan della pace e dell' ardore,* scilicet, illis beatis, *ch' egli acquistavan,* scilicet, in dicto lumine emisso a divinitate, *ventilando il fianco,* idest,

---

(1) S. apium etc.

(2) E. e 4, incorruptibilem.

volando: et tangit actum avis volantis; nam cum volat ventilat ilia; et hoc faciebant, *quando scendean nel fior*, idest, cum descendebant a Deo ad rosam, *di bianco in bianco,* idest, de folio albo in folium album, idest, de sede in sedem gradatim. — *Nè l' interporsi.* Hic autor respondet quæstioni tacitæ; posset enim obiici: nonne illa tanta multitudo angelorum intermedia impediebant visionem tuam et splendorem? respondet autor quod non. Unde dicit: *Nè l' interporsi,* idest, nec interpositio, *di tanta moltitudine volante,* idest, angelorum volantium, *tra il disopra e 'l fiore,* idest, inter illud lumen, Deum et rosam, *impediva la vista,* scilicet, meam ne viderem, *e lo splendore,* idest, et non impediebat splendorem illius lucis ne videretur. Et assignat rationem sui dicti, dicens: *chè la luce divina è penetrante per l' universo, secondo ch' è degno,* idest, secundum dignitatem et virtutem receptibilis. Et dicit: *sì che nulla le puote essere ostante.* Videmus enim in corporibus cœlestibus quod unum non impedit visionem alterius, ita quod luna non impedit visionem Saturni; ergo multo magis in substantiis spiritualibus una non impedit visionem alterius. — *Questo.* Hic autor concludit quod habebant contemplationem ad unum solum terminum, scilicet, Deum. Unde dicit: *Questo regno,* scilicet, cœleste, *sicuro e gaudioso,* ad differentiam temporalis quod est plenum timore et mœrore; et dicit: *frequente in gente antica et in novella,* idest, bene habitatum et populosum a beatis veteris et novi Testamenti; vel dic a gente angelica et humana, *avea viso et amor,* idest, contemplationem et dilectionem (1), *tutto ad un segno,* idest, ad illud punctum fixum quod isti (2) sagittantes in mundo recta via petiverunt.

O trina luce. Ista est secunda pars generalis, in qua

(1) E. delectationem. (2) E. illi.

autor facit suam deprecationem ad Deum, et describit suam felicissimam contemplationem. Et ad intelligentiam huius invocationis est prænotandum, quod autor quia viderat in sancta cœlesti Jerusalem tantum gaudium, concordiam, libertatem et pacem, reminiscens bellum, discordiam, servitutem, tempestatem mundi, pietate motus misericorditer implorat divinum subsidium ut succurrat tanto defectui. Unde dicit: *O trina luce,* scilicet, divinitatis quæ est trina et una, *che scintillando in unica stella,* idest, in uno solo lumine, *a lor vista,* idest, visioni beatorum, *sì gli appaga,* idest, quietat et contentat et felicitat, *guarda quaggiuso,* scilicet, in terram, *alla nostra procella,* idest, tempestati, et præsta tranquillitatem et unitatem mundo, ita quod dirigamus nostrum visum ad illam solam stellam matutinam quæ dirigit recte navigantes ad portum salutis, ad quam sancti dirigunt visum et amorem in cœlo, ut jam dictum est. Et hic nota quod ista pia deprecatio indicat (¹) bonam dispositionem autoris circa statum mundanum, et præcipue suæ patriæ unde erat exul. — *Se i barbari.* Hic autor volens exprimere immensam admirationem suam facit comparationem de illa admiratione, quam concipiebant barbari venientes Romam quando Roma erat in flore. Et breviter vult dicere, quod si barbari venientes olim de sub tramontana, ubi habent vilia tuguria pro domiciliis eorum, Romam, videntes alta mœnia marmorea, palatia et mirabilia ædificia Romæ obstupescebant; quanto magis autor videns gloriosa domicilia et habitacula cœli debebat obstupefieri? quasi dicat incomparabiliter. Nunc ordina literam, et construe sic: *Io che era venuto al divino dall'umano,* idest, a terra ad cœlum, *all'eterno dal tempo,* idest, et qui veneram a mundo mortali subiecto tem-

(¹) S. denotat bonam.

pori ad locum æternitatis, ubi non currit tempus, *e di Fiorenza in popol giusto e sano,* loquitur ironice, quasi dicat: et qui veneram ab iniqua et insana civitate Florentiæ, *di che stupore dovea essere compiuto,* quasi dicat: mirabili et infinito stupore debebam esse repletus, respectu dictorum barbarorum. Et hic nota quod autor vult dicere quod dicta comparatio non est satis digna ad exprimendum stuporem suum; et ratio est efficacissima, quia admiratio in illis barbaris procedebat ab excellentia rei mundanæ ad vilitatem rei mundanæ, inter quas est aliqua proportio. Admiratio vero autoris procedebat ab excellentia rerum divinarum ad infirmitatem terrenarum, inter quas nulla potest esse comparatio, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Venerat enim a temporali ad æternum, ab iniquitate ad summam justitiam. Et hoc dico: *se i barbari;* sicut illi de Norvegia et Germani, *venendo di tal plaga,* idest, a parte septemtrionali vicini tramontanæ quæ est in polo nostro arctico; unde dicit, *che ciascun giorno si cuopra d'Elice,* idest, ursa maiore sive curru, qui nunquam facit occasum, sed describit tantum unum brevem circulum, sicut sæpe ostensum est; et ideo dicit: *rotante col suo figlio,* idest, ursa minore, *ond' ella è vaga,* quia continuo respicit ipsam. Et ad clariorem intelligentiam huius literæ est sciendum, quod autor hic tangit fabulam quæ tacta est in capitulo XXV Purgatorii, scilicet quomodo Jupiter stupravit Calistonem virginem Dianæ, quam Juno convertit in ursam; et illa et filius eius cui nomen erat Archas translati sunt in constellationes cœli, illa in ursam maiorem, ille vero in minorem; quæ Calisto alio nomine est Helice. Unde autor in præallegato capitulo dicit: *Diana si tenne al bosco et Elice caccionne;* et dicit: *veggendo Roma e l'ardua sua opra,* idest, alta ædificia sua. Nam tota Roma miraculum est, ut ait Cassiodorus, vel etiam opera ma-

gnifice gesta a Romanis, quæ erant picta, sculpta et scripta in ædificiis [1] illis et in arcubus triumphalibus. Unde Sidonius: Roma domicilium legum et cætera; *stupefaceansi,* idest, mirabantur. Et tangit tempus, dicens: *quando Laterano alle cose mortali andò di sopra,* quasi dicat: quando Roma erat in flore, quia tunc superavit omnia ædificia mundi; unde Thomas de Aquino erat solitus dicere, quod tria concupiverat anima sua vidisse, scilicet Romam in flore, Christum in carne, et Apostolum disputantem. Et nota quod autor per hoc quod dicit *Laterano* tangit unum mirabilissimum ædificium Romæ. Palatium enim Lateranum quod est prope sanctos Marcellinum et Petrum, versus septemtrionem, fuit palatium Neronis, ut dicit Martinus. Fuit autem istud palatium sumptuosissimum, sicut scribit Svetonius etc. Unde Augustus gloriabatur se invenisse urbem Latericiam et fecisse marmoream. Et subdit autor virtutem et potentiam tanti stuporis sui, dicens affirmative, *certo il gaudio,* scilicet, magnum quod concipiebam ex inspectione illius cœlestis Romæ, *mi facea libito,* idest, placitum et gratum, *non udire et starmi muto,* idest, non loqui vel dicere aliquid cum Beatrice vel alio beato, sicut solebat; et dicit: *tra esso,* idest, intra ipsum stuporem. — *E quasi.* Hic autor exprimit modum suæ gaudiosæ et tacitæ contemplationis per unam comparationem propriissimam. Et breviter vult dicere, quod ita desideranter et lætanter considerabat paradisum ultimum bravium et præmium sui cursus, sperans referre mirabilem pulcritudinem illius templi cœlestis, sicut peregrinus qui appulit ad finem suæ peregrinationis considerat diligenter et veneranter ecclesiam ubi solvit suum votum, et sperat referre formam et proportionem illius ecclesiæ. Nunc ordina sic lite-

---

(1) E. ædificiis, vel etiam in.

ram: *E io passeggiando,* idest, passim discurrendo, *su per la viva luce,* quæ constituebat ibi rosam, *menava gli occhi,* idest, speculationem intellectualem, *per li gradi,* idest, per folia rosæ quæ sunt sedes animarum; et dicit: *mo su, mo giù, e mo ricirculando,* ut viderem totam continentiam loci: et hoc faciebam, *quasi peregrin che si ricrea nel tempio del suo voto,* ad quod voverat ire; et dicit: *e spera già ridire,* scilicet, cum fuerit reversus domum, *come ello stea.* Et hic nota quod optimum exemplum potest esse de templo Jerusalem ubi est sepulcrum Christi, qui ibi fuit temporaliter in carne, quod habet multas mansiones, sicut cœleste templum, ubi æternaliter vivit Christus, in quo sunt multæ sedes sicut ipse Christus (1) dicebat: *in domo patris mei multæ mansiones sunt;* et sic patet quomodo (2) dicta comparatio declarat propositum in debita figura. — *Vedeva.* Hic autor ultimo describit quid viderit in generali in dicto templo, et dicit quod videbat habitum beatorum. Unde dicit: *Vedeva visi,* scilicet, humanos, *suadi,* idest, suasivi, *a carità,* quia si coluerunt caritatem in terra, quanto magis in cœlo ubi est vera et perfecta caritas; et dicit: *fregiati,* idest, ornatos, *d' altrui lume,* idest, radiis divinis vel luminibus angelicis; et dicit: *e del suo riso,* idest, propria lætitia, *ed atti ornati di tutte onestadi.* Honestum enim continet omnem virtutem et bonitatem, cuius isti fuerunt honestati et ornati etc.

La forma general. Ista est tertia pars generalis, in qua autor describit unum sanctum maxime contemplativum in eius favorem, et ascensum Beatricis ad sedem suam. Et primo continuans dicta dicendis ostendit quomodo sibi intendenti ad quædam cognoscenda et convertenti se ad Beatricem occurrit dictus contemplativus.

---

(1) E. Jesus dicebat.

(2) E. quod dicta.

Dicit ergo: *Lo mio sguardo,* idest, contemplatio, *avea già tutta compresa la forma general di paradiso;* quia viderat angelos ministrantes beatitudinem, et beatos contemplantes ipsum Deum in generali, nullo notato in speciali; unde dicit: *in nulla parte ancor fermato fiso;* et dicit: *e volgeami con voglia riaccesa,* idest, de novo accensa ad cognoscendum aliquid speciale; unde dicit: *per dimandar la mia Donna di cose, di che la mente mia era sospesa,* idest, dubia, quia volebat petere de sede Mariæ et de sede ipsius Beatricis. Et subdit quomodo ex insperato, loco Beatricis occurrit sibi vir beatus contemplativus. Dicit ergo: *uno intendeva,* quia scilicet intendebat loqui Beatrici et certiorari ab ipsa de quibusdam, *et altro,* idest, alius spiritus beatus, *mi rispose;* unde dicit: *credea veder Beatrice et vidi un sene;* hic erat venerabilis Bernardus, *vestito con le genti gloriose,* idest, ornatum divino lumine simul cum aliis beatis glorificatis; vel quia erat vestitus albo sicut et alii. Ad intelligentiam autem pleniorem huius passus est sciendum, quod iste senex erat beatus Bernardus abbas Clarevallensis, qui fuit luculentus doctor et instituit ordinem etc. Autor itaque describit ipsum Bernardum proprie secundum merita personæ, primo ab ætate, quia vocat eum senem; fuit enim Bernardus senex tempore et sapientia: secundo a veste, quia erat amictus gloria multa: tertio a benignitate et pietate, quia fuit summe mitis, humilis, placidus, tractabilis, affabilis. Nunc ad literam, dicit autor: et ille senex, *era diffuso,* idest, respersus, *di benigna letizia,* non maligna qualis est lætitia multorum, *per gli occhi e per le gene,* quasi dicat, hilaris et benignus in facie. Et dicit: *in atto pio quale a tenero padre si conviene.* Et bene assimilat Bernardum pio patri; fuit enim optimus paterfamilias, qui tot filios spiritualiter genuit et bonam curam gessit familiæ. — *E ove.* Hic autor ostendit quomodo pa-

vefactus quia non viderat Beatricem, petivit illum senem de ea; quia enim autor credens videre Beatricem viderat virum senem, ideo more illius qui credit perdidisse suam scortam, timens petit a dicto sene de ea causa recuperandi. Unde: *E, diss' io subito,* scilicet, illi seni, *ove è ella?* et continuo subdit responsionem senis, dicens: *ond' egli,* supple, ille senex respondit: *Beatrice mosse me del loco mio,* quasi dicat: Beatrix recessit a te, et venit ad me, et fecit me venire ad te, *a terminar lo tuo disiro,* idest, causa complendi desiderium tuum, ut scilicet, videres summum bonum, cui amodo es propinquus. Unde nota quod sicut Beatrix descendit ad infernum ad Virgilium, et misit ipsum in succursum autoris, qui per se non poterat exire vallem vitiorum; ita nunc ascendit ad Bernardum, quem misit in favorem autoris qui per se non poterat ascendere ad ultimum finem beatitudinis. Et subdit quod Beatrix ascendit sedem propriam, unde melius possit contemplari Deum, dicens: *e tu la rivedrai nel trono,* idest, in sede, *che i suoi merti le sortiro,* idest, qui thronus merito sibi destinatus est; et dicit: *se riguardi su nel terzo giro dal sommo grado.* Hoc declarabitur statim in capitulo sequenti, ubi ostendetur quomodo in tertio gradu sedet Rachel, quæ figuraliter accipitur pro vita contemplativa, cum qua merito est sociata Beatrix, quæ maxime est fundata et firmata in contemplatione. Unde ipsa Beatrix dicit secundo capitulo Inferni: *ch' io mi sedea con l' antica Rachele.* — *Senza.* Hic autor ostendit quomodo ad verba Bernardi factus avidus revidendi Beatricem, statim erexit visum sursum, et describit qualem viderit eam. Unde dicit: *Io levai gli occhi su,* scilicet, intellectuales, *senza risponder,* scilicet illi seni. Unde bene dicit Isaias: *Sedebit solitarius et tacebit quia levavit se supra se.* Si ergo Dantes jam se levaverat supra suam naturam, ut patuit capitulo præcedenti, ideo

bene nunc [1] tacens, contemplatur et orat; vel melius hoc fingit, ut ostendat suam intensam aviditatem versus Beatricem. Et dicit: *e vidi lei,* scilicet, Beatricem, *che si facea corona,* scilicet, de radiis illius lucis æternæ; unde dicit: *riflettendo da sè li eterni rai.* Et bene fingit hoc, quia radii divini luminis reflectuntur et repræsentantur in sacra theologia. — *Da quella.* Hic autor describit magnam distantiam quæ erat inter eum et Beatricem per unam comparationem: et breviter vult dicere quod plus erat spatii ab eo ad Beatricem, quam sit ab infimiori parte terræ vel aquæ ad superiorem partem illius mediæ regionis aeris, in qua fiunt altius tonitrua. Nunc ordina literam sic: *Alcuno occhio mortal qualunque s' abbandona più giù in mar,* idest, in profundo maris existens, *non dista da quella regione,* idest, non est longinquus a media regione aeris in suprema parte, *che più su tuona tanto quanto la mia vista,* supple, distabat, *da Beatrice.* Et removet autor dubitationem tacitam, quia posset dici: quomodo ergo visus tuus poterat attingere ad Beatricem tam longe remotam et altam? respondet autor: *ma nulla mi facea,* idest, tanta distantia in nihilo impediebat videre meum, quia interdum non fit visio mediante aere sicut in terra; unde in terra non potest visus humanus extendi ultra proportionem obiecti, sive medii, quod est aer; in cœlo vero secus est: unde dicit: *chè sua effige,* idest, quia eius imago, *non discendeva a me per mezzo mista.* — *O donna.* Hic autor describit suam orationem ad Beatricem, in qua primo facit exordium, secundo narrationem, tertio conclusionem. Dicit ergo primo ad captandam benevolentiam: *O donna in cui la mia speranza vige,* idest, viget circa bonum futurum, quia de præterito tu liberasti me a pœnis inferni; unde

---

(1) E. nunc Dantes contemplatur.

dicit: *e che soffristi lasciar le tue vestige,* scilicet, verbalia, non corporalia, *in inferno,* scilicet quando descendisti ad Virgilium, ut habitum est secundo capitulo Inferni, ubi dixit: *O anima cortese mantovana* etc. Et dicit: *per la mia salute,* quia scilicet ad salutem hominum theologia descendit de cœlo in terram vitiosam, ubi est infernus viventium, moraliter loquendo, sicut plenius exposui prædicto capitulo secundo. — *Di tante.* Hic autor facit suam narrationem, et profitetur suam gratitudinem. Ordina ergo sic literam: *Io riconosco la grazia e la virtute di tante cose quant' io ho vedute,* scilicet, in inferno, purgatorio et paradiso; quia primo tu commisisti me curæ Virgilii qui duxit me per infernum et purgatorium; deinde in recessu illius tu assumpsisti me et duxisti per paradisum. Et dicit: *dal tuo podere;* nulla enim scientia habet tantam potestatem sicut sacra theologia, quæ transcendit nonam speram, quod aliæ facere non possunt, et ostendit invisibilia Dei; *e dalla tua bontate,* quia hæc est illa sola scientia quæ docet summum et incommutabile bonum. Et subdit maximum bonum et singularissimum donum collatum sibi ab ea, dicens: *tu m' hai tratto di servo,* idest, de servitudine [1] ignorantiæ et vitiorum, *a libertate,* scilicet, scientiæ et virtutum juxta illud: virtutes et scientiæ liberaverunt animam a captivitate naturæ: et dicit: *per tutte quelle vie, per tutt' i modi,* scilicet, metu pœnarum et exhortatione præmiorum, *che avean potestate di far ciò,* idest, quæ viæ et qui modi poterant liberare me a servitute. — *La tua.* Hic autor facit suam petitionem Beatrici, et petit ut conservet sibi illud quod jam sibi magnifice condonavit, scilicet illam libertatem animæ. Unde dicit: *Tu custodi,* idest, conserva, *la tua magnificenza in me,* et loquitur proprie quoniam magnifi-

---

(1) E. servitute.

centia est in magnis sumptibus sicut liberalitas in parvis; et hoc fac usque ad finalem exitum vitæ meæ; unde dicit: *sì che l' anima mia che fatta hai sana,* idest, quam sanasti ab infirmitate ignorantiæ et vitiorum, quæ duo maxime infirmant animam, et enervant: homo enim cum sit imperfectus tribus malis premitur, scilicet, ignorantia, vitio et indigentia; sed indigentia premit corpus; illa vero duo animam; *si disnodi dal corpo,* idest, separetur tempore mortis, *piacente a te,* quia scilicet fecerit mandata tua. — *Così.* Hic autor ponit effectum suæ orationis; et breviter vult dicere quod Beatrix acceptavit gratitudinem et recognitionem autoris. Unde continuans dicta dicendis, dicit: *Io orai così,* scilicet secundum suprascriptam formam, *e quella sì lontana, come parea, sorrise,* quasi gratulando gratitudinis meæ, *e riguardommi,* ad confirmandum me in ista optima dispositione; et dicit: *poi si tornò all' eterna fontana,* scilicet, ad contemplandam divinitatem, a cuius fonte scaturit omnis largitas gratiarum.

E 'l santo Sene. Ista est quarta et ultima pars generalis (1), in qua autor ostendit quomodo dictus Bernardus persuaserit sibi considerationem huius regni, ut posset facilius pervenire ad præsentiam regis, mediante gratia et favore reginæ. Et ad clariorem intelligentiam dicendorum est hic prænotandum, quod autor ductu Beatricis hucusque vidit omnes ordines beatorum et angelorum, et omnem formam paradisi in generali: nunc autem ascensurus ad tribunal æterni regis non fidit nec præsumit posse pervenire ad illud nisi mediante intercessione Mariæ (2): ideo elegantissime introducit beatum Bernardum, qui commendat (3) eum isti reginæ, ut di-

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) E. Virginis semper Mariæ reginæ nostræ pretiosissimæ: ideo.
(3) E. recommendat eum eidem reginæ.

gnetur eum licet immeritum, gratia sua * juvare, ut possit suis intercessionibus ad hoc tribunal attingere * [1]; quoniam iste Bernardus fuit inter cæteros devotissimus istius clementissimæ dominæ. Et [2] bene fingit ipsum Bernardum missum ad se precibus Beatricis, tum quia fuit bonus doctor theologiæ, ideo verus alumnus Beatricis; tum quia fuit maxime contemplativus, et Beatrix sedet in sede contemplationis. Ad literam [3] dicit autor primo, quod Bernardus persuasit sibi considerationem rosæ, promittens sibi favorem Mariæ [4]. Construe sic: *Il santo Sene,* scilicet venerabilis Bernardus, *disse, vola,* idest, velociter percurre et respice, *con gli occhi,* scilicet, intellectualibus, quo nihil est velocius, *per questo giardino,* idest, cœlum empyreum, in quo sunt infiniti flores diversorum colorum et odorum, et in quo sunt tot aves amœnissimæ cantantes, ut patet jam ex dictis. Et assignat rationem sui consilii, dicens, *chè veder lui,* idest, quia consideratio istius viridarii, *t' acconcerà lo sguardo,* idest, habilitabit et acuet tuam speculationem, *al montar più,* idest, altius, *per lo raggio divino,* idest, per radium lucis, qui descendit a puncto divinitatis, per cuius radii scalam te oportet ascendere ad illum ultimum gradum deitatis [5]. Et tangit ultimum finem suæ ascensionis, dicens: *acciò che tu assommi perfettamente il tuo cammino,* quasi dicat, ut feliciter perficias et finias longum iter, idest, discursum et processum tuæ speculationis, et sic compleas tuum opus tot vigiliis elaboratum. Et subdit promittens ei favorem Mariæ, dicens: *e la regina del cielo, ond' io ardo tutto d' amor, ne farà ogni grazia,* scilicet, quam peterimus; et ecce quare: *perocch' io sono il suo fidel Bernardo,* qui tantum fui suus [6] devotus in

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.
(2) E. Ideo bene. (3) E. Ad literam ergo dicit. (4) E. Virginis Mariæ.
(5) S. divinitatis. (6) E. fui filius devotus.

vita quod ab ea obtinebam omnem gratiam justam; quanto magis nunc in regno eius? Et est nomen conveniens rei; dicitur enim Bernardus, idest, bene redolens nardus, quæ est arbor aromatica. — *Quale.* Hic autor describit suam inspectionem in Bernardum per unam comparationem manifestam illis maxime, qui experti sunt hunc actum Romæ videndo sudarium. Vult enim breviter dicere quod ad caritativam persuasionem Bernardi, vel melius respiciebat caritatem ipsius Bernardi, vel respiciebat faciem Bernardi fixe cum tanta admiratione et dilectione, quanta sclavi respiciunt sudarium quando ostenditur Romæ in ecclesia beati Petri. Nunc ergo construe literam sic: *Io era tal mirando la vivace carità di colui,* scilicet, Bernardi, *che 'n questo mondo,* scilicet, vivens in carne, *gustò di quella pace,* idest, prægustavit de dulcedine illius gloriæ, *contemplando;* contemplatio enim est verus modus, quo homo existens adhuc in mundo loquitur cum Deo, et prævidet felicitatem quam sperat; *quale colui,* supple est, *che forse venne di Croazia,* quæ est provincia in partibus Sclavoniæ, *a veder la Veronica nostra,* idest, sudarium sive imaginem Salvatoris, quæ vocatur Veronica a filia Constantini etc. Et dicit; *che non si sazia,* scilicet, visione illius, *ma dice nel pensier,* scilicet, in mente sua, *finchè si mostra: Signor mio Gesù Cristo, Dio verace, or fu sì fatta la sembianza vostra?* idest, an talis fuit imago et facies vestra? Et est comparatio propria de imagine Christi [1], cuius visione homo repletur lætitia et stupore ad faciem ardentem Bernardi, qua non satiabatur visus autoris. — *Figliuol.* Hic autor ponit exhortationem Bernardi ad se ut erigat visum ad superiora; unde dicit: *Egli,* scilicet Bernardus, *cominciò,* supple, dicere mihi: *o figliuol di grazia,* idest, o Dantes

---

[1] E. Jesu Christi.

electe et dilecte a Deo, per cuius gratiam tu ascendisti ad tam altam visionem, *questo esser giocondo,* idest, essentia et status istius regni gaudiosi, *non ti sarà noto,* idest, non fiet tibi manifestum, *tenendo gli occhi pur quaggiuso al fondo,* idest, respiciendo et speculando tantam (1) familiam inferiorem huius curiæ; quasi dicat: non respicias tantum me et alios contemplantes, sed oportet te ascendere tantum cum visu quod videas reginam serenissimam et illustrissimam huius regni, quæ ostendet tibi regem, ad quem videndum tu ascendisti laboriosissime (2) istud regnum. Unde subdit: *ma guarda i cerchi,* idest, gradus et sedes circulares foliorum rosæ, in quibus sunt animæ beatorum, *infino al più remoto,* idest, ad supremum gradum reginæ (3). Unde dicit: *tanto che veggi seder la regina, cui questo regno è suddito e devoto.* — *Io levai.* Hic autor ostendit quomodo admonitus a Bernardo erexerit visum et viderit sedem reginæ, quam describit per unam nobilem comparationem, quæ breviter stat in hoc: quanto in principio diei, orto jam sole, pars orientalis est clarior quam occidentalis; tanto sedes illa Mariæ erat clarior cæteris. Nunc construe sic literam: *Io levai gli occhi,* scilicet, intellectuales, *e quasi andando di valle a monte con gli occhi,* quasi dicat: ascendendo cum speculatione ab imo ad summum rosæ, *vidi parte,* scilicet, unam aliquam, *nello stremo,* scilicet, alto, ubi erat beata Virgo, *vincer di lume,* idest, claritate, *tutta l' altra fronte,* idest, totam aliam faciem rosæ, a simili, *così come la parte oriental dell' orizzonte soverchia,* idest, superat et (4) vincit, *da mattina,* quando sol ascendit hemisperium nostrum, *quella dove 'l sol declina,* idest, partem occidentalem, ubi sol facit suum occasum. Et hic vide quantum præsens comparatio sit declarativa

(1) E. tantum.
(2) E. laboriose.
(3) S. regiæ.
(4) E. et etiam vincit.

propositi: sicut enim pars orientalis nostri cœli est serenior et lucidior parte occidentali, quia plus et principalius recipit de lumine solis sensibilis, cui est vicinior; ita pars suprema cœli empyrei ubi est Maria (1), aurora mundi, est luminosior et splendidior reliqua parte, quia plus et principalius recipit de lumine solis æterni cui est vicinior. — *E come.* Hic autor ostenso per nobilem comparationem quomodo sedes Mariæ tenet gradum supremum in rosa vincente lumine totum residuum; nunc ostendit per aliam comparationem nobiliorem, quomodo iste gradus supremus in alto tenet medium inter duas facies rosæ, in quarum una sunt beati veteris Testamenti, in altera beati novi (2). Et sententialiter in effectu autor vult dicere quod sicut pars media cœli, ubi est continuo via planetarum, est magis inflammata lumine solis, et partes collaterales, sicut meridiana et septemtrionalis, habent lumen remissius et tepidius; ita a simili cathedra Mariæ (3), per cuius medium sol justitiæ facit viam suam, est illustrata maiori lumine solis, et duæ facies collaterales rosæ deficiebant in splendore, sed erant plus et minus lucentes secundum quod erant plus et minus vicinæ illi loco medio, ubi erat Maria: ergo si bene advertis comparatio non posset esse magis propria ad declarandum situm cœli empyrei. Nunc ad literam descendamus, quæ est sic construenda: *E quella oriafiamma,* idest, Maria flamma ignis æterni et aurea, idest, perfecta, *pacifica,* quæ fecit pacem, de tam longa guerra inter Deum et hominem, *s' avvivava nel mezzo,* idest, vivaciter accendebatur et splendebat radiis divini luminis, qui (4) recta linea transibant per eam; et dicit: *ch' allentava la fiamma,* idest, lente emittebat, quia paullatim remittebatur et temperabatur secundum quod elon-

(1) E. Virgo Maria.
(2) E. novi Testamenti. Et.
(3) E. Virginis Mariæ.
(4) E. quia recta lumina transibant.

gabatur, *per egual modo d' ogni parte,* idest, æqualiter hinc inde tam ab una facie beatorum, quam ab alia, quia utrinque erant locati propinquius et longinquius secundum merita personarum, ut declarabitur statim sequenti capitulo; et inflammabatur Maria [1] magis aliis in illo medio, *così come il lume,* scilicet solis, *più s' infiamma,* idest, magis splendet, *quivi,* scilicet, in illa media parte cœli, scilicet in zodiaco, per quem currunt planetæ, et strictius loquendo et magis proprie per lineam eclipticam, quæ est per medium zodiaci, a qua numquam recedit sol; quod declarat litera sequens, dicens, *ove s' aspetta,* vel *s' inspecta,* idest, inspicitur, *il temo,* idest, currus solis et cursus, *che mal guidò Fetonte,* filius solis, de quo dictum est Inferni capitulo XVII et in Purgatorii cantica, nescivit tenere viam rectam per eclipticam, sed excessit limites solitos. Et dicit: *e il lume,* scilicet, solis, *si fa scemo,* idest, diminutum, *quinci,* scilicet, ex parte meridiei. — *Ed a quel.* Hic autor describit festum celeberrimum, quod faciebant angeli coram gloriosa Virgine, quo gaudebant omnes beati illius curiæ. Dicit ergo: *E vid' io più di mille angeli festanti,* idest, festum solemne celebrantes, *con le penne sparte,* idest, cum alis apertis, *a quel mezzo,* scilicet, magis luminoso ubi erat Maria [2]; et dicit: *ciascun distinto e di fulgore e d' arte,* quia habent distinctionem in splendore et in officio secundum diversitatem gratiæ et gloriæ. Et subdit mirabilem pulcritudinem quæ nascebatur ex festivitate angelorum, dicens: *vidi,* etiam, *una bellezza ridere,* idest, florere et lætari, *a' lor occhi* vel *giuochi,* idest, luminibus, *e a' lor canti quivi,* scilicet, coram Maria [3]; et dicit: *che,* idest, quæ pulcritudo, *era letizia negli occhi a tutti gli altri santi,* qui positi sub protectione Mariæ [4] contem-

---

(1) E. Virgo Maria.
(2) E. Virgine Maria.
(3) E. Virgo Maria.
(4) E. Virginis Mariæ.

plabantur Deum illa mediante. — *E s' io.* Hic autor excusat se quod non potest exprimere excellentiam Mariæ [1], et quia homo potest melius imaginari quam loqui ista divina; dicit quod etiam si haberet eloquium par imaginationi adhuc non præsumeret describere minimam particulam. Dicit ergo: *e non ardirei di tentar il minimo di sua delizia,* idest, delitiosæ beatitudinis Mariæ, *s' io avessi tanta divizia in dir,* idest si haberem tantam copiam eloquutionis, *quanta in immaginar,* idest, quantam copiam habeo imaginationis. — *Bernardo.* Hic ultimo autor claudens capitulum ostendit quomodo Bernardus videns autorem ita attentum ad amorem Mariæ, erexit suam contemplationem ad eam, per quem actum fecit autorem magis attentum et affectuosum. Unde dicit: *Bernardo, come vide,* idest, quam cito perpendit, *gli occhi miei,* scilicet, intellectuales, calore [2] inflammari et ardere, *fissi nel caldo suo calor,* idest, in amore Mariæ, *et attenti, volse li suoi,* idest, erexit suos oculos, *a lei,* idest, ad Mariam [3], *con tanto affetto,* idest, tanta affectione et contemplatione, *che fee più ardenti i miei,* scilicet, oculos, *di rimirare,* idest, contemplari.

---

(1) E. Virginis Mariæ.

(2) E. calere, idest inflammari.

(3) E. Virginem Mariam.

CANTUS TRIGESIMUS SECUNDUS, *in quo distinguitur ordo beatorum per gradus novi et veteris Testamenti, et movetur dubium de innocentibus.*

L'EFFETTO *al suo piacer quel contemplante.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti autor noster declaravit formam generalem paradisi; nunc consequenter in isto XXXII capitulo describit dictam formam paradisi in particulari. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor distinguit ordinem graduum beatorum veteris et novi Testamenti. In secunda removet unum dubium circa parvulos innocentes, ibi: *Or dubbii tu.* In tertia describit principaliter beatitudinem nostræ dominæ, et singulariter angelum Gabrielem inter cæteros festantem, ibi: *Riguarda omai.* In quarta et ultima describit principales patricios huius aulæ, ibi: *Ma vienne omai.* Ad primum ergo dico quod in prima parte generali autor distinguit ordinem graduum beatorum utriusque Testamenti. Et primo continuans dicta dicendis, ostendit quomodo Bernardus accinxerit se ad docendum ipsum ordinem specialem paradisi; unde dicit: *Quel contemplante,* idest, ille Bernardus contemplans, *l' effetto,* scilicet, qui positus est in fine præcedentis capituli, scilicet qualiter ego eram factus ardentior et attentior in contemplatione Mariæ, videns contemplationem ipsius Bernardi; et dicit: *al suo piacer,* quia effectus erat sequutus in me secundum placitum suæ voluntatis, quia desiderabat me ita perfecte disponi ad contemplationem ipsius Bernardi; vel secundum aliam literam: *l' affetto,* et tunc expone: ille contemplans me affectum et affectuosum secundum placitum suum; sed

prior litera est melior, quamvis sit eadem sententia; *assunse libero officio di dottore,* quia sicut docuerat in mundo, ita nunc cœpit me docere in cœlo; unde dicit: *e cominciò queste parole sante,* sub tali forma: — *La piaga.* Hic Bernardus incipit distinguere gradus ordinate: et primo describit gradum Hevæ, quæ sedet ad pedes Mariæ (1). Et ad claram intelligentiam literæ, quæ aliquibus videtur obscura, est prænotandum quod Virgo Maria est in primo gradu altiori, ut patuit in fine præcedentis capituli, et ideo hic incipit a secundo. Construe ergo sic literam: *Quella ch' è tanto bella,* scilicet, Heva quæ fuit pulcerrima, quia prima mulier plasmata manu divina, *da' suoi piedi,* idest, ad pedes Mariæ (2), scilicet in secundo gradu, *è colei,* idest, illa mulier, *che l' aperse e che la punse, la piaga,* idest, peccatum originale, *che Maria richiuse ed unse,* quia Maria curavit et sanavit illam magnam plagam, qua erat vulneratum lethaliter totum genus humanum, ita quod mulier fuit causa damnationis et salvationis. — *Nell' ordine.* Hic Bernardus describit tertium gradum, in quo Rachel habet suam sedem cum Beatrice; unde dicit: *Rachele,* quæ fuit uxor Jacob, et soror sua Lia, ex quibus et ancillis Jacob genuit duodecim filios etc.; *siede con Beatrice;* quare autem Beatrix collocetur (3) cum Rachele expositum est in capitulo præcedenti, et plenius et planius secundo capitulo Inferni; et dicit: *come tu vedi,* quia attentissime et libentissime notas istum gradum in quo est situata tua dilectissima et amantissima, quam tot generibus laudum generalium et specialium exaltasti; et dicit: *nell' ordine che fanno i terzi sedi,* quia primus gradus in ordine est Mariæ (4); secundus sub pedibus Mariæ est Hevæ; tertius sub Heva est Rachelis; unde dicit: *di sotto da costei,* scilicet, sub

(1) E. Virginis Mariæ.
(2) E. Virginis Mariæ.
(3) E. locetur.
(4) E. Virginis Mariæ.

Heva. — *Sara.* Hic Bernardus colligit simul quatuor gradus qui successive sequuntur [1] post dictos tres, dicens autori in litera, quam construe sic: *Tu puoi veder così,* scilicet, sicut dixi supra, *digradar giù,* idest, gradatim ordinari inferius, *di soglia in soglia,* idest, de sede in sedem, *Sara;* ista fuit uxor Abræ, ex qua vetula genuit Isaac, *e Rebecca;* ista fuit uxor Isaac, ex qua genuit Jacob et Esau, de quibus dicetur paulo infra. Et hic nota quod tres mulieres præcipue commendantur in veteri Testamento, scilicet, Rachel in dilectione viri, Rebecca in prudentia, et Sara in fidelitate. *Judith.* Ista fuit pulcerrima et probissima, quæ virtute animosa liberavit Bethulianos ab ira Holofernis ducis truncato sibi capite, ut scriptum est Purgatorii capitulo XII. Et tangit ultimam quæ vocata est Ruth, quæ fuit proava David; unde dicit: *e colei,* scilicet Ruth: hæc fuit uxor Booz, qui genuit Obel patrem Jesse patris David, ut habetur Ruth ultimo capitulo: ideo bene dicit: *che fu bisava al cantor,* idest, David qui fuit cantor Spiritus Sancti, ut scriptum est supra; et dicit: *che disse: miserere mei,* idest, qui fecit illum devotissimum psalmum: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam* etc., de quo psalmo dictum est Purgatorii capitulo, *per doglia del fallo,* idest, pœnitentia peccati enormis quod patraverat quando fecit mori Uriam militem suum pro habenda uxore sua Bethsabee, sicut scribitur libro II Regum. Unde Augustinus dicit quod David dictus est vir sanguinum non propter bella quæ gessit [2], sed propter mortem Uriæ. Bene ergo fuit opus tam devota et humili oratione ad delendum tantum facinus, in quo simul et semel commisit homicidium, adulterium et proditionem: et dicit: *com' io,* idest, sicut ego Ber-

---

(1) E. sequuntur prædictos tres. (2) E. gesserit.

nardus video, *che vo per la rosa,* scilicet, degradando, *giù di foglia in foglia,* idest, de sede in sedem, *a proprio nome,* quia scilicet dictarum septem mulierum. Ponitur enim Sara in quarto gradu, Rebecca in quinto, Judith in sexto, Ruth in septimo. — *E dal.* Hic Bernardus quia nimis esset longum et superfluum velle discurrere per singulos gradus, dicit autori, quod sicut nominavit mulieres hebræas usque ad dictum septimum gradum, ita septimo gradu infra ordinatæ sunt hebrææ. Unde construe sic: *Ebree,* scilicet, mulieres judææ de populo Dei, *succedono,* idest, successive sequuntur, *dal settimo grado in giù, sì come in sino ad esso,* idest, sicut a grado primo usque ad septimum positæ sunt supra hebrææ, intelligas in una medietate rosæ, in qua tantum sunt beati veteris Testamenti; et dicit: *dirimendo,* idest, dividendo, *tutte le chiome del fiore,* quasi dicat, deflorando meliores et notabiliores mulieres hebræas. Et subdit quod dictæ hebrææ sunt sic locatæ per longum una sub alia, quia scilicet faciunt lineam rectam sive murum dividentem unam medietatem rosæ ab altera juxta citrinum rosæ, sive zallum, sicut statim demonstrabitur. Dicit ergo: *perchè queste,* scilicet, hebrææ, *sono il muro,* quia tamquam murus intermediant istam aulam; unde dicit: *a che si parton le sacre scalee,* idest, duæ facies, quæ habent distinctos gradus, sicut scalæ; ideo autor vocat eas scalas: et dicit quod dividuntur dictæ facies duæ sive scalæ, *secondo lo sguardo che fee la fede in Cristo,* quia scilicet in una facie est gens hebræa, quæ credidit in (¹) Christum venturum, ex alia est gens christiana, quæ credidit in Christum jam profectum. Et nota hic quod autor nominavit tantum certas principales mulieres hebræas, quæ fuerunt primæ radices humani generis, et magnæ matres

---

(¹) S. Christo venturo.

familias gentis antiquæ. — *Da questa.* Hic autor declarat et distinguit duplicem gentem quæ possidet cœlum empyreum divisum in duabus partibus secundum duplicem respectum fidei: et ad clariorem intelligentiam huius divisionis oportet prænotare, quod autor noster, si dignum sit exemplum, dividit totum cœlum empyreum eo modo quo dividitur tota terra; circulus namque terræ dividitur in duas partes æquales, cuius una medietas est Asia, alia medietas est Europa; nam Africa quæ ponitur pro tertia continetur in Asia proprie loquendo, sicut scribit Augustinus de Civitate Dei, et Salustius et multi. Modo ad propositum: imaginare cœlum empyreum esse circulum, quem una linea recta æquidistanter dividat in duas partes æquales, et in una parte vel semicirculo stant omnes illi, qui salvati sunt de veteri Testamento; alia pars media contineat salvatos novi (1): ista est melior. Hoc præmisso descendendum est ad literam, cuius sententia breviter est talis, quod in parte jam descripta superius, in qua reponuntur mulieres hebrææ, sunt omnes salvati qui crediderunt in Christum venturum. Unde construe sic: *Quei che credettero in Cristo venturo,* sicut prophetæ et sancti patres hebræi et etiam electi ante adventum Christi, *sono assisi,* idest, locati, *da questa parte,* scilicet, prædicta dictæ rosæ; et dicit: *onde il fiore è maturo,* idest, perfectus numero, *di tutte le sue foglie,* quia scilicet omnes sedes sunt plenæ ex dicta parte, ita quod nullus ibi amplius expectatur, quia completum (2) Testamentum vetus. Et subdit quod salvati novi Testamenti stant ex alia parte, dicens: *Quei che a Cristo venuto ebber li visi,* scilicet, christiani novi Testamenti, qui crediderunt Christum jam venisse et passum fuisse, *si stanno divoti,* con-

---

(1) E. novi Testamenti: ista. (2) E. completur.

templantes Deum, *in semicirculi,* idest, medio circulo, *d' altra parte,* scilicet, media opposita prædictæ; et dicit: *onde sono intercisi,* idest, intermediati. Per hoc notat imperfectionem numeri istorum, quorum nondum est completus numerus sicut illorum veteris Testamenti, ut ista pars alia rosæ potest dici immatura, quæ de die in diem repletur; et quando omnes sedes erunt repletæ, tunc terminabitur mundus. Et dicit: *semicirculi,* ubi sunt scanna vacua, idest, quod non transeunt illos gradus a parte beatorum veteris Testamenti. — *E come.* Hic Bernardus facit distinctionem beatorum novi Testamenti, sicut superius fecerat de beatis veteris; et breviter vult dicere quod sicut facta est differentia et ordinata distinctio inter spiritus hebræos, ita pari modo est [1] inter christianos. Nunc construe literam quæ est intricata multum, et dicas: *Quel,* scilicet, scannum, *del gran Giovanni,* scilicet, Baptistæ; et ostendit [2] quod merito magnus sit, dicens: *che sempre santo,* scilicet, ab utero matris, *sofferse il deserto,* ad quod ivit in septimo anno ad agendam pœnitentiam, sicut scriptum est supra in Purgatorii cantica, *e il martiro,* quia fuit decollatus ad petitionem puellæ, ut scriptum est supra, *e poi l' inferno da due anni,* scilicet, usquequo Christus spoliavit limbum; *e così Francesco, Benedetto e Agostin sotto lui,* scilicet, Johanne, *e gli altri fin quaggiù di giro in giro,* idest, et alii sancti usque ad extremum rosæ de folio in folium; omnes isti, *sortiro cerner,* idest, distinctionem et discretionem, *così di contra,* idest, ita ex adverso, *come il glorioso scanno della donna del cielo, e gli altri scanni di sotto lui fanno cotanta cerna,* idest, tantam distinctionem et discretionem [3], quantam tu vidisti, *quinci,* scilicet, ex prædicta parte hebræorum. —

---

[1] E. est facta inter. [2] S. oportet. [3] E. discrepationem.

Or mira. Hic Bernardus tangit altam providentiam æterni regis in divisione et ordinatione suæ aulæ; et breviter vult dicere quod de veteribus et novis fidelibus Christi habitabitur Paradisus æqualiter. Unde dicit autori: *Or mira l' alto provveder divino,* idest, previsionem summam Dei, *chè l' uno e l' altro aspetto della fede,* scilicet tam veteris quam novi Testamenti, *egualmente empierà questo giardino,* scilicet, paradisum cum numerus novi æquabitur cum divino proposito. — *E sappi.* Hic Bernardus describit specialiter situm et gloriam parvulorum innocentum tam veteris quam novi Testamenti, et discutit unam quæstionem circa eos. Et primo Bernardus ostendit autori quare a medio infra utriusque partis sunt positi parvuli innocentes, quia salvati sunt non propriis meritis sed alienis. Unde dicit autori: *E sappi che per nullo proprio merito si siede,* scilicet a pueris vel parvulis, *dal grado in giù,* idest, a linea quæ intersecat rosam per medium transversaliter; unde dicit, *che fiede,* idest, ferit, *le due discrezioni,* idest, distinctiones prædictas hebræorum et christianorum, *a mezzo il tratto,* idest, circa medium spatium rosæ. Imaginare ergo duas lineas rectas intersecantes se in rosa in modum crucis, ita quod sint quatuor quarteria: in duobus superioribus stant beati veteris et novi Testamenti qui meruerunt in vita illam æternam beatitudinem; in aliis duobus quarteriis inferioribus stant illi qui nihil mereri potuerunt, sicut parvuli qui præmortui sunt antequam haberent usum liberi arbitrii, sicut patet clare in hac figura a latere posita. 
Et subdit: *ma per l' altrui,* idest, propter meritum alienum, scilicet per fidem parentum in prima ætate, et per circumcisionem in secunda ætate, quæ erant signum baptismi, et per ipsum baptismum post Christum passum, sicut declarabitur paullo infra; ideo dicit: *con certe condizioni,* et exprimit qui sunt isti salvati nullo proprio

merito, dicens: *chè tutti questi sono spirti assolti,* scilicet, a vita, vel a pœna, *prima che avesser vere elezioni,* quia mortui sunt antequam scirent eligere bonum et reprobare malum per rationem, ita quod nondum habebant liberam voluntatem merendi vel demerendi. Et ostendit signa indicantia hoc, dicens: *ben te ne puoi accorger per li volti,* idest, per imagines animarum, *ed anco per le voci puerili, se tu gli guardi bene,* vultus eorum, *e se gli ascolti,* scilicet, voces eorum. — *Or dubbii.* Hic Bernardus incidenter movet unum dubium quod videbatur oriri in mente autoris ex dicto ipsius Bernardi qui dixit quod parvuli sunt sortiti sedes illas sine aliquo merito eorum. Ne hoc casualiter fieri videretur sine aliqua ratione, Bernardus primo movet dubium promittens solutionem, et dicit autori: *Or dubbii tu,* scilicet, de eo quod dixi, *e sili dubitando,* idest, taces dubitando, *ma io ti solverò il forte legame,* idest, ego solvam nodum difficilis quæstionis quæ ligat animum tuum, *in che ti stringon li pensier sottili,* quia subtiliter cogitas quomodo hoc esse possit, quod isti sine merito gratis habeant tantum præmium gloriæ. — *Dentro.* Hic Bernardus solvit propositam quæstionem, et breviter intendit dicere, quod ita est impossibile casum fortuitum esse in illo regno, sicut est impossibile famem vel sitim, vel aliud incommodum esse ibi, cum gubernetur a justo et provido rege, cuius lege est sancitum quicquid est ibi mirabili proportione, ita quod nihil superfluum, nihil diminutum, nihil indebite locatum; et ideo isti parvuli non sunt beatificati hic sine causa, differenter secundum plus et minus; quia dictus rex diversimode dotavit eos gratia sua, cuius voluntas habetur pro lege, ideo non peccatur alia causa. Nunc veni ad literam: dicit Bernardus: *Casual punto,* qui est sine ratione, qui accidit præter propositum agentis: casus enim proprie, secundum Aristo-

telem II Physicorum, et bonum in quanto est etc., *non puote aver sito,* idest, locum, *dentro all' ampiezza di questo reame,* idest, intra capacitatem maximi cœli empyrei; quod probat a simili, dicens, *se non come tristizia, o sete o fame,* quæ, scilicet, hic non habent locum. Et subdit rationem, dicens: *chè quantunque vedi,* idest, quia quicquid vides in isto amplissimo regno, *è stabilito,* idest, firmatum immobiliter, *per eterna legge,* quæ est sancta sanctio Dei. Et ostendit quomodo per unam metaphoram propriam, dicens: *sì che giustamente ci si risponde dall' anello al dito,* quasi dicat: cum tanta provisione et justa ordinatione quod beatitudo cuiusque conformatur sibi secundum capacitatem sui, sicut annulus conformatur digito secundum grossitiem et subtilitatem eius. Et hic nota metaphoram: Creator enim dotat animam gratia sua, quæ anima est tamquam sponsa, annulus est ipsa gratia; sicut enim annulus est amplus vel arctus secundum grossitiem vel subtilitatem digiti, ita gratia est maior vel minor secundum maiorem vel minorem capacitatem animæ recipientis. — *E però.* Hic Bernardus ostenso quod nihil casuale reperitur in regno Dei, ubi sunt omnia justissime ordinata cum ratione; nunc præmissa dicta positione arguit suum propositum intentum, scilicet, quod isti parvuli non sunt salvati hic sine causa. Unde dicit: *E però,* quasi dicat: ex dictis arguitur vel concluditur, *questa festinata gente,* idest, mortua nimis tempestive; vel secundum aliam literam, *destinata gente a vera vita,* scilicet, æterna, *non è sine causa,* et dicit *eccellente,* scilicet in gloria, *più e meno qui,* idest, in isto regno, *intra se,* idest inter eos. Per hoc notat quod Deus non prædestinavit omnes in pari sorte, quia aliqui ex istis parvulis habent plus gloriæ, aliqui minus, sicut et superiores qui meruerunt præcedente gratia. Et subdit rationem huius, et breviter dicit, quod ista distinctio gloriæ dif-

ferens in istis provenit ab infusione divinæ gratiæ. Unde dicit: *lo rege,* scilicet, Deus, *per cui questo regno pausa,* quia cœlum empyreum est in continua quiete, ubi cæteri cœli semper moventur, *in tanto amore et in tanto diletto,* quia totum cœlum, tale est lux et amor, sicut totiens dictum est; et dicit: *che nulla volontade è di più ausa,* idest, maioris audaciæ, quasi dicat, quod nulla voluntas humana vel angelica auderet velle desiderare maiorem delectationem, quia tunc statim sequeretur quod non essent in vera beatitudine, et quod illud non esset summum bonum; *dota le menti,* idest, dotat et donat animas, *di grazia,* scilicet sua, *a suo piacer,* idest, secundum quod sibi placet, *diversamente;* et dicit, *creando tutte,* scilicet, animas dictas, *in suo lieto cospetto;* et dicit: *e qui basti l' affetto,* idest, voluntas Dei sufficiat hic pro causa; nam secundum Platonem, ut refert Augustinus, voluntas Dei est ipsa natura; vel dic et melius: *e qui basti l' effetto,* idest, cognitio quæ fit ab effectu non per causam, ut ostendit philosophus primo Physicorum. Et hic nota bene quod talis probatio inducitur subtiliter ab autore, quia, ex quo probari non potest per intellectum humanum quod Deus prædestinet unum plus quam alium, et reprobet unum plus quam alium; ita non potest probari per intellectum humanum quod distinctio vel differentia sit in ipsis prædestinatis, ita quod sola voluntas divina quæ prædestinat est causa et ratio quæ facit differentes ipsos prædestinatos; quia voluntas Dei non similis nostræ; et ideo quærere quis movet, causam, vel quare vult hoc, quæritur in vanum, quia a nullo movetur, nec vult nec velle potest nisi quod justum est; sed non potest quis attingere ad tantam excellentiam nisi per revelationem, ut in Paulo. — *E ciò.* Hic Bernardus quia dixerat: hic effectus sufficiat, nunc statim adducit unum notabilem et mirabilem effectum

de prædestinatione duorum fratrum gemellorum, scilicet Esau et Jacob, de quibus dicit Paulus: antequam nascerentur dictum est: Esau odio habui, Jacob autem dilexi. Ad cuius literæ intelligentiam est præsciendum, quod sicut scribitur in Genesi, Isaac genuit gemellos ex Rebecca, qui continuo in utero matris faciebant inter se turbationem et commotionem. Unde Isaac imploravit a Deo quid hoc esset; cui responsum est, quod duo nascerentur, ex quibus descenderent duo populi, et populus maior esset servus populi minoris. Adveniente tempore partus exivit primo de utero (1) matris quidam rubeus in colore, cui nomen fuit Esau; deinde quidam parvus in colore nigro, qui tenebat cum manu pedem primi, quasi diceret: tu non ibis sine me; et isti (2) minori fuit nomen Jacob. Pater tamen plus diligebat Esau primogenitum; mater vero plus diligebat Jacob: et ipsa per fraudem fecit quod Jacob minor obtinuit benedictionem a patre Isaac, cuius oculi caligaverant præ nimia senectute; et hic Jacob fuit dilectus Deo et Esau odiosus, sicut scriptum est Malachiæ primo capitulo. Ad propositum ergo vult dicere autor: Vide si Deus prædestinat homines, cum prius quam isti gemelli nascerentur unum dilexit, alium odio habuit. Nunc ad literam dicit Bernardus: *E ciò espresso e chiaro vi si nota,* quasi dicat: talis effectus prædestinationis expresse et clare apparet, *nella scrittura santa*, scilicet, Genesi, *in quei gemelli,* idest, duobus fratribus simul conceptis, *ch' ebber l' ira commota nella madre,* scilicet, in utero matris Rebeccæ, sicut notatur supra capitulo VIII. — *Però.* Hic Bernardus ex dictis ostendit diversitatem luminis quæ fit digne et juste in istis, sicut etiam in sede secundum donum gratiæ divinæ. Dicit ergo: *Però l' al-*

(1) E. de ventre. (2) E. et huic minori.

tissimo lume, quod procedit ab altissimo puncto divinitatis, ex quo fit cœlum empyreum, *convien che s' incappelli,* idest, recipiat capellum, idest, coronam gloriæ, *degnamente,* idest, juste, *secondo il color de' capelli di cotal grazia,* idest, secundum qualitatem talis gratiæ divinæ. Et concludit primum dictum, dicens: *dunque,* isti parvuli, *locati son,* in isto regno, *per gradi differenti,* quia unus habet plus et alius minus gloriæ, *senza mercè di lor costume,* idest, sine merito vitæ ipsorum; et dicit: *sol differendo,* idest, solummodo differentiam habentes, *nel primiero acume,* idest, in voluntate divina, quam autor vocat primum acumen, idest, primam causam acutam et subtilem, nam penetrat omnia, ad quam reducuntur omnes causæ; ergo bene diversa gratia Dei, non diversitas meritorum, dat istis diversitatem gloriæ. — *Bastava.* Hic Bernardus declarat unum quod dixerat supra, scilicet, quod isti parvuli sedent in gloria propter alienum meritum: hic ergo autor explicat diversum meritum parentum in diversis ætatibus; et quamvis hoc sit expositum aliqualiter supra, tamen ad clariorem intelligentiam est præsciendum, quod in prima ætate expediebat etc. Nunc ad literam dicit autor: *La fede de' parenti bastava sì,* scilicet, illis parvulis innocentibus, *solamente con la innocenza per aver salute,* idest, ad salvationem ipsorum, *nei secoli recenti,* sicut in prima ætate et secunda usque Abraham. Et subdit aliud meritum alterius ætatis, dicens: *convenne,* scilicet, ex præcepto Dei facto Abræ, *ai maschi acquistar virtute all' innocenti penne,* scilicet, quibus volarent in cœlum, *per circoncidere,* idest, mediante circumcisione: et hoc, *poi che le prime etadi fur compiute,* scilicet duæ, et venit Abraham. Et subdit alium meritum ultimæ ætatis, dicens: *ma tal innocenzia non si ritenne là giù,* scilicet, in mundo vestro, *senza perfetto battesmo di Cristo,* et cum baptismo tenet taliter

quod si innocens baptizatus moritur vadit in vitam æternam. Et hoc fuit: *poi che 'l tempo della grazia venne,* idest post adventum Christi, quod appellatur tempus gratiæ, quia per eius mortem sumus gratis et liberaliter liberati a peccato originali per baptismum.

Riguarda. Ista est tertia pars generalis, in qua Bernardus ostensa particulari forma paradisi, nunc ostendit in speciali reginam huius mundi, et unum angelum singulariter festantem coram ea: et primo Bernardus persuadet autori inspectionem huius dominæ tamquam necessariam ad cognitionem ultimi finis. Unde dicit: *Riguarda omai nella faccia,* scilicet Mariæ (1), *che più somiglia a Cristo,* in forma humana, tamquam vera mater, et in luce et beatitudine, et opere pretium est intueri faciem eius, *chè la sua chiarezza,* idest, lux et luminositas superexcellens cæteris, ut ostensum est in capitulo præcedenti, *sola ti può disporre a veder Cristo,* et nulla alia facies beata posset hoc: et sic nota virtutem et efficaciam talis visionis, quæ disponit virtutem visivam ad posse videre divinam essentiam quantum est possibile creaturæ videre per gratiam. — *Io vidi.* Hic autor describit superexcellentiam lucis et claritatis illius dominæ, dicens: *Io vidi tanta allegrezza,* lucis (2) et beatitudinis, *piover sopra lei,* idest, mitti a filio suo, lætitiam dico, *portata nelle menti sante,* scilicet, angelis, *create a transvolar per quell' altezza,* vel, secundum aliam literam, *a transtullar,* quia angeli creati sunt tamquam ministri Dei portantes et distribuentes gloriam illam, sicut patuit in præcedenti capitulo. Et dicit: *che quantunque,* scilicet, gaudii, *io avea visto davante, non mi sospese di tanta ammirazione,* sicut præsens lætitia, *nè mi mostrò tanto sembiante di Dio,* idest, tantam similitudinem divinæ bo-

(1) E. Virginis Mariæ. (2) E. scilicet lucis.

nitatis, quia (1) numquam Deus fecit maiorem bonitatem quam redimere humanum genus per Mariam. Et hic nota quod artificialiter autor describit excellentissimam gloriam Mariæ (2); nam sicut patet in toto isto libro Paradisi autor descripsit mirabiliter gloriam et beatitudinem beatorum angelorum et Beatricis in speciali et generali multifariam, multisque modis, cum nobilissimis comparationibus, coloribus, metaphoris et exemplis. Nunc vero dicit quod quicquid vidit hactenus per totum non obstupefecit eum in tantum, nec fuit dignum tanta admiratione, sicut ineffabilis et incomparabilis gloria Mariæ (3) quæ plus repræsentat et recipit de divino lumine. — *E quello.* Hic Bernardus describit excellentiorem ex illis angelis et eius officium, dicens: *E quello amor,* idest, angelus Gabriel, *che primo lì discese,* scilicet, Mariæ, *distese le sue ali dinanzi a lei,* scilicet, coram Maria, *cantando Ave, Maria, gratia plena,* quam salutationem fecit quando Virgo (4) concepit Christum. Et subdit: *la beata corte,* omnis chorus angelorum et beatorum, *rispose alla divina cantilena,* scilicet, cantantes et dicentes *Dominus tecum* etc. Et tangit virtutem talis cantilenæ, dicens: *sì ch' ogni vista sen fe più serena,* quia omnes magis exhilarati sunt. — *O santo.* Hic autor persuadet Bernardo ut dicat quis est ille angelus principalior in isto festo, dicens: *O santo padre,* scilicet, Bernarde, *che comporte l' esser qua giù,* idest, in isto basso rosæ, *per me,* idest, gratia mei in meum favorem; et dicit: *lasciando il dolce loco nel qual tu siedi per eterna sorte,* quasi dicat: prædestinato tibi ab æterno. Hoc dicit quia Bernardus habebat sedem suam in circulo doctorum in quarto

---

(1) E. quod nusquam Deus.

(2) E. Virginis Mariæ.

(3) E. Virginis Mariæ.

(4) E. Virgo Maria concepit Jesum Christum. Et subdit, *la beata corte,* idest omnis.

gradu, ubi erat Augustinus; *qual è quell' angel che guarda negli occhi la nostra regina con tanto giuoco,* idest, tanto festo vel festivo gaudio; et dicit, *innamorato sì che par di fuoco?* quia cum omnes angeli dicantur ignei, iste antonomastice potest dici igneus ardens amore ferventissimo Mariæ, cuius est domicellus dilectissimus. Et subdit quomodo recurrit ad doctorem Bernardum in isto casu, sicut fecerat supra in aliis dubiis. Unde dicit: *così ricorsi ancora alla dottrina,* quia per doctrinam Bernardi autor erexerat oculos ad Mariam, sicut patuit in præcedenti capitulo, ubi Bernardus dixit autori: *figliuol di grazia* etc., *di colui ch' abbelliva di Maria,* idest, efficiebatur decorus et ornatus a simili, *come stella mattutina del sole,* supple, decoratur et illustratur. Et est comparatio propria, quia sicut Venus stella matutina associat solem in cursu suo et illuminatur præ cæteris ab eo; ita Bernardus tamquam stella quia fuit doctor, et doctores figurantur in forma stellarum in corpore solis, sicut ostensum est supra capitulo huius Paradisi, associavit Mariam ex summa devotione et compassione: unde devotissime describit planctum eius, et ideo bene præ cæteris illuminatur [1] ab ea. — *Et egli.* Hic autor ponit responsionem Bernardi ad se, dicens: *Et egli a me,* supple Bernardus respondit: *baldezza e leggiadria,* dat intelligi spiritualia [2] et corporalia, *è tanta in lui,* idest, tam excellens, *quanta esser puote in angelo et in alma,* idest, in aliqua anima beata illius aulæ; et dicit: *e sì volem che sia,* idest, omnes tam angeli quam beati contentamur et lætamur de hoc; cum voluntas nostra sit conformis voluntati divinæ, quia dignum et justum est. Unde subdit rationem, dicens: *perch' egli è quello che portò la palma,* scilicet, pacis et gaudii, *giuso a Maria,* quando descendit ad annuntian-

---

[1] E. illuminabatur. [2] E. spiritualia per temporalia, *è tanta.*

dam incarnationem; unde dicit: *quando il figliuol di Dio si volse carcar della nostra salma,* idest, sarcina; quasi dicat: quando dignatus est assumere onus humanæ carnis et portare pœnam culpæ humanæ. Et non videatur tibi superfluum, lector, quia autor descripsit supra capitulo X istum eumdem angelum festantem circa eamdem Mariam, quia ibi descripsit cœlestem curiam figuraliter in loco non suo, hic vero in forma sua et in cœlo proprio.

Ma vienne. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Bernardus ostendit singulariter aliquot viros illustres huius aulæ. Et primo invitat autorem ad contemplationem istorum, dicens: *Ma vienne omai con gli occhi,* quasi dicat: visa et cognita regina, sequere me cum contemplatione, *sì com' io andrò parlando,* et dicit: *e nota i gran patrici,* idest, senatores de ordine illustri huius almæ Romæ, ubi imperat princeps justissimus et clementissimus; unde dicit: *di questo imperio giustissimo e pio,* scilicet cœli empyrei, ubi justissime et pie redditur cuique quod convenit, ita quod justitia refertur ad salvatos meritis; pietas ad pueros innocentes. Et hic nota ut intelligas vim istius vocabuli patriciorum, quod sicut scribit Titus Livius libro primo ab origine urbis, Romulus, condita urbe etc. — *Quei duo.* Hic primo Bernardus denominat duos venerabiles patres conscriptos istius senatus, quos describit a superiori propinquitate et maiori felicitate inter alios, dicens: *Quei duo,* scilicet, Adam et Petrus, *che seggon lassù più felici,* quia plus sentiunt de beatitudine, *per essere propinquissimi ad Augusta,* idest, quia sunt vicinissimi Mariæ [1] quæ est Augusta, idest, Imperatrix huius æternæ Romæ. Sicut enim Octavius [2] summus et præclarissimus imperator vocatus est Augu-

---

[1] E. Virgini Mariæ, quæ est Augusta quia Imperatrix.

[2] E. Octavianus.

stus, quia consecratus, sub cuius imperio [1] incarnatus est Christus; ita per quamdam similitudinem quamvis indignam, ipse beatissimus et divinissimus imperator Christus [2] qui interpretatur unctus, potest dici Augustus. Et sicut [3] Livia summa et præclarissima imperatrix appellata est Augusta, quam summe dilexit vir suus, ita Maria beatissima et divinissima imperatrix potest appellari Augusta, quam summe dilexit ipse sponsus Christus, *son quasi due radici d' esta rosa,* idest, duo principia et capita huius cœli empyrei. Et subdit explicans primum quem describit specialiter ab amabili [4] transgressione. *Colui che le s' aggiusta,* idest, appropinquat ipsi Mariæ [5]. *da sinistra è il padre*, scilicet, Adam pater omnium; et dicit: *per lo cui ardito gusto,* idest, degustationem pomi in qua fuit nimis audax et temerarius, quia nuper formatus manu divina præsumpsit violare præceptum Domini; *l' umana specie tanto amaro gusta,* idest, gustat amaritudinem pœnæ et mortis, et aliarum miseriarum quas incurrit propter peccatum. Et explicat secundum quem describit a singulari potestate, dicens: *vedi quel padre vetusto,* scilicet, Petrum senem, qui fuit petra firma novæ fidei, *di santa chiesa,* quia fuit primus pater sanctus, idest, papa, unde dicit: *a cui Cristo raccomandò le chiavi di questo fior venusto,* idest, rosæ, quæ est pulcerrima florum, quasi dicat regni cœlorum, et dicit: *dal destro,* scilicet latere Mariæ. Unde nota quod illa pars media rosæ, in qua sunt hebræi, est a sinistra Mariæ, quia non habet tantum felicitatis; alia vero in qua stant christiani est a dextra, quia habent plus felicitatis, quam

---

(1) E. imperio natus est Christus et incarnatus; ita.

(2) E. Dominus noster Jesus Christus.

(3) E. sicut Julia summa.

(4) Così i Codici, ma in luogo di *amabili,* sembra debba dir piuttosto *ab audaci,* o simili.

(5) E. Virgini Mariæ.

quæsierant tempore gratiæ. — *E quei.* Hic Bernardus nominat alium venerabilem patricium, quem describit a singulari gratia, quia vidit et prædixit persequutiones ecclesiæ, quas sub mirabilibus figuris descripsit in eo libro qui dicitur Apocalypsis, de quo sæpe dictum est in isto libro. Unde dicit: *E quei,* scilicet, Johannes evangelista, *che vide pria che morisse,* scilicet, cum recubuit super pectus Domini, *tutti i tempi gravi,* idest, mala (1) quæ passura erat ecclesia in diversis temporibus per persequutiones principum et simonias et labes pastorum, quæ mala scripta sunt finali capitulo Purgatorii: unde dicit: *della bella sposa,* scilicet, ecclesiæ, *che s' acquistò con la lancia,* qua Christus fuit perforatus in morte, *e co' clavi,* idest, clavis quibus Christus fuit affixus cruci, *siede lunghesso,* scilicet, juxta Petrum. Et subdit alium magnum patricium ex parte sinistra, scilicet, Moysem quem describit a singulari ducatu, quia fuit dux populi Dei; unde dicit: *e quel duca,* scilicet, Moyses providissimus dux, *sotto cui,* idest, sub cuius cura et protectione, *la gente ingrata,* judaica (2) immemor tot beneficiorum Dei, nam liberata de amara captivitate Pharaonis coluit vitulum, *mobile,* idest, instabilis ad omnia, *e ritrosa,* idest, retrograda, quia semper redibat in peius, *visse di manna,* quam Deus misit eis in deserto, et tamen conquerebantur quod nauseabant super cibum illum, *posa lungo l' altro,* idest, sedet juxta Adam. De ista gente ingrata dictum est in Purgatorii cantica. — *Di contro.* Hic Bernardus ostendit alium spiritum de numero patriciorum de manu (3) sinistra hebræorum, scilicet Annam, quam describit a singulari lætitia, quam habet in contemplando filiam suam (4). Dicit ergo autori: *Vedi Anna,* scilicet, matrem beatæ Virginis, *seder di contra a Pietro,* idest,

(1) E. mala omnia quæ.
(2) E. scilicet judaica, perfida, et immemor.
(3) E. de parte.
(4) E. suam Virginem Mariam. Dicit.

ex opposito, et per consequens in sinistra; et dicit: *tanto contenta di mirar sua figlia, che non muove occhio,* idest, contemplationem (1), *per cantar osanna,* quasi dicat: quamvis cantet cum aliis beatis et angelis numquam tamen removet oculum (2) a Maria, in qua est maior beatitudo, quam in cæteris beatis, ideo (3) merito contentatur. Et subdit alium spiritum de ordine patriciorum ex parte dextra christianorum, scilicet Luciam, quam describit a singulari beneficio quod contulit autori; unde dicit: *e Lucia siede contro al maggior padre di famiglia,* idest, ex opposito Adæ, quia est maximus paterfamilias, cum multi alii sint patresfamilias. Et dicit: *che mosse la tua donna,* idest, quæ Lucia movit Beatricem ut succurreret tibi, *quando chinavi le ciglia a ruinar,* idest, quando relabebaris in vallem vitiorum. Quomodo autem ista Lucia succurrit autori ne rueret in vallem vitiorum, patet plene II capitulo Inferni; et quomodo succurrit sibi ut ascenderet montem purgatorii ad purgationem vitiorum, expositum est clare VIII capitulo Purgatorii. — *Ma perchè 'l tempo.* Hic ultimo Bernardus, quia tempus non patitur ut ulterius se extendat in ostendendo spiritus illustres utriusque partis, concludit in dicta materia, et prædisponit autorem ad materiam ultimi capituli causa videndi ultimam salutem. Dicit ergo autori: *Ma perchè 'l tempo fugge che t' assonna,* quia scilicet, post longissimum et maximum laborem et vigiliam optas quiescere, *qui farem punto,* idest, finem contemplandi amplius paradisum. Et dicit per propriam similitudinem, *come buon sartore che fa la gonna com' egli ha del panno;* sicut enim bonus sartor si habet multum de panno facit tunicam amplam et longam, et si habet parum facit gonnam brevem et arctam; ita a simili, bonus poeta

(1) E. contemplationis. (2) S. oculos. (3) E. unde merito.

facit poema succinctum et diffusum secundum magnitudinem vel parvitatem materiæ. Est etiam conveniens similitudo sartoris ad poetam; sicut ille componit vestem ex diversis partibus panni artificialiter ordinatis; ita poeta componit opus ex diversis partibus materiæ et coordinat subtili artificio. Et bene dicit autor, sicut bonus sartor, quia aliquando sartor ex multo panno facit vestem parvam et destruit eam vel ex ignorantia, quæ est magnum malum, vel ex malitia quæ est peius. Et subdit quid restet agendum, dicens: *e drizzeremo gli occhi al primo amore,* idest, contemplationem ad divinitatem quæ est ultima felicitas; et dicit: *sì che penetri,* idest, perfores cum acumine oculi intellectualis, *per lo suo fulgore,* idest, lumen quod descendit ab eo, *guardando,* idest, contemplando, *verso lui quant' è possibile,* scilicet homini adhuc viventi in carne, quia non videbit me homo, et vivet. — *Veramente.* Hic iste sanctus doctor docet autorem modum quo possit penetrare per fulgorem (¹) divinum, scilicet mediante intercessione Mariæ (²), ne autor temere præsumat posse obtinere summam gratiam a summo domino sine precibus summæ dominæ. Dicit ergo: *Veramente convien che s' impetri grazia orando,* et ostendit a quo expediat gratiam impetrari, repetens, *grazia da quella,* scilicet, Maria (³), *che puote aiutarti,* et dico, *nè forse tu t' arretri,* idest, ne forte tu retrocedas et elongeris a fine intento, *credendo oltrarti,* idest, procedere et appropinquari ipsi fini, *movendo l' ali tue,* idest, intellectum et orationem, quasi dicat: ne temere tentes cum periculo tuæ ruinæ volare ad tantam altitudinem propriis viribus tuis et cum toto studio theologiæ (⁴), quia tunc magis elongareris a signo quanto magis accedere festinares. Et ideo subdit Bernardus quod orabit ad

---

(¹) S. fulgorem divini luminis, scilicet.
(²) E. Virginis Mariæ.
(³) E. Virgine Maria.
(⁴) S. theologico.

Virginem pro autore pro gratia impetranda, dicens: *e tu mi seguirai con l' affezione,* idest cum affectione et intentione, *sicchè non parti il cuor,* idest, voluntatem tuam, *dal dicer mio,* idest, ab oratione quam facturus sum. Et claudit autor capitulum dicens: et Bernardus, *cominciò questa santa orazione,* devotissime ad beatam Virginem in forma quæ scribitur sequenti capitulo.

CANTUS TRIGESIMUS TERTIUS ET ULTIMUS PARADISI,
in quo ponitur devota oratio ad beatam Virginem, et quantum autor intellexit de divinitate.

Vergine *madre, figlia del tuo Figlio.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti circa finem beatus Bernardus dixit autori orationem fore necessariam pro gratia impetranda, et promisit se facturum ipsam orationem ad [1] beatam Virginem in obsequium autoris; nunc consequenter in isto [2] XXXIII finali capitulo ipse Bernardus juxta formam suæ promissionis impetrat per orationem devotissimam a [3] gloriosa Virgine, ut perducat autorem feliciter ad videndum infinitam essentiam divinam. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima Bernardus facit suam orationem ad gloriosissimam Virginem, in qua petit ut perducat autorem ad videndam ultimam salutem [4]. In secunda ostendit quomodo opera Mariæ ipse pervenerit ad visionem summi boni, ibi: *Gli occhi da Dio.* In tertia autor precatur summam divinitatem, ut possit paullulum manifestare de sua gloria, ibi: *O somma luce.* In quarta et ultima ostendit, quomodo viderit humanitatem in divinitate, ibi: *Nella profonda.* Ad primum ergo veniens dico quod autor in prima parte generali ponit orationem Bernardi, in qua primo breviter perstringit singulares prærogativas et dotes quibus ipsa domina insignitur. Sed antequam descendam ad declarandum literam est evidentialiter prænotandum, quod licet autor noster videatur hic fingere quod Bernardus faciat istam

---

(1) E. ad gloriosissimam Virginem Mariam in. (2) E. in hoc XXXIII.
(3) E. a gloriosissima Virgine Maria, ut. (4) E. gloriam.

orationem, tamen de rei veritate ista fuit oratio Bernardi antequam autor esset in rerum natura. Oratio ergo Bernardi, de qua autor exscripsit [1] aliqua dicta hic inserta est talis etc. Nunc ad literam dico quod Bernardus breviter perstringens prærogativas nostræ dominæ, intendit ostendere eam sufficientem ad faciendam gratiam sibi petendam; et primo colligit simul tres prærogativas, quibus beata Virgo superexcedit naturam humanam; unde videtur tripliciter implicare contradictionem per viam naturæ, licet non sit implicatio. Dicit ergo primo: *Vergine madre.* Impossibile namque videtur secundum naturam quod Virgo concipiat et pariat, et quod plus est quod fœmina concipiat et pariat Deum. Si ergo potuit gignere æterni regis filium, bene poterit perducere autorem ad videndum ipsum. Et tangit secundam prærogativam, quæ numquam fuit in aliqua creatura, dum dicit: *figlia del tuo Figlio;* fuit enim filia omnipotentis patris, qui est idem cum filio quantum ad divinitatem quem ipsa genuit. Et tangit tertiam prærogativam, cum dicit: *umile et alta,* quæ duo non videntur posse stare simul. Fuit ergo beata Virgo humilis moribus vitæ et verbis [2], quia: Ecce ancilla Domini; alta, quia mater Dei, regina cœli, exaltata super omnes sanctos. Si ergo hæc domina potuit hæc omnia quæ sunt super naturam humanam, bene poterit ostendere summum Deum homini adhuc in carne viventi; quod est super naturam. Et addit quartam prærogativam, dicens: *termine fisso d' eterno consiglio,* idest, ad denotandum excellentiam consilii sicut et auxilii; et dicit: *eterno,* ad differentiam humanorum consiliorum quæ sunt ad tempus, et non fiunt de æternis, sicut dicit philosophus,

---

(1) E. extraxit.

(2) E. verbis. Dixit enim ipsa de se: *Ecce ancilla Domini* etc. Fuit alta, quia mater fuit Dei, et regina.

quod etc. — *Tu se'.* Hic Bernardus tangit quintam prærogativam per quam Maria superexcessit et superexaltata est super omnes, quia scilicet creator voluit sumere ex ea carnem humanam causa coniungendi divinitatem cum humanitate, et nobilitare per gratiam genus humanum vilificatum per [1] culpam; unde Maria fuit mediatrix inter Deum et hominem, et fuit talis mediatrix, quod qui fecerat eam non fuit indignatus [2] fieri ex ea. Dicit ergo: *Tu se' colei che nobilitasti sì l' umana natura, che 'l suo Fattore,* idest, Deus creator ipsius naturæ humanæ, *non disdegnò di farsi sua fattura,* idest, fieri homo capiendo [3] carnem humanam, et sponte subiiciens se legi naturali hominis. — *Nel ventre.* Hic Bernardus ostendit maximum fructum prætactæ [4] incarnationis, quia amor ardens, qui primo fuerat extinctus per odium Hevæ, reaccensus est per amorem Mariæ, cuius amoris calore paradisus quodammodo vacuus est repletus. Dicit ergo: *L' amore,* scilicet, divinus qui est Spiritus Sanctus, *per lo cui caldo,* idest, virtute cuius calidi amoris, *questo fiore,* scilicet, rosa, quæ est cœlum empyreum, *è così germinato,* idest, multiplicatus, *nella eterna pace,* hoc dicit quia hinc nati sunt apostoli, martyres, confessores [5], et renati sunt prophetæ, patriarchæ, et antiqui patres, qui in morte sedebant, ita quod iste flos maximus rosæ non habebat in se ullum fructum, quia nullus beatus habebat sedem in ea, sed solum angeli volitabant per amplissimam aulam; unde vide quod ista aula erat quasi vacua, quia non habebat in se nisi familiares fideles antiquos domus, scilicet angelos qui numquam deseruerant istam mansionem in qua semper servierunt Domino, *si raccese nel ventre tuo.* Si ergo tu potuisti coniungere divi-

---

(1) E. jam per.
(2) E. dedignatus.
(3) E. assumendo.
(4) E. prædictæ.
(5) E. confessores et alii sancti, et renati.

nitatem humanitati, et vilem naturam nobilitare, et exules ad patriam revocare, et sic cœlum vacuum replere, quanto magis hominem unum præsentare conspectui divino, qui jam totum regnum et regnicolas perquisivit? — *Qui sei.* Hic Bernardus tangit operationem saluberrimam istius excelsissimæ et potentissimæ imperatricis in peregrinatione et in patria: nam in cœlo fovet et conservat beatos in beatitudine virtute caritatis; in terra (1) animat peccatores virtute spei ad perveniendum ad ipsam beatitudinem. Dicit ergo: *Tu sei qui,* scilicet in cœlo, *a noi,* scilicet, beatis, *meridiana face di caritade,* idest, flamma lucentissima ardentissimæ caritatis stans in medio et superillustrans omnes tibi subditos et devotos, ut ostensum est in præcedenti capitulo penultimo et in antepenultimo; et dicit: *e sie' giuso in tra i mortali,* idest, in terra inter miseros homines, *fontana vivace di speranza,* quæ nunquam deficit, nunquam aret; ergo non deseres desperatum autorem istum qui semper invocat nomen tuum, ut ipse scribit supra in hac Paradisi cantica. Et subdit: multa possem dicere de magnitudine potentiæ tuæ, sed, ut concludam uno verbo, *tu sei donna tanto grande,* idest, cui omnia regna parent, *e tanto vali,* idest, potes, *che qual vuol grazia, e non ricorre a te, sua disianza vuol volar senz' ali,* sicut ipse Bernardus dixit autori in fine capituli præcedentis; et quia iste autor fidenter ad te recurrit, ideo merito est dignus gratia. — *La tua.* Hic Bernardus commendat et extollit istam dominam a virtute liberalitatis, quæ multum convenit potenti. Et ostendit eius veram liberalitatem, dicens: *La tua benignità non pur soccorre a chi dimanda,* scilicet, indigenti precanti, *ma molte fiate precorre liberamente al dimandar,* idest, prævenit liberaliter petitionem. Et hic nota quod

---

(1) E. in terra autem animat.

signum vere liberalis est quando non petitus, non rogatus donat, sicut dicit philosophus libro ethicorum et rhetoricorum et magnorum moralium: ergo bene succurres isti petenti et roganti. — *In te.* Hic Bernardus tangit alias virtutes quæ maxime placent in muliere regina, sive domina magna; unde dicit: *Misericordia s' aduna in te,* quia compateris afflictis et flectis dominum tuum ad misericordiam, et pietas adunatur in te, quæ virtus facit diligere patriam et parentes; *e magnificenza s' aduna in te,* quæ virtus præsertim decet magnanimos et potentes; consistit enim in faciendo magna munera, sicut liberalitas in minoribus expensis. Et quia finis proximus non permittit discurrere per singulas virtutes Mariæ, ideo bene Bernardus colligit omnes sub vocabulo bonitatis, dicens: *quantunque di bontade,* idest, quicquid boni quod comprehendit et continet omnes virtutes, *è in creatura s' aduna in te,* quasi dicat: quod singulæ virtutes distributæ in diversis creaturis humanis et angelicis, facientes illas diversimode excellere, sunt aggregatæ dignissime in ista; ita quod casta virginitas quæ est in spiritibus lunaribus, prudens operositas mercurialium, benignitas vel benigna caritas venereorum, clara sapientia solarium, audax fortitudo martialium, inclita justitia jovialium, solitaria contemplatio saturnalium, omnes cumulatim reperiuntur in ista domina perfectissima; ita ardor seraphinorum, splendor cherubinorum etc., ita amabilitas Rachelis, sapientia Rebeccæ, fidelitas Saræ etc. Ergo bene ex his et aliis multis licet concludere: tu potes, scis, vis et debes exaudire humillimam supplicationem petentis; potes enim, quia es regina magnificentissima; scis, quia es sapientissima, quia increatam sapientiam habuisti in te inclusam; vis, quia es mater clementissima et piissima; et debes, quia nata de stirpe nobili David, et nobilissimo principi sociata etc. — *Or questi.* Hic Bernardus

facit suam [1] petitionem ad Virginem pro autore, ostendens primo quomodo per maximos et quasi intollerabiles labores pervenerit ad supremum cœli, dicens: *Or questi,* scilicet, Dantes poeta christianissimus, *che ha vedute le vite spiritali,* idest, animas spirituales, *ad una ad una;* et [2] hic nota: intellige hoc esse verum de generibus singulorum, non de singulis generum, quia sic diceret falsum et impossibile; si enim vidit tristes captivos in inferno, non vidit singillatim omnes, immo unum tantum novit; ita si vidit incontinentes in diversis circulis extra civitatem in valle plana, paucos novit; ita si vidit violentos in diversis vicis civitatis, notavit aliquos; ita si vidit fraudulentos in decem [3] bulgiis et proditores in puteo, non multos notavit de tam infinita multitudine. Eodem modo in purgatorio, si vidit relegatos extra purgatorium de quinque speciebus, paucos discrevit; si intra purgatorium vidit eos qui purgabantur a septem vitiis in septem cornicibus sive circulis, parvam partem elegit; si in post-purgatorio vidit ecclesiam Dei triumphantem, tantum præcipuos duces et primiores descripsit. Similiter autem in paradiso: si vidit septem sectas animarum beatarum in septem speris planetarum, de quibusdam excellentioribus laudem et commendationem fecit; si in octava spera vidit sub figura triumphantem ecclesiam, de quatuor tantum fecit mentionem, de Petro, Jacobo, Johanne apostolis, et Adam primo parente; si in nona spera vidit novem ordines angelorum, nullum nominavit specialiter; si in cœlo empyreo ubi est paradisus vidit sedes omnes beatorum utriusque Testamenti, tantum paucissimos principales et patricios explicavit; inter angelos vero unum tantum, scilicet Gabrielem. Ergo bene dicit Bernardus quod autor vidit omnes vitas spirituales [4]

---

(1) E. unam.

(2) E. et hoc intellige esse verum.

(3) E. in decima bulgia et.

(4) E. speciales damnatorum.

damnatorum, purgatorum et beatorum de una ad unam, *dall' infima lacuna dell' universo in fin qui,* idest, a centro terræ usque ad summum cœli. Et facit rectam metaphoram vocando infernum lacunam: infernus est locus concavus colligens et continens omnes sordes mortuorum foris et intus, sicut nebulas, stercora bullientia et pices, serpentes, infirmitates et omnia fœda et horribilia; sicut in lacuna concurrunt et colliguntur omnes sordes aquarum mortuarum. Quia ergo autor supra vidit omnia ab infimo usque ad summum universi præter summum bonum, ideo bene, *supplica a te,* idest, precatur sicut infimus altissimum suppliciter et reverenter petit, *per grazia,* idest, ex gratia speciali postquam habuit gratiam generalem videndi generaliter omnia invisibilia viventi, *tanto di virtute, che possa levarsi cogli occhi,* scilicet, intellectualibus, *più alto verso l' ultima salute* (1). — *Et io.* Hic Bernardus facit intercessionem ad Virginem pro autore, dicens: *Et io che mai non arsi per mio veder,* idest, qui numquam ardentius desideravi videre ultimam salutem, *più ch' io fo per lo suo,* idest, magis quam ardeam propter suum videre, in quo notat quod autor habuit singularem devotionem et spem in Bernardo; ideo dicit: *ti porgo tutti miei prieghi,* affectuosissime; et dicit: *e prego che non siano scarsi,* idest, insufficientes. Et facit primam petitionem, dicens: *perchè tu gli disleghi,* idest, dissolvas, *ogni nube di sua mortalità,* idest, omnem tenebram carnis quæ obfuscabat (2) lumen intellectuale, *coi prieghi tuoi,* ad filium tuum, *sì che 'l sommo piacer,* idest, Deus, *gli si dispieghi,* quia est velatus lumine suo, ita ut videri non possit per naturam, sed per gratiam. — *Ancor.* Hic Bernardus facit secundam petitionem, et petit quod post talem visionem conservet

---

(1) E. *salute,* idest omnium rerum finem. — *Et io.* (2) E. obfuscat.

conceptus suos. Dicit ergo: *Ancor ti prego, Regina, che puoi ciò che tu vuoi,* sicut probatum est paullo ante, *che tu conservi sani gli affetti suoi,* idest, bonas affectiones suas, *dipo tanto veder,* idest, post visionem summi boni: et hoc ut possit scribere in suo opere ad removendum mortales a vitiis et revocandum ad virtutes. Et probat quod oratio sit exaudibilis, dicens primo, quod est impossibile inter tot errores humanos sola innocentia vivere; secundo, quia non solum Bernardus, sed et Beatrix et cæteri beati supplicant pro autore. Dicit ergo: *tua guardia vinca,* idest, vincere debet et sistere et frænare, *i movimenti umani,* idest, alterationes, quia nostra caro passibilis et fragilis alteratur ad omnem motum, et alterat mentem interius. Et dicit: *vedi Beatrice,* quæ conduxit istum prospere usque ad istum passum, *con quanti beati,* scilicet, præcipue cum doctoribus ipsius theologiæ, *ti chiudon le mani,* scilicet, orantes et rogantes te, *per li miei prieghi.*

Gli occhi da Dio. Ista est secunda pars generalis (1), in qua autor ostendit quomodo opera Mariæ ipse pervenerit ad visionem summi boni juxta petitionem Bernardi. Et primo ostendit per evidens signum quomodo Maria acceptet istas preces: dicit ergo: *Gli occhi,* scilicet Mariæ, *diletti e venerati da Dio,* quia Deus dilexit et honoravit istam pulcerrimam dominam super omnem creaturam, quia Deus sublimavit fœminam, Dominus ancillam, patronus servam ad culmen tantæ dignitatis, et maiestatem tanti honoris, *fissi nell' oratore,* idest, Bernardo, qui fuit orator Domini: fuit (2) enim de rei veritate luculentus orator, quia habuit dulcem et claram eloquentiam cum florido et polito stylo, sicut patet intuenti dicta eius; fuit etiam orator, idest precator de-

(1) E. generalis huius capituli, in qua.
(2) S. dicitur enim.

votissimus, sicut patet ex præmissa oratione dulcissima et aliis multis quas vidi. Et vere Bernardus fuit bonus orator, et faciliter et affabiliter dixit bonum et malum, sicut de romanis et prælatis romanæ ecclesiæ, ut dixi in præcedenti capitulo, *ne dimostraro,* scilicet mihi et Bernardo, *quanto i devoti prieghi le son grati,* ita libenter et firmiter auscultavit. Et probat hoc per effectum; auscultatis precibus continuo Maria levavit oculos ad lumen æternum. Dicit ergo: *indi,* idest, deinde illi oculi Mariæ, *si drizzaro al lume eterno;* et dicit: *nel qual,* scilicet, lumine, *non si dee creder che l'occhio s' invii,* idest, penetret et intret in id, *per creatura tanto chiaro:* hoc est quod nulla creatura tam angelica quam humana tam clare videt Deum sicut Maria (1). Et hic nota quod per erectionem oculorum Mariæ, sive elevationem, autor tacite dat intelligi quod Maria fecerit orationem ad Deum pro autore. — *Et io.* Hic autor ponit effectum orationis Mariæ, quia statim fuit contentus (2) omnino; unde dicit: *Et io,* scilicet, poeta Dantes, *che m' appropinquava al fin di tutti disii,* idest, qui approximabam Deo, ubi quietantur omnium vota et desideria, sicut prædixerat sibi supra alius vir summæ contemplationis, scilicet Benedictus, sicut patet capitulo huius Paradisi, *finii l'ardor del desiderio sì com' io doveva,* quia justo fine omnium rerum nihil ultra debebam aut poteram desiderare. — *Bernardo.* Hic autor ostendit continuam doctrinam caritanti (3) magistri. Dicit ergo: *Bernardo m' accennava perch' io guardassi in suso,* per illud lumen æternum, *e sorrideva,* quasi lætus dicens: nunc habes quidquid tanto opere petisti, et tamdiu desiderasti. Et dicit quod erat talis discipulus, qualem ille doctor desiderabat; unde dicit: *ma io era già per me stesso tal qual ei volea,* idest, tam bene dispositus et

---

(1) E. Virgo Maria.
(2) E. contentus animo; unde.
(3) E. caritativi magistri.

promptus ad videndum; quod probat per effectum, dicens: *chè la mia vista venendo sincera,* idest, mera et pura, *e più e più,* quasi dicat, continuo crescendo per gratiam infusam, *intrava per lo raggio dell' alta luce,* scilicet, divinæ; et dicit: *che da sè è vera.* Hoc dicit, quia omnis lux quantumcumque magna, vel solis, vel angeli, vel beati non est a se, sed dependet ab ista æterna luce. Et hic nota quod huiusmodi visio, postquam transcendit terminos naturales et tendet in divinam essentiam, potest dici raptus, qui fuit in autore virtute divina. — *Da quinci.* Hic autor protestatur quod visionem suam non potest verbis explicare, nec mente rememorare, dicens: *Il mio veder fu maggio,* idest, mea visio intellectualis fuit maior, *da quinci innanzi,* usque in finem, *che 'l mio parlar dimostri,* idest, quam mea eloquentia demonstrare possit; et dicit: *che a tal vista cede,* quia loquela [1] cedit intellectui: et non solum loquela sed etiam memoria; unde dicit: *e cede la memoria a tanto oltraggio,* idest, tantæ excellentiæ, quæ vincit et superat intellectum nedum memoriam. Et hic nota quod homo plus potest intelligere de Deo, quam memorare vel dicere. Unde autor noster nunc recte refert se in fine istius libri Paradisi ad id quod protestatus est in principio eius, ubi dixit clare: *perchè appressandosi al suo desire nostro intelletto si profonda tanto, che dietro la memoria non può ire;* ideo, o lector, si solerter consideras hoc opus, perpendes, quod nunquam fuit poeta qui plus habuerit totum suum thema simul collectum præ oculis mentis quoad omnes partes sui, quam autor iste circumspectissimus etc. — *Quale.* Hic describit confusam memoriam suæ visionis per unam comparationem subtillimam et summarie vult dicere quod nunc accidit sibi sicut aliquando somnianti,

---

(1) E. eloquentia.

qui videt in somnio unam mirabilissimam visionem, sicut aliquando audivi: vidit Deum et beatam Virginem cum tota curia in lætissimo festo; deinde evigilans bene recordatur se habuisse visionem delectabilissimam; sed non [1] potest meminisse specialem formam eius; et tamen memoria illius visionis confusa parit summam dulcedinem in animo eius. Nunc construe literam sic: *Io son cotal,* scilicet, in memorando visionem istam altissimam, *quale colui,* supple est, *che vede sognando,* idest, qui habet visionem in somnio, *e la passione impressa,* sicut vehemens delectatio, *rimane,* scilicet, in mente, *dopo il sogno,* scilicet in vigilia, *e l'altro,* idest, forma propria, *non riede alla mente,* idest, non revertitur ad memoriam: et vere eram talis, *che quasi tutta cessa mia visione, et il dolce,* idest, intensa dulcedo, *che nacque da essa,* scilicet, visione, *ancor mi distilla nel cuor,* quia adhuc sentio aliquam stillam, idest, guttam illius immensæ dulcedinis. Et hic nota quomodo hæc artificiosa comparatio somniantis propriissime declarat intentionem autoris in isto finali capitulo, quia autor totam suam visionem habuit in somnio, sicut ipse testatus est in primo capitulo totius operis, ubi dixit: *tempo era dal principio del mattino* etc. — *Così.* Hic autor propalat deficientiam suæ visionis per duo exempla, unum naturale, et aliud artificiale, dicens: *Così la neve si disigilla al sole,* idest, liquescit et perdit formam suam: et est propria similitudo, sicut nix debilis et resolubilis privatur propria forma ad calorem solis sensibilis, ita mens humana debilis et infirma spoliata est forma suæ visionis phantasticæ ad calorem solis æterni, quantumcumque esset alba ut nix, idest pura et munda, quia talis præparata fuit antequam ascenderet in cœlum, sicut ostensum est

---

(1) E. non recordatur, nec potest meminisse.

Purgatorii finali capitulo. Et subdit secundam comparationem, dicens: *la sentenzia di Sibilla si perdea al vento nelle foglie lievi così,* sicut, supple, visio mea perdebatur. Ad declarationem autem istius comparationis est sciendum, quod, sicut fingit præclarissimus poeta Virgilius VI Eneidos, Eneas volens descendere ad inferos adivit Sybillam Cumanam, quæ erat sapiens et famosa sacerdos Apollinis, et ibi ministrabat in templo mirabili, cuius adhuc apparent vestigia apud civitatem desertam Cumarum, quæ nunc est mersa sub mari non longe a Neapoli; et ibi Apollo (1) dabat responsa sua, quæ Sybilla inscribebat in foliis, quæ ventus superveniens asportabat: quære quid sibi vult (2) hæc fictio; et nota quomodo hæc fictio Virgilii propriissime consonat fictioni Dantis. Sicut enim responsum Apollinis, qui (3) erat Deus sapientiæ, traditum sapienti Sybillæ scribebatur in folio et asportabatur a vento; ita visio Dei, qui est vera et summa sapientia, ostensa Danti sapienti, scripta fuit in mente mobili quæ evolvitur tamquam folium ad ventum. Sybilla enim arrepta spiritu Apollinis (4) perdebat memoriam eorum quæ viderat dum esset arrepta; ita autor post raptum suum reversus ad se perdidit memoriam eorum quæ viderat tempore raptus. Nota etiam quod multæ fuerunt sybillæ, scilicet, decem, quarum una vocata Erithrea mirabiliter prophetavit adventum Christi, sicut scribit Augustinus de Civitate Dei: fecit enim quædam carmina (5), quæ ibi scribit Augustinus, ex quorum principiis colliguntur ista verba: Jesus Christus Salvator etc. Sybilla etiam Cumana prædixit ipsum adventum Christi, sicut tactum est primo capitulo Inferni.

---

(1) E. Apollo, sive statua Apollinis per diabolum dabat.
(2) E. vult dicere hæc fictio.
(3) E. qui apud paganos repræsentabatur Deus sapientiæ.
(4) E. Apollinis, et verius diaboli, perdebat.
(5) E. carmina de hoc, quæ ibi.

O somma luce. Ista est tertia pars generalis, in qua autor, descripta visione Dei in generali, nunc vocat (1) Deum et rogat ut præstet tantam gratiam et memoriæ et linguæ suæ impotenti, ut possit aliqualiter propalare tantillum suæ gloriæ; unde dicit: *O somma luce,* scilicet, divina, altissima, *che tanto ti lievi da' concetti mortali,* idest, ab intellectibus hominum, *ripresta un poco,* idest, parvam partem, *di quel che parevi alla mia mente,* idest, meæ memoriæ, quæ (2) reminiscatur parum illarum sperarum (3) quas viderat in illa visione; et subdit: *e fa la lingua mia tanto possente,* idest, tam disertam, *ch' una favilla sol della tua gloria,* quod unum solum radium tuæ lucis, *possa lasciare alla futura gente,* idest, venturæ posteritati. Et assignat causam, scilicet propter bonum effectum sequuturum, si hoc sibi concedatur, quia in laudem Dei et utilitatem mortalium; unde dicit: *chè più si conceperà di tua vittoria,* quasi dicat: quia inter vivos plus cognoscetur et manifestabitur de excellenti gloria tua, quæ vincit et superat intellectus mortalium. — *Io credo.* Hic autor ostendit effectum suæ precationis exauditæ; et breviter dicit quod in eo invaluit vis sustinendi acumen divinorum radiorum; et primo præmittit quomodo fuisset alteratus si removisset oculos ab illo lumine; unde dicit: *io credo che io sarei smarrito per l' acume ch' io soffersi del vivo raggio,* splendoris æterni; et hoc dico: *se gli occhi miei,* scilicet, intellectuales, *fosser aversi,* idest, remoti, *da lui,* idest, ab illo radio divinæ lucis, juxta illud prophetæ: *averte oculos tuos* (4) etc. Et hic nota diversitatem quæ est de visione inferiori hic, ad aliam (5) superiorem ibi in visibilibus: oculus namque humanus cum videt excellens sensibile, sicut radium solis, debilitatur et redditur inabilis et impotens ad

(1) E. e S. invocat. (2) E. ut reminiscatur. (3) E. specierum.
(4) E. *meos.* (5) E. illam.

videnda alia visibilia minora; e contra autem oculus intellectualis videns excellentissimum sensibile, sicut radium solis æterni, vigoratur et efficitur potens ad videndum perfectius illud lumen et alia inferiora; simile est in aliis, quia si in uno genere scibilis intelligo quod difficilius est, multo magis quod facilius est. Et ideo subdit: *e mi ricorda ch' io fui più ardito a sostener per questo,* scilicet, acumen radiale, *tanto ch' io giunsi l' aspetto mio col volere infinito,* idest, intellectum, cum voluntate divina. — *O abondante.* Hic autor intendit describere divinam essentiam quantum ad ea quæ continet in universali; et primo superexaltat tantam gratiam concessam singulariter. Dicit ergo admiranter: *O abondante grazia,* idest, o gratiam Dei abundantem in me; unde dicit: *ond' io,* idest, per (1) quam excessivam gratiam *presunsi ficcar lo viso,* scilicet, intellectualem, *per la luce eterna, tanto che vi consunsi la veduta,* idest, contemplationem! — *Nel suo.* Hic autor describit quid viderit in ipsa essentia divina et breviter vult dicere quod omnia creata erant ligata in ipsa tam corporalia quam spiritualia, tam visibilia quam invisibilia, tam temporalia quam æterna, quæ ibi apparent sicut in speculo, et ibi habent esse suum in instanti æternitatis, ita quod futura sunt in præsentia, contingentia, necessaria, mobilia et immobilia, occulta, manifesta, fortuita, certa. Dicit ergo autor: *Io vidi che ciò che si squaderna per l' universo,* idest, quidquid distribuitur (2) per totam machinam universi per infinitas species et formas spirituales (3), *s' interna,* idest, interlocatur, *ligato con amore,* quo omnia gubernat, *in un volume,* quasi dicat, totum simul, *nel suo profondo,* idest, in profunditate illius lucis æternæ; et est pulcra metaphora de quaterno et volumine. — *Sustanzia.*

---

(1) E. propter. (2) E. describitur. (3) E. speciales.

Hic autor complectitur et comprehendit quidquid est in toto universo sub nomine substantiæ et accidentis, quia omne quod est, aut est substantia aut accidens; unde dictum est: summus Aristoteles. Dicit ergo: et ego vidi, *Sustanzia et accidente,* substantia appellatur illud ens quod per se subsistit, sicut Deus, angelus, homo, equus, planta, lapis; accidens vero appellatur illud quod per se non subsistit, unde accidentia non sunt entia, sed solum esse ipsorum est in substantia sive in subiecto, sicut amor, color, sonus; quæ possunt adesse (1) et abesse præter subiecti corruptionem, *e lor costume,* idest, operationes; et dicit: *tutti conflati insieme,* quasi dicat, in una massa, sicut multa metalla fusa in unum, ex quibus debeat fieri moneta, vel campana, vel aliud vas; et est propriissima metaphora. Vel dicas *conflati* per modum exemplarium: et dicit: *per tal modo che ciò ch' io dico è un semplice lume,* quia scilicet comparatio non cadit in Deo, qui est purus actus et simplicissimus intellectus. Et subdit: *credo ch' io vidi la forma universal di questo nodo,* idest, ligaminis; quasi dicat, ideam universi quæ est in pectore Dei, sicut expositum est superiori capitulo huius Paradisi: et dicit dubitative: *credo,* quia oculo mortali non conceditur talis visio. Et ostendit qualiter credat, dicens: *perch' io mi sento ch' io godo più di largo,* idest, recipio largiorem lætitiam in animo, *dicendo questo,* idest, propalando istud modicum; vel dic et melius: *perchè dicendo questo più di largo,* idest, loquendo tamen (2) sic large, non abstringendo me ad strictius loqui, gaudeo in me, quasi dicat: non possum me reducere ad loquendum strictius; et ista est verior litera, et magis adhæret menti autoris (3). — *Un punto.* Hic autor excusat se ab ampliori descriptione huius universalis formæ sive ideæ; et

(1) S. esse et abesse. (2) E. tantum. (3) E. autoris nostri. — *Un.*

dicit quod minimus punctus huius inducit sibi maximam oblivionem quam explicat per unam subtilem et artificiosam comparationem. Ad cuius intelligentiam est prænotandum, quod, sicut scribit Dares Phrygius in historia troiana, olim in Græcia in provincia Thessaliæ fuit quidam rex nomine etc. Modo ad propositum poetæ fingunt, sicut pulcre Claudianus in minori, quod Neptunus Deus maris, visa re nunquam visa, aliter nec credita, tantam admirationem concepit, quod currens a prora ad puppim non poterat satiari etc. Nunc ad literam dicit autor: *Un punto solo,* idest, una minima particula rerum divinarum, *m' è maggior letargo,* idest, maior infirmitas memoriæ; est enim letargum, ut tradunt Hippocras, Galienus, Avicenna et alii physici, oppressio cerebri cum oblivione et continuo somno, quasi dicat: plus me sopit et smemorat, *che venticinque secoli,* idest, viginti quinque centenaria annorum; tot enim transcurrerant postquam facta est illa magna navis; *all' impresa che fe Nettuno ammirar l' ombra d' Argo,* idest, primæ navis. Et hic nota quomodo ista comparatio propriissime exprimit admirationem autoris. Vult enim dicere quod fuit ita stupefactus, visa illa mirabili forma nova oculis suis, sicut Neptunus olim quando vidit mare navigare regnum suum, quia non poterat imaginari quo ingenio, subtilitate vel arte esset facta talis fabrica, et per mare incolumis duceretur: vel non poterat satis mirari et adhuc miratur post tot millia annorum, quo homines exposuerunt animas suas tam manifesto periculo, sicut clamant omnes autores, et pulcre Seneca libro tragœdiarum. Et applicat autor dictam comparationem ad propositum, dicens: *la mente mia tutta sospesa,* novitate rei tam admirabilis, *mirava fissa, immobile et attenta,* ita quod ad nihil aliud intendebat: et dicit: *e sempre faceasi accesa di mirar,* quia continuo incendebatur in desiderium videndi et mirandi;

così, idest, sicut Neptunus mirabatur et continuo miratur, quando videt (1) continuo infinita pericula, incommoda, affanna et naufragia maris. — *A quella.* Hic autor probat quare non poterat ad aliud videndum attendere vel intendere, ostendens virtutem efficacem talis visionis, unde dicit: *Cotal si diventa a quella luce,* scilicet, divinæ, *che volgersi da lei,* idest, removere visum ab ipsa luce, *per altro aspetto,* idest, propter visionem alterius rei honestæ, pulcræ vel delectabilis, *è impossibil che mai si consenta;* et reddit optimam rationem quare, dicens: *però che'l bene ch' è obietto del veder,* intelligas visus intellectualis; bonum enim est obiectum voluntatis et intellectus; color autem est obiectum visus; vel dic et melius, *ch' è del voler obietto,* ita enim bonum est obiectum voluntatis, sicut color est obiectum oculi; *tutto s' accoglie in lei,* idest, totum simul est in illa luce divina; et dicit: *e ciò ch' è perfetto lì è difettivo fuor di quella,* scilicet, extra lucem divinam; nam perfectum est cui nihil deest, et est per se ipsum sufficiens; talis autem est solus Deus. Si ergo omne bonum videtur simul et perfecte ibi, quod divisim (2) et diminute videtur alibi, consequens est quod nullo modo possit removeri ab illo summo bono propter aliud bonum dependens ab illo. — *Omai.* Hic autor ostendit quod amodo erit insufficiens tractatus eius circa illud modicum quod recordatur, quia non posset digne loqui de tali materia, per unam comparationem domesticam et claram de infantulo qui nescit adhuc articulate loqui; dicit ergo: *Mia favella sarà omai più corta,* idest, imperfecta et insufficiens, *pur a quel ch' io ricordo,* idest, solum quantum ad illam partem visionis, cuius habeo memoriam, *che d' un fante,* idest, quam loquela infantis, *che bagni ancor la lingua alla mammella,* qui

---

(1) E. videt infinita.

(2) E. divisum et diminutum videtur.

pauca verbula et incompleta dicit et ignoranter non intelligens quid dicat; et sic patet quomodo comparatio est propria. — *Non perchè.* Hic autor excludit rationem non veram a suo dicto, demum adducit rationem veram. Vult ergo dicere: dixi tibi quod deinceps loquela mea erit brevior loquela infantis ad propalandum id modicum, quod recolo me vidisse; sed non dico hoc *perchè più ch' un semplice sembiante,* quasi dicat, non quia varietas compositionis, *fosse nel vivo lume,* scilicet, divino, *ch' io mirava, chè tal è sempre,* idest, tam simplex et purum, *qual s' era davante,* scilicet, ante creationem rerum, antequam esset substantia vel accidens. Et subdit rationem veram, dicens: *ma per la vista che s' avvalorava,* idest, quia visio invalescebat, *in me, guardando una sola parvenza,* scilicet, divinitatem, *mutandom' io, a me si travagliava,* ita quod visio fortificabatur quanto plus se ingerebat in divinam lucem, sed memoria debilis non poterat retinere illud quod visio sibi offerebat. Vide si sic.

Nella profonda. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua autor describit divinam essentiam quantum ad trinitatem in unitate, et humanitatem in divinitate; et primo describit trinitatem in unitate in figura sperica, dicens: *Tre giri,* idest, circuli, *di tre colori,* idest, distincti in colore, *e d' una contenenza,* idest, eiusdem magnitudinis, *parvemi nella profonda e chiara sussistenza,* idest, substantia et essentia divina, *dell' alto lume,* scilicet, divini. Et hic nota quod autor bene describit Deum in forma sperica, quia, sicut refert Augustinus Trimegestus avus magni Mercurii, sic diffinit Deum: Deus est spera intelligibilis etc. — *E l' un.* Hic autor describit unionem personarum et productionem in divina substantia per unam nobilem comparationem et propriam iridis; quæ breviter stat in hoc; quod sicut in iride sunt plures circuli diversorum colorum qui reflectunt vel reflecti videntur

ab uno in alium, et tamen est unus arcus; ita a simili in illa spera divina erant tres circuli distincti in colore invicem reflexi, et tamen erat una spera et una divinitas. Dicit ergo: *E l' un,* scilicet, Pater, *parea reflesso dall' altro,* idest, a Filio, *come iri da iri,* idest, sicut unus circulus iridis ab alio; *e il terzo,* scilicet, Spiritus Sanctus, *parea fuoco,* propter ardorem amoris, sicut sæpissime dictum est, immo et tota Trinitas potest assimilari igni; quia sicut in igne sunt tria, substantia (1), calor et ardor, tamen est unus ignis; sic in Trinitate etc.; et dicit: *che spiri igualmente quinci e quindi,* idest, qui Spiritus Sanctus procedat æqualiter a Patre et Filio. — *Oh quanto.* Hic autor conqueritur de brevitate suæ loquelæ, quæ non sufficit explicare pusillum istius visionis; et sic servat illud quod protestatus fuit paullo ante, scilicet quod amodo erit brevior eius loquela quam infantis; unde exclamat admirative quasi dolens de impotentia sua. Et dicit: *Oh quanto il dir è corto,* idest, o quam brevis est loquela mea et virtus eloquentiæ meæ, quæ solet esse magna, *e come fioco,* idest, rauca, quæ solet esse clara, *al mio concetto,* idest, ad explicandum conceptum mentis; et dicit: *e questo,* scilicet, dicere quod facio hic, *è tanto poco a quel ch' io vidi,* idest, ad explicandum illud quod vidi, *che non basta a dicer poco,* cum sit minimum, immo nihil. Et (2) nota quod autor prudentissime agit si pertransit cito de materia Trinitatis, ne videatur similis puero qui cum cocleari conabatur vacuare (3) mare. — *O luce.* Hic autor intendit describere humanitatem in divinitate; et quia difficillimum est hoc videre apostrophat ad divinitatem, dicens: *O luce eterna che sola in te sidi,* idest, quæ consistis simpliciter in te ipsa, *sola t' intendi,* quia nulla intelligentia intelligit plene intellectum

(1) S. substantia, lumen et calor, tamen.
(2) S. Hic nota. (3) S. evacuare.

divinum. Et dicit: *tu sola intelletta da te, et intendente te arridi ed ami,* idest, applaudis et complaces; *quella circolazione,* idest, triplex circulus Trinitatis, *che pareva sì concetta in te,* sicut scriptum est paullo supra, *come lume reflesso,* quia una circulatio jaciebat radios in aliam, *alquanto circonspetta,* idest, paullulum considerata vel inspecta circum, *dagli occhi miei,* intellectualibus, *mi parve pinta et figurata dentro da sè,* idest, intra ipsam circulationem, *del suo colore stesso,* scilicet, divinitatis, quia nihil recipit ab extra, *della nostra effige,* idest, imagine humana, quia scilicet humanitas Christi est ibi coniuncta cum divinitate; et dicit: *perchè 'l mio viso in lei tutto era messo,* idest, propter quod intellectus meus ita erat fixus in illam imaginem humanam. — *Qual.* Hic autor nititur ostendere quomodo hic fecit ultimum de potentia, et contraxit omnes vires animæ in unum, si forte posset aliquid imaginari ad manifestationem istius humanitatis. Et explicat summum conatum suum per unam comparationem elegantissimam de geometra, qui volens mensurare circulum colit se totum sibi; et quamvis autor videatur loqui communiter de geometria (1), tamen iste actus et casus quem ponit maxime verificatur de Archimede philosopho: ad quod est prænotandum quod sicut scribit Titus Livius etc. Nunc vide literam quæ est sic ordinanda: *Io era tal a quella vista nuova qual è il geometra che tutto s' affige,* idest, figit se et firmat, *per misurar lo cerchio, e non ritrova quel principio onde egli indige,* idest, quo indiget; unde subdit: *veder voleva come l' imago,* scilicet, humana, *si convenne al cerchio,* idest, conformavit se divinitati intus quas nulla videtur esse proportionaliter loquendo; unde dicit: *e come vi s' indova,* idest, situatur et locatur in ea. Et subdit autor

(1) E. geometra.

quod perdebat operam et frustra fatigabat ingenium dicens: *ma le proprie penne,* scilicet, ratio et intellectus quæ tollunt animum ad considerationem alicuius rei, *non eran da ciò,* idest, non erant sufficientes ad hoc; et ideo bene fingit quod ne attenderet plus ad subtiliandum se, una lux percussit memoriam suam; unde dicit: *se non che la mia mente fu percossa da un fulgore,* idest, a splendore excellentiæ talis considerationis, quæ confudit visum; unde dicit: *in che sua voglia venne.* — *All' alta.* Hic autor feliciter facit finem suæ speculationi, et aptissime concludit totum poema, dicens: *All' alta fantasia qui mancò possa,* quia scilicet altius non potest ascendere, et propter hoc [1], ut bene potes colligere formam compilationis huius operis, scilicet virtutem phantasiæ; et quia plus non potest, ideo plus non vult desiderium suæ voluntatis. Dicit ergo: *ma l' amore,* scilicet, divinus, *che muove il sole e l' altre stelle,* quæ illuminantur ab illo sole, *già volgeva il mio disio e il velle,* idest, desiderium voluntatis, quia scilicet fecerat perfecte totum circulum sui cursus, a simili, *sì come ruota che igualmente è mossa,* quia scilicet coniunxit principio finem; nam a principio usque ad finem autor intendit pervenire ad omnium rerum finem; ad cuius finis beatificam [2] visionem ille nos perducat in patria, qui autorem istum felicissimum ad illum perducere dignatus est in via; cui est honor, gloria, et perpetuitas in sæcula sæculorum amen. Deo gratias, amen, amen, amen.

Expletum die ultimo maii 1410.

---

(1) E. hoc verbum potes colligere.

(2) E. beneficam.

FINIS PARADISI, ET TOMI QUINTI ET ULTIMI.

INDEX TOMI QUINTI.

COMENTUM PARADISI.

61052 LI
D192d
Dante Alighieri. Divina Commedia
Author Benvenuto da Imola .Ybenv
Title Comentum super Dantis Aldigherij Comoediam; ed. by Lacaita. Vol.5

University of Toronto Library

DO NOT REMOVE THE CARD FROM THIS POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 22 10 10 012 3